STUDIO AUDIO/VIS
HOLY CROSS PROVINCE

Studio Addictus

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS. I.

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS
I

AUCTORE

G. VAN NOORT
PAROCHO AMSTELODAMENSI

EDITIONEM QUARTAM CURAVIT
J. P. VERHAAR
S. THEOL. IN SEMINARIO WARMUNDANO PROFESSOR.

STUDIO ADDICTUS
HOLY CROSS PROVINCE
WITHDRAWN

SUMPTIBUS SOCIETATIS ANONYMAE PAULI BRAND,
HILVERSUM
IN
HOLLANDIA.

Evulgetur:

Dr. J. TH. BEYSENS

Libr. censor ad hoc dep.

Soest, die 13e Novembris 1927.

BQT
507
5078

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS. I [1].

Unigenitus Dei Filius de coelo descendit, ut copiosa re- 1
demptione oblata genus humanum sanctificaret: ipse homo factus ut homines faceret deos.

Quemadmodum autem in corpore suo physico, divinitate uncto, opus redemptionis visibili sacrificio consummavit, ita visibilem ecclesiam instituit, quam Spiritu divino animatam corpus suum mysticum effecit, ut per eam et in ea homines sibi in membra adoptaret, iisque fructum redemptionis, mul-

[1] Speciales de hac materia tractatus ediderunt e. g. J. H. OSWALD, *Die dogmat. Lehre v. d. h. Sakramenten;* 2 vol., Ed. 5, Monast. 1894; P. SCHANZ, *Die Lehre v. d. h. Sakramenten der kath. Kirche*, Friburg, 1893; P. EINIG, *Tract. de Sacramentis;* 2 vol. Trev. 1900; A. DE AUGUSTINIS, *De Re sacramentaria*, 2 vol. Ed. 2a, Romae, 1889; L. BILLOT, *De Ecclesiae Sacramentis*, 2 vol., Ed. 4, Romae, 1907; N. GIHR, *Die h. Sakramenten d. kath. Kirche*, 2 vol., ed. 3, Friburg, 1918; J. B. SASSE, *Instit. theol. de Sacramentis Ecclesiae*, 2 vol., Frib. 1897; A. PAQUET, *De Sacramentis*, 2 vol. Quebeci, 1900—1903; G. LAHOUSSE, *Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de Eucharistia*, Brugis, 1900; P. POURRAT, *La théologie Sacramentaire*, Ed. 3, 1908; L. DÉSERS, *Les Sacrements*, 1905; F. PROBST, *Sakramente u. Sakramentalien in d. drei ersten Jahrhunderten*, Tubingae, 1872; L. BOUCARD, *Les Sacrements* (18 Confer. aux étudiants) Paris, 1912; A. DE SMET, *Tract. dogmatico-moralis de Sacram. in genere, Baptismo et Confirmatione*, Ed. 2a, Brugis, 1925; JOH. BELSER, *Das Zeugnis der Evangelisten für die Taufe, Eucharistie, und Geistessendung*, Friburgi, 1912.

tiplicem sanctificationis gratiam, dispensaret. Est igitur ecclesia visibilis veluti sacramentum quoddam generale, magnum scil. instrumentum Christi-Dei ad sanctificandos homines.

At vero sicut in corpore humano sanguis vivificus e corde quidem proficiscitur, sed per multas arterias ad singula membra transmittitur, ut ea alat, augeat, restauret; ita in corpore Christi mystico gratia sanctificans, a Spiritu Sancto, qui cor ecclesiae vocatur, proveniens, singulis membris formandis, augendis, reparandis applicatur per septem veluti arterias spirituales, ab ipso Christo positas, quae sunt *septem Sacramenta* Novae Legis.

Quemadmodum itaque per se loquendo nullus mortalium Christo incorporatur nisi per ecclesiam, ita in ipsa ecclesia non dantur alia media externa et objectiva ad gratiam sanctificantem communicandam nisi sacramenta, „per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur" [1]. Hinc sacramenta a Patribus et theologis passim vocantur *fontes Salvatoris*, e quibus hauriuntur aquae in vitam aeternam salientes, *vasa*, quibus sanguis et merita Christi continentur, *medicamenta* humanitatis sauciatae; *columnae* denique, quibus domus spiritalis ecclesiae fulcitur simul et ornatur, secundum illud: „Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem" [2].

Recentiori tempore usus invaluit doctrinam de sacramentis inter varias disciplinas theologicas, dogmaticam, moralem, liturgicam, pastoralem dividendi. Ut inutiles repetitiones, quibus haec vivisectio latam viam aperit, quantum fieri potest, praecaveamus nos iis tantum quaestionibus immorabimur, quae aut positivam ex fontibus revelationis probationem aut speculativam disquisitionem postulant, res practicas theologiae practicae relinquendo.

---

[1] CONC. TRID. S. 7, prooem. — [2] *Prov.* 9, 1.

Ceterum non abs re erit, statim a limine monuisse, in 3
tractatu etiam dogmatico *de Sacramentis* multa vix alia ratione probari posse quam per traditionem practicam ecclesiae. Scriptura de plerisque sacramentis non nisi lineamenta quaedam exhibet et Traditio primorum saeculorum, formalis scil. seu theoretica, saepius defectuosa aut ambigua est. Res magna parte explicatur ex eo, quod sacramenta sunt *instituta practica*. Quum enim ecclesia non sit schola philosophica, sed religio ad salvandos homines instituta, mirum videri non debet, eam non nisi paulatim theoretice excoluisse, quae usu et praxi ab initio observaverat. Reapse historia testatur, plures quaestiones magni momenti in re sacramentaria tunc tantum coepisse discuti, quum nonnulli, sive bona sive mala fide, praxim traditam reliquissent [1]. Constat praeterea primis ecclesiae saeculis veritates theoreticas, v.g. de ss. Trinitate, de persona Christi, cet. multo frequentius in controversiam vocatas esse. quam res practicas sacramentorum. In re sacramentaria antiquae sectae haereticae ecclesiae plerumque consentiebant.

Accedit *disciplina arcani*, qua nonnullorum mysteriorum et 4
praesertim rituum sacrorum notitia non-baptizatis subtrahebatur. Admittendum quidem videtur, disciplinam hanc non ita multum ante finem saec. II consuetudine inductam esse, eamque proprie et directe non opera scripta sed potius instructiones et sermones coram catechumenis habitos affecisse [2]. Hinc certe nimium foret, in omni fere difficultate traditionali disciplinam arcani invocare. Nihilominus verum manet, multa monumenta ex saec. III, IV et V relicta circa rem sacra-

---

[1] Cfr. v. g. quae suis locis dicemus de valore baptismi ab haereticis collati, de charactere sacramentali, cet — [2] Cfr. BATIFFOL, *Etud. d'hist. et de Théol. posit. t. I*, p. 3—41 et *Dict de Théol. cath.* i. v.: *Arcane;* FUNK, *Das Alter der Arkandisciplin*, in *Theol. Quartals.* (Tübingen) 1903, p. 69.

mentariam et praecipue ss. Eucharistiam aut reticentias adhibere aut de industria obscurius loqui.

Quum multa sint, quae aut omnia sacramenta aut saltem plura ex iis aequaliter spectent, in prima sectione dicemus de *Sacramentis in genere*, deinde in totidem sectionibus de singulis *septem Sacramentis in specie*. Quatuor priores sectiones fasciculus hic continebit; reliquae fasciculo altero continentur.

SECTIO I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE [1].

5 Theoriam de sacramentis neque s. Scriptura, neque antiqui Patres exhibent; fundamenta prae ceteris magnus Augustinus posuit, ipsum aedificium doctores scholastici inde a saec. XII exstruxerunt. Quae igitur in praesenti sectione traduntur, maxima parte non sub hac forma revelata, sed labore scientifico inventa sunt, colligendo, comparando, explicando ea, quae fontes revelationis sparsim continent.

Dicemus in *cap. I* de sacramentorum exsistentia et partibus; in *cap. II* de eorum efficacia; in *cap. III* de eorum causis. His per modum appendicis adjiciemus *cap. IV* de sacramentis ante Christum, necnon de sacramentalibus.

CAPUT I.

De Sacramentorum exsistentia et partibus.

Art. I.

DE SACRAMENTORUM EXSISTENTIA.

6 **Nomen.** *Sacramentum* (sacer-mentum) etymologice est id quod sacrat, seu sacrum facit; et apud auctores profanos

[1] Cfr S. THOM., *S. Th. III*, 60—65; J. B. FRANZELIN, *De Sacr. in genere*, Ed. 4, Romae, 1887.

adhiberi solet tum pro pignore, sive pecunia, quam litigantes deponere debebant ea lege, ut qui causa caderet eam amitteret, tum pro jurejurando, praesertim militari [1].

Apud auctores sacros nomen sacramentum aequivalere solet voci graecae *μυστήριον*, proinde omnem rem a cognitione usuque vulgari secretam designare potest.

Vulgata totam oeconomiam redemptionis, matrimonium quatenus est imago unionis Christi cum ecclesia, nonnulla rerum arcanarum signa sacramenta vocat [2].

Antiqui patres latini [3] universam religionem christianam et fere omnia ejus mysteria, instituta, ritus sacramenti nomine nonnumquam designant. Loquuntur v.g. de sacramento religionis christianae, sacramento Trinitatis, incarnationis, passionis, paschatis, de sacramento sacrificii dominici, sacramento aquae vel lavacri (baptismi), sacramento fidei (professione fidei in baptismo facta) sacramento panis et calicis, sacramento salis, sacramento symboli, sacramento orationis dominicae, sacramento jejunii, cet.

Lata haec significatio etiam apud sequiores patres, ipsosque antiquos theologos occurrit. S. Bernardus institutionem baptizandorum sacramentum catechumenorum appellat; Hugo a s. Victore († 1141) in libro *De Sacramentis christianae fidei* universam fere theologiam complectitur; conc. lateran. III (1179) sepulturam et exsequias defunctorum sacramenta vocat [4].

Verum a saec. XII nomen sacramenti significationem illam

---

[1] J. DE GELLINCK, E. DE BACKER, J. POUKENS, G. LEBACQZ, *Pour l'histoire du mot „Sacramentum", I. Les Anténicéens*, Lovanii, 1924; E. DE BACKER, *Sacramentum, le mot et l'idée représentée par lui dans les oeuvres de Tertullien*, Lovanii, 1911; — [2] *Eph.* 1, 9; 3, 9; *Col.* 1, 27; *I Tim.* 3, 16; *Eph.* 5, 32; *Apoc.* 1, 20; 17, 7. — [3] Cfr. GRÖNE, *Sacramentum, oder Begriff u. Bedeutung von Sacrament bis zur Scholastik*, 1853. — [4] Cfr. HEFELE, *Conciliengesch.* V², p. 713. — Ex praedictis intelleges, quare antiqua *Sacramentaria* Gelasii, Leonis, Gregorii plura comprehendat, quae nunc in Missali, Pontificali, Rituali distincta inveniuntur.

strictam ac specificam accepit, quae deinceps universaliter invaluit; a multis enim saeculis sacramentum, simpliciter et sine addito dictum, nihil aliud est quam *signum efficax sanctificationis.*

7 **Definitio.** Sacramentum N.L. est *res sensibilis, a Christo instituta, ad gratiam significandam et conferendam.*

Agimus de solis sacramentis novae legis; quae enim ante Christum exstiterunt sacramenta a nostris ita differunt, ut non nisi in sensu analogo sacramenta vocari queant.

Res sensibilis; necesse enim est, ut ea quae sacramentum constituunt sensu percipi queant, sive immediate ut aqua abluens, sive quodammodo mediate ut dolor actu externo manifestatus. Observa nomine rei sensibilis haud solas substantias materiales intellegi, sed omnia, quae sensibus subjiciuntur; ergo etiam verba, gestusque humanos. Quum autem etiam in iis sacramentis, in quibus substantiae materiales adhibentur, sacramentum non tam in ipsa re materiali, sed potius in ejus usu et applicatione consistere soleat, multi optime definiunt: *ritus externus*, cet. Quia res seu ritus externi sacramentorum primo adhibentur ad aliquid significandum, alii definiunt *signum externum* aut sensibile, qui terminus, utut pleonasticus, ad instruendum populum aptissimus est.

8 *Ad gratiam significandam et conferendam.* Nomine gratiae primo et principaliter accipienda est gratia sanctificans, qua peccatum deletur et homo interne justificatur, Deoque gratus redditur in ordine supernaturali. Haec autem gratia per ritum externum sacramenti tum *significatur*, i. e. intellectui nostro repraesentatur, tum *confertur*, efficitur seu infunditur; utique instrumentaliter, nam solus Deus causa principalis gratiae infundendae esse potest. Vides sacramentum esse signum practicum gratiae: *signum* quidem quia praeter speciem, quam ingerit sensibus, invisibilem gratiam menti nostrae

cognoscendam exhibet; signum *practicum*, quia gratiam non solum repraesentat, sed ipsa sua virtute instrumentali in nobis causat.

A Christo instituta. His verbis explicatur undenam ritus 9
externus habeat, quod gratiam significet, eamque conferat. Nihil impedit, quominus res aliqua externa aut natura sua, aut saltem ex institutione mere humana gratiam significet, de facto tamen sacramenta nostra significationem suam habent ex institutione divina Christi. Praeterea impossibile est, ut ritus externus, utut significativus, sua virtute gratiam causet, nisi hanc virtutem ex divina ordinatione acquisierit. Sufficere quidem posset ordinatio seu institutio mediate divina, n. p. per hominem ad hoc a Deo auctorizatum; reapse tamen omnia sacramenta ab ipso Christo Deo-homine immediate instituta sunt, uti infra ex professo adstruetur.

Dici potest, sacramenta instituta esse a Deo, sed praestat eorum institutionem tribuere *Christo*, Deo-homini, qui auctoritate quidem divina, sed actione humana ea ordinavit.

Denique observetur, verbum *instituere* stabilitatem seu permanentiam importare, nemo enim dicitur ritum instituere ex eo, quod illum semel aut iterum adhibeat. Sacramenta autem pro tota duratione religionis christianae instituta sunt.

Corollaria. 1. Usum communem secuti mentionem fecimus 10
institutionis per Christum, etsi ad definitionem stricte metaphysicam non pertineat; non enim explicat, quid res sit, sed unde originem et vim suam habeat. Optime igitur definires: *ritus externus, gratiam significans et conferens*, aut: *signum gratiae efficax.*

2. Quum ritus externus sacramentorum non ex natura sua, sed ex positiva institutione ideam gratiae sanctificantis in mente nostra evocet, sacramenta non sunt *signa naturalia*; nihilominus neque *pure arbitraria* sunt, nam res externae sacramentorum habent ex se aptitudinem quamdam ad sig-

nificandum effectum spiritualem, unde convenienter omnino ad hunc effectum symbolizandum electae sunt. Quia igitur aliquo modo ac veluti inchoative ex natura sua, perfecte vero ex institutione positiva significant, *signa mixta* vocari possunt [1].

3. Sacramenta directe significant gratiam quam conferunt; quum tamen causa meritoria hujus gratiae sit passio Christi, causa finalis vero beatitudo coelestis, sacramenta indirecte passionem Domini in memoriam nobis revocant, et vitam aeternam nobis praenuntiant. Hinc nonnumquam dicuntur *signa demonstrativa* gratiae praesentis, *rememorativa* passionis Christi, *prognostica* gloriae coelestis [2]. Quod potissimum valet de ss. Eucharistia, de qua canitur: „O sacrum convivium, in quo recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur."

4. Ex dictis concludes praecipuam *differentiam inter sacramentum et sacrificium* hanc esse, quod sacramentum directe ad sanctificationem hominis, sacrificium vero directe ad cultum Dei ordinatur.

II PROP. **Septem sunt, nec plura nec pauciora. N. L. sacramenta** [3].

Initio reformationis protestantes circa numerum sacramentorum variabant; postea vero convenerunt in eo, ut duo tantum sacramenta admitterent, *baptismum* scil. et *coenam*. Soli Ritualistae ad doctrinam catholicam propius accedunt, quamvis et ipsi reliqua, praeter Baptismum et Eucharistiam, sacramenta minora aestiment.

[1] Cfr. *S. Th.* III, 64, 2, ad 2. — [2] Cfr. l. c. 60, 3. — [3] Cfr. BITTNER, *De numero sacramentorum septenario*, 1859 (contra Hahn, auct. protest.); BACH, *Die Siebenzahl d. Sakramente*, 1864; KRAWUTZKI, *Zählung u. Ordnung der h. Sakramente in ihrer geschichtl. Entwicklung*, 1865; GILLMANN, *Die Siebenzahl der Sakramente* (in *Der Katholik*, 1912, I, p. 453); GEYER, *Die Siebenzahl der Sakramente in ihrer historischen Entwicklung* (in *Theologie u. Glaube*, 1918, p. 325).

Doctrinam catholicam definivit conc. trid.: „s. q. d., sacramenta N. L. esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, a. s." [1].

Probatio theseos duplici modo confici potest, analytice et 12
synthetice. Demonstratio *analytica* perficitur singulatim ostendendo, quemlibet ex septem enumeratis ritibus sacramenti rationem habere; ex aliis vero, de quibus dubitari posset, nullum ad sacramenti dignitatem pertingere. At hujusmodi probatio locum suum habet, ubi per ordinem de singulis sacramentis dicetur.

Hoc loco conficienda est probatio *synthetica*, qua scil. numerus septenarius qua talis demonstratur. Porro fatemur, ipsam hanc synthesim: „septem sunt sacramenta" ex fontibus fidei directe probari non posse, quum nec Scriptura, nec traditio undecim primorum saeculorum numerum sacramentorum exprimat, aut completam sacramentorum seriem tradat. Restat igitur probatio indirecta, qua contra protestantes ostendamus, universam ecclesiam diu ante reformationem septenarium sacramentorum numerum pacifica possessione coluisse, deinde vero ex longaeva et pacifica hujus doctrinae possessione ad legitimum possessionis titulum, traditionem scil. apostolicam, concludamus.

Argumentum ita contrahi potest. Ecclesia catholica 1^0 a 13
saec. XII disertissime profitetur, septem esse sacramenta; atqui 2^0 hinc ex principiis theologicis recte concluditur ad apostolicam hujus doctrinae originem. Praeterea 3^0 non desunt argumenta historica, quae eandem conclusionem saltem valde suadent.

Ad **primum**. Circa medium saeculi XII septem nostra sacramenta connumerari incipiunt. Missis testimoniis dubiis

[1] SESS. 7, *De Sacr. in gener.* can. 1.

enumeratio invenitur apud auctorem *Sententiarum divinitatis* (c. 1141—1148), Petrum Lombardum in Libro *Sententiarum* (c. 1152—1159), magistrum quendam Simonem in opere *De Sacramentis* (ejusdem fere temporis) [1]. Anno 1159 *Herbordus* numerum septenarium jam inducit in instructone elementari fidelium. Scribit enim: „Ista ergo septem sacramenta, quae iterum vestri causa enumerare libet: baptismum, confirmationem, infirmorum unctionem, eucharistiam, lapsorum reconciliationem, conjugium et ordines... Docete ea filios vestros, ut memoriter teneant et diligenter observent in omnes generationes" [2].

Mox sequuntur declarationes authenticae magisterii ecclesiastici; septem etenim sacramenta nostra enumerant e. g. *Constit. synod.* Odonis ep. paris. c. 1197 [3]; *Conc. londinense* coram legato sedis apostolicae habitum a. 1237 [4]; *Conc. lugdun. II* a. 1274, in professione fidei a Mich. Palaeologo Gregorio X oblata [5].

Ex his aliisque, quae facile afferri possent, documentis historice certum est, septenarium numerum sacramentorum saltem per tria saecula ante initium reformationis ab universa ecclesia acceptatum fuisse. Quod ceteroquin ipsi adversarii agnoscunt.

14 Ad **secundum.** Porro si hujus facti characteres examinaveris, invenies, doctrinam nostram citra omnem dubitationem aut controversiam ubique terrarum acceptam fuisse, non ut sententiam theologicam, sed ut certam veritatem, non ut inventum humanum, sed ut dogma fidei christianae. Atqui, supposita assistentia Spiritus Sancti et infallibilitate ecclesiae, consensus unanimis, his characteribus insignitus, est certum criterium veritatis seu traditionis apostolicae.

---

[1] Cfr. *Geyer*, l. c. — [2] In *Vita s. Ottonis ep. bamberg.* in Act. Sanct. t. I, Julii p. 397. Catechesis laudata non videtur pronuntiata a b. Ottone, sed ab ipso Herbordo conscripta. — [3] MANSI, XXII, p. 675. — [4] L. c. XXIII, p. 447. — [5] DENZ., *Enchir.* n⁰ 465.

Ad **tertium**. Eandem conclusionem historice innuunt se- 15
quentia.

a. — Consensus *ecclesiae graecae*. Quum in *conc. lugdun. II* et *florentin.* de unione graecorum ageretur, plures differentiae in doctrina, disciplina, modo administrandi nonnulla sacramenta notatae sunt, circa numerum aut substantiam sacramentorum nullum discrimen apparuit Saec XVI et XVII, quum protestantes graecos in sententiam suam perducere saepius tentarent, patriarchae, episcopi, synodi septenarium nostrorum sacramentorum numerum ut dogma fidei asserere ac defendere non destiterunt [1]. Quod iterum fecerunt Russi, quum a. 1874 cum protestantibus et vetero-catholicis Bonnae convenissent ad foedus unionis concludendum [2]. Quum autem

---

[1] Anno 1576 patriarcha Cp. Jeremias Martino Crusio et Jac. Andreae, professoribus Tubingensibus, respondit: graecos confiteri septem sacramenta a Christo et apostolis accepta. Cyrillus Lucaris, in sedem Cp. intrusus, quum a. 1625, doctrinam reformatorum de sacramentis proponere ausus esset, depositus est; ejus doctrina mox a duabus synodis (a. 1638 sub Cyrillo Contaru, et a. 1642 sub Partheno) solemniter condemnata est. Anno 1643 patriarchae Cp., Alex., Antioch., Hierosol. cum multis episcopis approbarunt confessionem orthodoxam Petri Mogilae, quae doctrinam de septem sacramentis apertissime continet. Cfr. HEFELE, *Versuche zur Protestantisierung der Griech. Kirche*, in *Beiträge*, I, p. 444 et *Theol. Quartals.* 1843, p. 541; LAHOUSSE, *De Sacram.* p. 65. — [2] Antequam ad singula deveniretur, Janyschew, rector acad. Petroburg. nomine orientalium postulavit, ut omnes fidem suam profiterentur in Symbolum Nicaeno-Cp., septem conc. oecumenica, doctrinam septem sacramentorum. Et quum Döllinger objiceret, doctrinam septem sacramentorum non contineri in septem oecum. conciliis, Janyschew respondit: „Continetur et veteri utriusque ecclesiae praxi liturgica et scriptis patrum a conciliis approbatorum, qui quidem sacramenta, quamvis non explicite enumerent, unumquodque eorum tamen absque dubio agnoscunt". Cfr. F. H. REUSCH, *Bericht über die zu Bonn gehaltenen Unionsconferenzen*, apud EINIG, *De Sacram.* 1, p. 44.

graeci a. 1054 in schisma prolapsi sint, imo a tempore Photii (saec. IX) latinis satis infensi exstiterint, certo non recepissent doctrinam, a latinis saec. XII noviter inventam.

16 b. — Consensus *antiquarum sectarum orientalium*. Plures sectae, quae monophysitarum errore imbutae, saec. V ab ecclesia defecerunt, in admittendis septem sacramentis nobiscum conveniunt. Rem testantur:

pro *Jacobitis:* Assemani [1] et professio patriarchae damasc. circa a. 1670 contra calvinistas edita [2];

pro *Coptis*: Sollerius in dissertatione, adjuvantibus patribus Bichot et du Bernat, qui diu inter coptas degerant, conscripta [3], et professio patriarchae coptarum c. 1670 edita [4];

pro *Armenis*: professiones a patriarcha urbis Cis, presbytero superiore armenorum in Cairo, archiepiscopo urbis Ispahan c. 1670 editae [5].

[1] *De Syris monophysitis dissert.* p. 17—19. — [2] In *Perpétuité de la foi* (Paris. 1704), t. III, p. 551. — [3] In *Acta Sanct.* Junii, t. V, p. 140*. De Abyssinensibus, quae ceteroquin cum Coptis plerumque conveniunt, scribit SOLLERIUS (l. c. p. 128*): „Desunt Habessinis sacramenta aliqua, Coptis nequaquam". — [4] In *Perpétuité*, l. c. p. 554. — [5] In *Perpétuité*, l. c. p. 560, 562, 566. — Armeni a multis saeculis *usum* extr. unctionis praetermiserunt (cfr. HEFELE, *Conciliengesch.* VI² p. 656, 660), ejusque ritum in libris suis edendis nonnumquam omittunt. At ex epistola, a Joanne XXII a. 1318 ad regem armenorum data, patet, eos tunc Ext. Unctionem administrasse. Cfr. RAYNALDUS, *Ann. eccles.* ad a. 1318, n⁰ 9; VACANT—MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.* I. p. 1956. — *Nestorianos* sive Chaldaeos quod attinet, Assemani contendit eos septem sacramenta habere, sed contradicit cl. Funk in *Kirchenlex.* t. IX, p. 178. — Ceterum nemini mirum videri debet, in ecclesiis per tot saecula a centro unitatis abscissis, et saepe magna ignorantia sopitis, graves errores etiam in hac materia irrepsisse. Hinc etiam inferioris momenti habendus est dissensus quorumdam auctorum, sive graecorum sive orientalium, qui numero septenario retento, in assignandis singulis sacramentis a veritate catholica nonnihil recedunt; de quibus cfr. FRANZELIN, *De Sacr. in gen.*, th. 20.

Jam vero consensus harum sectarum cum ecclesia catholica explicari nequit, nisi admittatur, ecclesiam saeculi quinti usu et praxi sua jam coluisse eadem sacramenta, quae postea disertius connumeravit.

Hic sistimus. Licet enim ex patribus saec. V antiquioribus, **17** e. g. ex s. Augustino [1] et Tertulliano [2], facile ostendi possit, vetustissimam ecclesiam plus quam duo sacramenta agnovisse, probatio collectiva pro omnibus septem ulterius ascendere nequit. Sed merito quaeritur, undenam ecclesia saeculi quinti sacramenta sua acceperit? Sane nemo assignare potest, ubinam, quo tempore, quo auctore novus aliquis ritus ut signum efficax gratiae induci coeperit; nemo explicare potest, qua ratione hujusmodi innovatio succedere potuerit, quin episcopi reclamarent, ecclesiae commoverentur, nam „mos iste semper in ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet" [3]. Quum igitur historia primorum saeculorum nullam controversiam, nullam contestationem de sacramento aliquo recens invento noverit, restat ut concludamus, omnia septem sacramenta legitima traditione ab apostolis descendere.

Scholion 1. *S. Patres numero septenario sacramentorum* **18** *non adversantur.* — Contra thesim praecedentem duplex ex ss. Patribus moveri solet difficultas, *prior* quod numquam omnia septem sacramenta connumerarint; *altera*, quod saepius ita loquantur, ac si duo vel tria vel quatuor tantum sacramenta admiserint.

1°. Concedendum est, ante saec. XII non dari testimonium certo genuinum [4], quo omnia ac sola sacramenta nostra

[1] Cfr. v. g. *Ep. 55 ad Januar.* c. 7, n° 13; *de Bapt.* l. V, c. 20; *Adv. Parmen.* l. II, c. 13, n° 28; *Adv. Petil.* l. II, c. 104, n° 239. — [2] Cfr. v. g. *Praescript.* c. 40; *De resurr. carn.* 8. — [3] VINC. LERIN. *Common.* c. 6. — [4] Nam *Statut. synodal.* s. Sonnatii, ep. Remensis, saec. VII (MIGNE, *P. L.* 80, p. 443), quae aliquando citantur, incertae originis sunt.

simul numerentur. Sed alia quaestio est num patres omnia sacramenta nostra noverint, alia num ea in unam seriem connumeraverint. S. Patres singula septem sacramenta ut talia novisse, neque ea aliis ritibus inferioris dignitatis aequiparasse, ex sequentibus hujus tractatus sectionibus patebit. Quare igitur ea numquam connumerant? Quia ea nondum inquisitione scientifica ad unam speciem infimam reduxerant. Sane sacramenta ét ab invicem plurimum differunt, ut v.g. Eucharistia, Poenitentia, Matrimonium, ét magnam cum quibusdam aliis caeremoniis similitudinem habent, ut v. g. ordo, consecratio altaris, benedictio monachi. Potest igitur aliquis de singulis sacramentis recte sentire ac docere, quin distincte consideret atque in unum colligat characteres, qui cunctis sacramentis, iisque solis communes sunt, a. v. quin notionem claram et distinctam „sacramenti" efformet. Qui autem hanc notionem non efformavit, sacramenta connumerare nequit. Porro Patres et auctores undecim priorum saeculorum, universim loquendo ad notionem claram et distinctam sacramenti in genere non pervenisse, patet ex eo, quod nullum invenerint nomen proprium ad omnia ac sola signa gratiae efficacia designandum. Utebantur quidem nomine sacramenti et mysterii, sed significatio harum vocum ita late patebat, ut promiscue adhiberentur tum pro iis ritibus, qui ut Baptisma et Eucharistia, judicio patrum certo certius signa gratiae efficacia erant, tum pro aliis caeremoniis, de quibus certum est, quod ex ipsorum patrum mente ad hanc dignitatem minime pertingerent.

19 2°. Immerito prorsus ex modo loquendi patrum infertur, eos duo vel tria vel quatuor tantum sacramenta admisisse. Quaestio: quot sunt sacramenta? intellecta in sensu hodierno, tunc temporis omnino non ponebatur, unde nullum patrem invenies, qui ei responderit, dicendo v.g. sunt duo vel tres. Quid igitur? Adversarii nituntur duplici facto, vero quidem, sed male interpretato.

a. — Patres nonnumquam duo vel tria sacramenta, aut

sola, aut simul cum aliis rebus enumerant. Sed id faciunt per occasionem et exempli gratia, n. p. ad doctrinam quam tractant, probandam vel illustrandam. TERTULLIANUS, ut resurrectionem carnis suadeat, scribit: „Caro abluitur ut anima emaculetur. Caro ungitur ut anima consecretur, caro signatur ut et anima muniatur, caro manus impositione adumbratur, ut et spiritus illuminetur, caro corpore et sanguine Christi vescitur ut et anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera conjungit" [1]. Alibi dicit diabolum in paganorum mysteriis Deum imitari: „Tingit et ipse quosdam, signat illic in frontibus milites suos, celebrat et panis oblationem. Quid quod et summum pontificem in unius nuptiis statuit? Habet et virgines, habet et continentes" [2]. S. AUGUSTINUS, ut contra Donatistas ostendat, valere Baptismum ab haeretico collatum, dicit: „Si ad hoc valet quod dictum est in evangelio: Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur." [3] S. ISIDORUS explicato nomine sacramenti addit: „Sunt autem sacramenta baptisma et chrisma, corpus et sanguis" [4]. — Nonne etiam hodie catholici scriptores et catechetae saepe eodem modo duo vel tria sacramenta in exemplum adducunt? Quis contendet, eos ita faciendo reliqua e dignitate sacramentorum excludere?

b. — Aliqui patres quando ex professo de sacramentis seu mysteriis agunt, tria tantum pertractant, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, ut v. g. s. Cyrillus hier. [5], s. Ambrosius [6], auctor librorum *de Sacramentis* [7]. Sed res facile

[1] *De resurr. carn.* 8. — [2] *Praescript.* 40. — [3] *De bapt.* l. V, c. 20 — [4] *Etymol.* l VI, c. 19. — [5] *Catech. mystag.* — [6] *De mysteriis.* — [7] *Libri VI de Sacram.* (HURTER, *Opus. S.S. Patr.* 37). Sunt veluti paraphrasis opusc. ambrosiani *De mysteriis.* BARDENHEWER (*Patrologie* [2], p. 385) putat, esse

explicatur ex fine et adjunctis; spectabant enim instructionem neophytorum, quibus haec tria sacramenta uno tractu conferri solebant; unde non de signis gratiae efficacibus generatim agere intendebant, sed de iis „mysteriis", quibus christiani initiabantur. Alii agendo non de sacramentis qua talibus, sed de sacris consecrationibus, Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam, Ordinem considerant, iisque consecrationem altaris, monachi, ritus funebres adjungunt [1]. Unde neque his intentio erat omnia et sola signa gratiae efficacia describendi.

Itaque quum patres, prout usus practicus postulabat aut occasio ferebat, singula sacramenta exponerent, aut de tribus vel quatuor tractarent, doctores scholastici analysi scientifica omnia signa gratiae efficacia sub uno capite redegerunt et in unam seriem connumeraverunt, antiquam veritatem explicatius proponendo ad faciliorem fidelium instructionem et tutiorem dogmatis defensionem. Non ipsa res, non numerus sacramentorum illis debetur, sed numeratio et modus systematicus ea pertractandi.

21 **Scholion 2.** *Lotio pedum sacramentis accensenda non est.* — Tum propter ea, quae refert Scriptura, tum propter verba quorundam patrum latinorum, videri posset quod lotio pedum sit verum sacramentum, et ita excederetur numerus septenarius.

1° *Scriptura* [2]. Mitto quaestionem, num lotio pedum, a Christo aliquando facta, vere causaverit remissionem peccatorum venialium, aut etiam augmentum gratiae [3]. Quidquid enim est de efficacia ritus tunc peracti, ad rationem sacra-

---

conciones ipsius Ambrosii, ab indiscreto quodam auditore editas, alii probabilius opinantur, eos saec. V ab ignoto auctore, s. Ambrosium imitante, esse conscriptos (SCHERMANN, in *Röm. Quartals*, 1903) [1] Cfr. VULG. AREOPAGITA, *De eccl. hierarchia*, c. 1. seq.; s. GREG. NYSS. *Orat. in s. baptism.* — [2] *Jo.* 13, 4—17. — [3] Lege v. g. KNABENB. *Comm. in Jo.* p 403—404; HEINRICH-GUTBERLET, *Dogm. theol.* t. IX, p. 21.

menti requiritur ritus *perenniter institutus ad gratiam conferendam*. Atqui traditio practica et theoretica ecclesiae, quae est norma princeps pro interpretatione Scripturae, declarat, ritum illum non fuisse a Christo institutum seu ecclesiae traditum ad gratiam conferendam. Nec obstant verba: „Si ergo ego lavi pedes vestros, dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes". Nam *primo* Christus non dicit: vos debetis alios lavare ut fiant mundi totaliter, vel ut habeant partem mecum, sed: debetis alterutrum lavare, ut humilitatem et charitatem meam imitemini. Hinc *secundo* contextui apprime consonat intellectus traditionalis, secundum quem objectum praecepti non est ipsa lotio, sed id quod lotione (activa) significabatur, n. p. officia humilitatis et dilectionis proximo exhibenda. Reapse antiqua liturgia multarum ecclesiarum, imprimis ecclesiae romanae, nullam lotionem pedum habuit; Mediolani et in Gallia adhibebatur ut caeremonia accessoria post Baptismum [1]. Postea usus invaluit eam celebrandi in Coena Domini [2].

22 2°. Ex *Patribus* s. Ambrosius [3], auctor libr. *de Sacram.* [4] et s. Bernardus [5] ita loquuntur, ut videri posset, eos lotionem pedum pro vero sacramento habuisse. At vero:

a. Quum ex s. Augustino [6] constet, multos consuetudinem lotionis non voluisse recipere, alios eam abrogasse; quum auctor libr. *de Sacram.* diserte testetur, ecclesiam romanam lotionem pedum non habere, neque propterea reprehensione dignam esse [7], omnino incredibile est, s. Ambrosium ejusque imitatorem hunc ritum pro vero sacramento habuisse. Hoc posito, dicendum videtur, s. Ambrosium ejusque para-

[1] Cfr. DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, Ed. 3, p. 326. — [2] Prima hujus rei mentio, quae tamen usum antiquiorem supponit, habetur in conc. tolet. XVII, a. 694. — [3] *De myster.* c. 6, n° 32. — [4] Libr. III, c. 1, n° 4—7. — [5] Sermo *in Coena Domini*. — [6] Ep. 55 *ad Januar.* n° 33. — [7] L. c. n° 5.

phrastem lotionem pedum considerasse ut quoddam sacramentale, quo recens baptizatis impetrarentur gratiae abundantiores ad vincendam concupiscentiam [1].

b. S. Bernardus in sermone laudato agit de tribus sacramentis, i. e. „signis sacris", Baptismo, Eucharistia, lotione pedum, quam „sacramentum remissionis venialium peccatorum" appellat. At quum Baptismo et Eucharistiae aperte tribuat virtutem causandi gratiam, nullo modo dicit, lotionem operari gratiam vel saltem remissionem venialium. Lotionem hanc proponit ut sacrum signum, quo admonemur ut remissionem peccatorum venialium quaeramus, et quo simul certioramur hanc remissionem faciliter a Deo impetrari. Hinc ubi venit ad remedia, quibus venialia delentur, nullam lotionis mentionem facit. Igitur caeremoniam lotionis non nisi latiori et improprio sensu sacramentum vocavit [2].

23 **Scholion 3.** *Convenientia tum sacramentorum generatim, tum nostrorum septem sacramentorum.*

1°. Vix opus est dicere, Deum etiam alio modo quam per sacramenta nobis gratiam Christi elargiri potuisse, a. v. institutionem sacramentorum neque absolute, neque in hypothesi redemptionis et oeconomiae christianae vere et stricte necessariam fuisse. Nihilominus *institutio quorundam sacramentorum valde conveniens* dicenda est, quia multiplici ex capite congruebat, invisibilem gratiam per ritus sensibiles communicari [3]. Congruebat siquidem:

a. Ex parte *Christi*, qui visibili carne amictus, per visibilem passionem gratiam promeruit.

b. Ex parte *ecclesiae* quae, utpote societas externa, signis

---

[1] Auctor libr. *de Sacram.* id satis aperte dicit; eandem fuisse mentem s. Ambrosii suadetur ex aliis hujus patris effatis, ut videre est in nota, quam HURTER (*Opusc. ss. Patr.* 37, p. 66) ex editoribus Maurinis transscripsit. — [2] Cfr. FRANZELIN, *De Sacr. in gen.* Ed. 3, p. 287. — [3] Cfr. *S. Th.* III, 61, 1; *S. c. G.* IV, 56; *Cat. Conc. trid.*, p. 2, c. 1, n° 14.

visibilibus constitui et contineri indiget, secundum illud AUGUSTINI: „In nullum religionis nomen, seu verum seu falsum, homines coagulari possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur" [1]. Convenientissimum autem est, quod iisdem signis, quibus unitas externe manifestatur, interior sanctificatio perficiatur.

c. Ex parte *hominis*, qui ét natura talis est, ut per sensibilia ad spiritualia ascendere debeat, ét post peccatum non nisi difficulter spiritualibus intendit; cui proinde medicina coelestis aptissime sub sensibili involucro propinatur. Nonne ritus externus hic et nunc suscipiendus hominem efficaciter permovet ad necessariam dispositionem procurandam; nonne ritus celebratus nobis veluti pignus quoddam est gratiae vere acceptae? Merito itaque s. CHRYSOSTOMUS: „Si incorporeus esses, nuda tibi et incorporea dona [Deus] tribuisset, sed quia corpori conjuncta est anima, in sensibilibus spiritualia tibi largitur" [2].

2⁰. Posita congruentia quorundam sacramentorum in genere, 24
sequitur *convenientia septem sacramentorum nostrorum* [3]. Nam comparatione instituta inter vitam naturalem et supernaturalem, facile invenies, per septem sacramenta aptissime provideri spiritualibus necessitatibus tum singulorum hominum tum sacrae societatis, i. e. ecclesiae, qua talis.

Quinque priora sacramenta subveniunt necessitatibus singulorum, nam per Baptismum spiritualiter nascimur, per Confirmationem in virum perfectum excrescimus, per Eucharistiam continuo alimur, per Poenitentiam a peccatorum morbis sanamur, per Extremam Unctionem imbecillitas virium, ex peccato relicta, reparatur.

Duo reliqua sacramenta respondent necessitatibus ecclesiae qua talis, nam per Ordinem ecclesiae dantur idonei ministri

[1] *C. Faust.* l XIX, c. 11. — [2] *Hom. 82 in Mt.* n⁰ 4. — [3] *S. Th.* III, 65, 1; *S. c. G.* IV, 58; *Cat. conc. trid.*, 1. c. n⁰ 20.

ad regendam et sanctificandam plebem, per Matrimonium vero convenienti ipsius populi fidelis multiplicationi prospicitur [1].

Scholion 4. *De ordine sacramentorum ad invicem.* — Quaeri potest de ordine consuetae numerationis, de ordine dignitatis, de ordine necessitatis.

1°. *Ordinem quo sacramenta enumerari solent* esse convenientissimum, facile patet ex praedictis [2].

Quum individuum societatem natura praecedat, convenit primo numerare ea sacramenta, quae ordinantur ad bonum singulorum, deinde ea quae bonum societatis spectant. Hinc Ordo et Matrimonium ultimos locos obtinent, *Ordo* autem praeponitur *Matrimonio*, quia immediatius confert ad vitam spiritualem, propter quam sacramenta sunt instituta.

Ex sacramentis quae perfectionem singulorum respiciunt, primo numerantur ea, quae requiruntur per se, deinde vero quae requiruntur per accidens tantum, n. p. ad removendum obstaculum per accidens superveniens, qualia sunt Poenitentia et Extrema Unctio. *Poenitentia* autem, quum ipsum peccatum

---

[1] Convenientiam septem sacramentorum etiam acatholici nonnumquam agnoscunt Ita v. g. GOETHE in *Dichtung und Wahrheit*. Textum, quem prae longitudine excribere nequeo, invenies v. g. apud SCHANZ, *Apol.* III³, p. 364 et neerlandice in *De Katholiek*, 37 (1860) p. 29. — Etiam HARNACK scribit; „Es lässt sich nicht leugnen, dass der Katholicismus in seinen sieben Sacramenten ein pädagogisch sehr wirksames und eindrucksvolles Institut geschaffen hat, welches aber in Wahrheit nicht der Heilsgewissheit des Einselnen dient, sondern seiner Erziehung als Gliedes der Kirche". Et mox relatis argumentis, quibus s. Thomas convenientiam septem sacramentorum ostendit, addit: „Man mag diese Versuche belächeln, aber man wird doch nicht leugnen können, wie zweckmässig die Zusammenstellung von sieben Sacramenten ist, welche das Leben begleiten. Besonders ist die Einordnung des Ordo einerseits, der Ehe andererseits ein Meisterstück einer vielleicht unbewussten Politik" *(Dogmengesch.* III³, p. 485; 487). — [2] Cfr. *S. Th.* **65, 2.**

deleat, apte praecedit *Unctionem*, qua reliquiae peccatorum absterguntur.

Denique inter sacramenta, quae per se necessaria sunt ad perfectionem singulorum, primum locum habet *Baptismus*, quo vita spiritualis inchoatur, secundum *Confirmatio*, qua perficitur, tertium *Eucharistia*, qua vita, sive inchoata sive jam perfecta continuo alitur, et qua homo Deo, fini suo, intime conjungitur Ceterum in his tribus etiam observatur ordo historicus, nam Baptismus, Confirmatio et Eucharistia olim adultis uno tractu ministrari solebant; quod etiam hodie, si adjuncta permitterent, laudabiliter observaretur [1].

2⁰. *Ordinem dignitatis* [2] quod attinet, conc. trid. definivit: 26
„S. q. d., haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, a. s."[3]. Revera Eucharistia non una tantum, sed multiplici ratione aliis praecellit, unde merito a nostratibus „sanctissimum Sacramentum" appellari solet. Quinimo non immerito s. Thomas dixit, omnia sacramenta quodammodo ordinari in Eucharistiam sicut in finem.

Etiam reliqua sacramenta non sunt inter se aequalis dignitatis. Quis enim non videt, absolute loquendo Baptismum Poenitentiae, Ordinem Matrimonio praecellere, cet. Nihilominus verum est, quodlibet sacramentum habere peculiarem excellentiam, per respectum scil. ad proprium suum finem. Hinc in can. trid. adjecta fuerunt verba: „nulla ratione" [4]. Etsi enim Eucharistia sub diversis respectibus excedat v. g. Extremam Unctionem, ad auferendas reliquias peccatorum plus valet Unctio, unde sub hoc respectu non est infra Eucharistiam.

3⁰. Restat *ordo necessitatis* [5]. Institutio sacramentorum non 27
fuit necessaria; posita vero aliquorum sacramentorum institu-

[1] Cfr. *Rit. Rom.* Ordo Bapt. adult. in fine. — [2] Cfr. *S. Th.* I. c. 3. — [3] SESS. 7, *de Sacr. in gen.* can. 3. — [4] Cfr. PALLAVICINI, *Hist. du Conc. de Trente*, l. 9, c. 7, n⁰ 4. — [5] Cfr. *S. Th.* I. c. 4; SPRINGER, *Zur Frage der Heilsnotwendigkeit der Sakramente* in *Der Katholik*, 1917, I, p. 258.

tione per Christum, per se patet eorundem usum non esse aliquid indifferens aut superfluum. At non eadem est omnium sacramentorum necessitas.

Ordo et Matrimonium non pro singulis hominibus, sed pro ecclesia qua tali necessaria sunt. Ex aliis sacramentis Baptismus (in re aut in voto susceptus) absolute necessarius est relate ad omnes; et idem dicendum est de Poenitentia relate ad eos, qui post Baptismum mortaliter peccaverunt. Sed Confirmatio, Eucharistia et Ext. Unctio ex se (i. e. praecisa quaestione de praecepto sive divino, sive ecclesiastico) non absolute, sed moraliter aut relative tantum necessaria sunt, quatenus sine illis salus difficilius aut non ita convenienter obtineretur.

Canon trid.: „S. q. d., sacramenta N. L. non esse ad salutem necessaria sed superflua, et sine eis aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, a. s." [1]; canon hic ita intellegendus est: nullum sacramentum est superfluum seu inutile, sed omnia aut pro ecclesia qua tali aut pro singulis fidelibus necessaria sunt, sive absolute, sive moraliter; nemo tamen per solam fidem absque omni sacramento (in re aut in voto suscepto) salvatur.

Art. II.

DE SACRAMENTORUM PARTIBUS.

28 Quaeritur, num sacramentum, i. e. ipse ritus externus, ipsum signum sacramentale ex pluribus coalescat, num habeat *partes physicas*, quibus essentialiter perficitur; et responsio catholica est, sacramenta essentialiter conflari ex duobus, n. p. ex *rebus et verbis*, seu verius et accuratius: ex *materia et forma*.

1°. *Scriptura*, ubi aliquod sacramentum commemorat, duplex

[1] L. c. can. 4.

elementum assignare solet. Baptismus dicitur „lavacrum *aquae* in *verbo* vitae" [1]; Confirmatio, ita describitur: „*Oraverunt* pro ipsis, . . . tunc *imponebant manus* super illos" [2]; institutio Eucharistiae haec habet: „Accepit Jesus *panem* et *ait:* hoc est corpus meum . . . . Et accipiens *calicem* dedit eis *dicens:* hic est sanguis meus" [3]; de Extr. Unctione dicitur: „*Orent* super eum, ungentes eum *oleo*" [4].

2⁰. Eodem modo *ss. Patres*, ubi aliquod sacramentum de- 29
scribunt, saepe ex professo distinguunt *rem*, seu elementum, seu signum, et *verbum* seu orationem.

S. JUSTINUS de Eucharistia dicit: „Illam, in qua per *precem* ipsius [Christi] verba continentem gratiae actae sunt, *alimoniam* incarnati Jesu carnem et sanguinem esse edocti sumus" [5].

S. IRENAEUS: „Mixtus *calix* et factus *panis* percipit *verbum* Dei, et fit Eucharistia corporis et sanguinis Christi" [6].

S. CYRILLUS HIER. de Baptismo: „*Aqua* simplex s. Spiritus, Christi et Patris *invocationem* percipiens, vim sanctificationis consequitur" [7]. — Alibi de Eucharistia et Confirmatione dicit: „Sicut *panis* Eucharistiae post *invocationem* Spiritus s. non est communis panis sed corpus Christi, ita et sanctum istud *unguentum* [chrisma] non amplius commune unguentum est post *invocationem* sed Christi donarium et s. Spiritus, praesentia divinitatis ejus efficiens factum" [8].

S. GREGORIUS NYSS. de Eucharistia, Confirmatione et Ordine: „*Panis* est initio communis, sed ubi eum *mysterium* sacrificaverit, corpus Christi fit et dicitur. Sic mysticum *oleum*, sic *vinum* cum sint res exigui pretii ante *benedictionem*, post sanctificationem quae a Spiritu procedit, utrumque eorum excellenter operatur. Eadem item *verbi* vis etiam sacerdotem augustum et honorandum facit, novitate benedictionis a communitate vulgi segregatum" [9].

[1] *Eph.* 5, 26. — [2] *Act.* 8, 15—16. — [3] *Mt.* 26, 26—28. — [4] *Jac.* 5, 14. — [5] *I Apol.* 66. — [6] *Adv. haer.* V, 2, 3. — [7] *Cat.* 3, n⁰ 3. — [8] *Cat. myst.* 3, n⁰ 3. — [9] *Orat. in s. Bapt.*

S. AUGUSTINUS occasione effati dominici: „Vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis" haec scribit: „Quare non ait: mundi estis propter Baptismum quo loti estis, sed ait: propter verbum quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit *verbum* ad *elementum*, et fit sacramentum etiam ipsum tamquam visibile verbum. Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur" [1].

Hinc facile conficitur, a. patres res et verba considerasse ut partes essentiales horum saltem sacramentorum, et b. eos verba habuisse ut partem potiorem, perfectivam et consecrativam rei.

30 3°. *Doctores scholastici*, quum eliquata notione sacramenti, omnia sacramenta in unam seriem connumerassent, sibi rogare

[1] *Tract. in Jo.* 80, n° 3. Voces: „Et fit sacramentum etiam ipsum tamquam verbum", ita intellegendas puto: accedente verbo elementum seu aqua fit signum sacrum, fit veluti verbum visibile. Hoc ultimum adjicitur ut veritas ostendatur effati: „mundi estis propter *verbum*, quod locutus sum vobis". Mens Augustini haec est: mundati estis per Baptismum, et tamen verum est: mundati estis per verbum, nam ablutio non mundat nisi per verbum additum ejus significatio ita determinetur, ut sit ipsa veluti verbum materialisatum. — Ultimum incisum „non quia dicitur, sed quia creditur", non ita potest intellegi, ac si diceretur verbum in Baptismo vim suam mutuare a fide aut suscipientis aut ministri, nam Augustinus mox addit, „verbum fidei tantum valere [in Baptismo] ut etiam mundet infantem, quamvis nondum valentem credere"; alibi autem aperte docet, valere Baptismum collatum ab eo qui male credit. Sensus itaque est, verbum tantam vim habet non quatenus est flatus vocis mere materialiter prolatus, sed quatenus profertur ut verbum fidei objectivae, ut verbum sacrum, i. e. quatenus profertur cum intentione saltem faciendi quod facit ecclesia. Cfr. *Rech. de science relig.* 1919, p. 1 seq.; ERNST, *Die Ketzertaufangelegenheit*, p. 89 (in *Forschungen zur Christl. Litt. und Dogmengesch.* II, 1901).

coeperunt, num distinctio inter res et verba, quam pro quinque sacramentis (Bapt., Confirm., Euch., Ext. Unct., Ordine) Scriptura et patres tradiderant, etiam in duobus reliquis sacramentis applicationem haberet. Invenerunt autem tum in Poenitentia, tum in Matrimonio distingui posse duplex elementum, quorum alterum esset determinativum et perfectivum alterius. Nam in *Poenitentia*, ut habeatur processus judicialis cognitio causae, confessio scil. dolorosa, per sententiam absolutionis compleri debet. In *Matrimonio* vero consensus conjugum, quocumque modo exprimatur, necessario complectitur mutuam acceptationem hujus juris; evidens autem est, oblationem juris matrimonialis compleri, atque in esse veri contractus constitui per acceptationem [1].

His considerationibus ducti, scholastici antiquam distinctionem rei et verborum omnibus pariter sacramentis accommodare coeperunt; aut ita ut, retentis terminis, nomine *rei* intellegerent omne elementum incompletum et determinabile, nomine *verborum* quodcumque elementum determinans ac perficiens; aut praesertim ita ut, mutatis antiquis terminis, dicerent, quodlibet sacramentum ex *materia* et *forma* constare.

Novum hunc loquendi modum primus adhibuisse videtur Guilielmus Antissiodorensis, † 1223 [2].

4⁰. Voces *materia et forma*, a philosophia aristotelica 31
mutuatae, sacramentis in *sensu analogo* tantum applicantur; nam duo illa elementa de quibus locuti sumus, non efformant totum physicum, sed potius totum morale, concurrunt enim ad unum signum constituendum, ad unam eandemque significationem perfecte exprimendam.

---

[1] In hac explicatione sententiam communiorem, quam veram putamus, sequimur; alias sententias suis locis exponemus. — [2] Nam Patres si quandoque *formam* aut *formulam* sacramenti memorant, totum ritum externum intellegunt; cfr. v. g. S. AUGUST. *De pecc. mer. et remiss.* I. c. 34; *Conc. milev. II*, can. 2, DENZ. n⁰ 102.

Nihilominus termini sunt valde *apti*. Sane scholastici, quoties in aliqua re distinguere oporteret duplex elementum, quorum alterum esset determinativum et perfectivum alterius, nomina materiae et formae, partis aut elementi materialis et formalis, adhibere consueverunt. Atqui illud quod in sacramentis vocatur materia, sive sit substantia materialis, sive actio vel gestus humanus, semper est aliquid incompletum in ratione signi, quum non nisi confuse significet et ad varios fines adhiberi possit. Contra id quod vocatur forma significationem vagam materiae coarctat, materiam ad unum aliquid distincte significandum determinat, ita ut materia non nisi simul cum forma et per formam signum perfectum evadat. Profecto ablutio aquae peragi potest aut ad significandam mundationem animae, aut ad extergendas sordes corporales, aut ad refrigerandum, cet. Ut igitur omnibus christianis innotescere possit, lotionem, quam hic et nunc perago, non ad alios fines sed ad ablutionem animae referri, verba sacra accedere debent. Item unctio, ut ex ipsa comparatione Confirmationis et Ext. Unctionis patet, diversa significare potest: ut igitur in concreto aut largitionem Spiritus s., aut abstersionem reliquiarum peccati symbolizet, per verba formae determinari indiget.

Porro quum forma materiae adjiciatur, ut significatio fiat expressior et clarior, convenienter omnino institutum est ut forma sacramentorum consistat in *verbis* formalibus [1]; „verba

[1] Unica exceptio admittenda est pro sacramento *Matrimonii*, ubi nutus aut aliud signum, verbis aequivalens, locum verborum formalium supplere potest. Sacramentum Matrimonii etiam id sibi proprium habet, quod in eo materia et forma ab invicem non realiter, sed *virtualiter* tantum distinguantur, nam eadem verba (aut alia signa), quatenus significant mutuam oblationem juris conjugalis, habent rationem materiae, quatenus vero significant reciprocam ejusdem juris acceptationem habent rationem formae. Inferes doctrinam de materia et forma, ut sunt partes sacramentorum, in Matrimonio non nisi deficienter verificari, unde libenter assentior cl. GUTBERLET

enim inter homines obtinuerunt principatum significandi", quia conceptus nostros multo distinctius per verba quam per alia signa exprimere possumus [1].

Distinctio materiae et formae non solum apta est, sed etiam 32
valde *utilis* ad necessariam de sacramentis doctrinam explicatius tradendam, nam hac distinctione abhibita facilius et clarius exponitur, quid in singulis sacramentis ad validam et licitam confectionem requiratur, quid non. Hinc factum est, ut non solum theologi distinctionem hanc communi consensu acceperint, sed ipsa etiam ecclesia eam adoptaverit, praesertim in *Decr. pro Armenis*, ubi legitur: „Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum" [2]. Nihilominus mensuram excederet, qui thesim: omnia sacramenta N. L. ex materia et forma constant, dogmatibus fidei accensendam putaret.

5⁰. Ubi ad confectionem sacramenti adhibetur substantia 33
aliqua materialis, ut aqua aut panis, theologi distinguunt materiam remotam et proximam. *Materia remota* est ipsa substantia materialis secundum se, v.g. aqua; *materia proxima* est usus seu applicatio ejus, v. g. ablutio, unctio. Materiam proximam in quolibet sacramento invenies; materiam remotam, proprie dictam saltem, non ita.

dicenti: „Bei der Eheschliessung kann man allerdings auch eine Materie und Form nachweisen; man wäre aber nie dazu gekommen, wenn nicht die Analogie mit den anderen Sakramenten dazu drängte .... Indess ist dass kein Grund, eine Bestimmung, die bei allen anderen Sakramenten so wohl begründet und auch practisch wichtig ist, bei dem einzigen Sakramenten der Ehe nicht gelten lassen zu wollen" (*Dogm. Theol.* IX, p. 63).

[1] Cfr. *S. Th.* III, **60**, 6, c. — [2] DENZ. 695; cfr. etiam *Conc. trid.* S. 14, De poenit. cp. 2; *Cat. Conc. trid.*, p. 2, c. 1, n⁰ 15.

34 6°. Quum materia et forma sint partes constitutivae sacramentorum, inter se conjungi atque *uniri* debent, secus enim non possunt in unum signum perfectum coalescere. Porro sacramenta sunt aliquod totum morale, n. p. signum; hinc in singulis sacramentis ea materiae et formae conjunctio requiritur et sufficit, per quam *utraque pars, secundum communem hominum aestimationem, ad unam eandemque significationem concurrat.* Quum autem propria indoles sacramentorum multum differat, non eadem in omnibus conjunctio requiritur; qualis in singulis esse debeat, exponunt Moralistae.

35 *Corollarium. De decreto ad Armenos* [1]. — Videri posset, doctrinam de materia et forma sacramentorum, quum in decreto Eugenii IV ad Armenos clare contineatur, esse dogma fidei, aut saltem rem ab ecclesia definitam. Quum autem similis difficultas etiam alias in tractatu nostro occurrat, breviter indicare juvat, quae sit auctoritas hujus decreti, saltem quoad partem ejus quintam, quae de sacramentis agit.

Decretum ad Armenos, ab Eugenio IV „sacro approbante concilio florentino" editum est, unde certo certius est documentum *authenticum.* Nihilominus *non est documentum infallibile,* quia deerat intentio dandi definitionem dogmaticam. Scopus siquidem Eugenii et patrum erat, pro faciliori Armenorum instructione compendiose describere, quaenam in materia sacramentorum esset doctrina in scholis theologicis communiter admissa, quaenam praxis ecclesiae occidentalis; a. v. tradere voluerunt *schema instructionis practicae,* minime vero sententiam definitoriam. Hanc reapse fuisse mentem patrum constat ex sequentibus. a. Ipsum concilium in fine totius decreti distinguit „capitula, declarationes, diffinitiones, traditiones, praecepta, statuta, omnemque doctrinam descriptam"; atqui hac distinctione aperte significatur, plura in decreto contineri quae definita non sunt. Quum autem b. in

[1] Cfr. v. g. DENZ. 695. Integrum textum habes apud LABBE, *Coll. conc.* XIII, p. 530 seq.

aliis partibus manifestae prostent definitiones, ea pars quae de sacramentis agit ipsa sua indole e censu definitionis satis excluditur, nihil enim aliud est quam tractatus s. Thomae [1]. Porro quis sibi persuadebit, concilium integram hanc s. doctoris expositionem infallibili sententia sancire voluisse, idque absque praeviis deliberationibus synodalibus! Hinc c. etiam Commissio ex *Congreg. de propag. fide*, quae a. 1636—1640 de Euchologio graecorum emendando amplissime deliberavit, aperte censuit, eam partem decreti, de qua agimus, „definitionem de fide non continere", sed esse instructionem practicam [2].

Scholion. *De caeremoniis sacramentorum.* — Praeter 36
materiam et formam, quibus sacramenta essentialiter perficiuntur, etiam aliae in solemni sacramentorum administratione occurrunt orationes et ritus institutionis ecclesiasticae, qui *caeremoniae* vocari solent. De his tenendum est:

1°. Caeremonias *ab ecclesia institui et pro adjunctis immutari posse*. Docet siquidem conc. trid.: „hanc potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret" [3].

2°. Caeremonias *esse utiles*: inserviunt enim a. ad majorem sacramenti venerationem in ministro, suscipiente, adstantibus excitandam; b. ad gratiam, quae ritu essentiali confertur, distinctius et clarius significandam [4].

3°. Caeremonias *neque contemni aut pro libitu omitti, neque per quemlibet episcopum mutari posse*. Conc. trid.: „S. q. d., receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos

[1] Scil. altera pars opusc. *De artic. fidei et ecclesiae sacramentis*, nonnihil abbreviata et in paucis levissime immutata. — [2] Cfr. *Zeitschr. f. kath. Theol.* 1901, p. 562. — [3] S. 21, cp. 2. — [4] Cfr. *Cat. Conc. trid.* p. 2, c. 1, n° 18.

aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, a. s." [1].

CAPUT II.

De sacramentorum efficacia.

37 Propria ratio sacramenti est, quod sit ritus externus *causans gratiam*. Igitur ad quaestionem de efficacia sacramentorum duo pertinent: factum quod ritus externus gratiam causat, et natura ipsius gratiae quam causat. Quum autem tria sacramenta, praeter gratiam alium adhuc effectum producant n. p. characterem, habes tres articulos, primum de *causalitate sacramentorum*, alterum de *gratia sacramentorum*, tertium de *charactere sacramentorum*.

Art. I.

DE CAUSALITATE SACRAMENTORUM [2].

38 **Doctrina protestantium.** Reformatores, quum internam hominis sanctificationem per donum creatum gratiae non admitterent, et praeterea docerent justitiam Christi per solam fidem (specialem promissorum) apprehendi, hominibusque applicari, necessario concludere debuerunt, nullum sacramentum esse causam instrumentalem gratiae aut sanctificationis. Quid igitur? Missis iis, qui asserebant sacramenta nihil aliud esse quam signa, quibus christiani a non-christianis discernantur, vel symbola, quibus quis fidem suam in Christum coram ecclesia profiteatur, summa doctrinae lutheranae et praesertim calvinianae [3] huc redit.

[1] S. 7, can. 13. — [2] *S. Th.* III, **62**; cfr. C. v. SCHÄZLER, *Die Lehre von der Wirksamkeit der Sakramenten ex opere operato in ihrer Entwicklung*, u. s. w. (1860). — [3] Dico: „praesertim calvinianae", nam doctrina Lutheri nonnihil incerta est, unde etiam lutherani admittunt, infantes per ipsum Baptismum regenerari.

Deus sacramenta instituit, ut per ea *expressius* quam per sola verba evangelii, et *unicuique singulatim* confirmet ac veluti obsignet promissisonem suam non imputandi peccata, et in aeternum salvandi omnes qui credunt in passionem Christi. Valent igitur ad nutriendam seu *augendam fidem* suscipientis in Christum ejusque crucem, nihil ultra; sed fides, quam sacramenta (facilius et fortius quam solum verbum praedicationis) excitant, hominem justificat seu de Christo ejusque bonis participare facit.

Hinc patet, quare reformati verbum et sacramenta „media gratiae" nuncupent, et simul doceant, tum in verbo audito vel lecto, tum in ipsis sacramentis susceptis solam fidem justificare. Num vero dicendum sit Spiritum Sanctum fidem hanc excitare per sacramentum, aut in sacramento, aut cum sacramento; num eam semper offerat omnibus sacramentum suscipientibus, non ita liquet.

Patet insuper, quare secundum protestantes verba seu formae sacramentorum dicenda sint *concionatoria* et *promissoria* tantum, minime vero consecratoria, i. e. productiva gratiae, nam brevissimae concionis instar fidem excitant, et promissiones divinas in mentem revocant [1].

[1] En doctrinam *Cat. Heidelberg qu. 65:* Aangezien dan alleen het geloof ons Christus en al zijn weldaden deelachtig maakt, vanwaar komt zulk geloof? — Van den h. Geest, die het geloof in onze harten werkt door de verkondiging van het h. Evangelie, en het sterkt door het gebruik der Sacramenten. — *Qu 66:* Wat zijn Sacramenten? — De Sacramenten zijn heilige, zichtbare waarteekenen en zegelen, van God ingezet, opdat hij ons door het gebruiken derzelve de belofte van het Evangelie des te beter te verstaan geve en verzegele, n l. dat hij ons om het eenig slachtoffer van Christus aan het kruis volbracht, vergeving der zonden en het eeuwig leven uit genade schenkt. — *Qu. 67:* Zijn dan beide het Woord en de Sacramenten daarheen gericht of daartoe verordend, dat ze ons geloof op de offerande van J. C. aan het kruis als op den eenigen grond onzer zaligheid wijzen? — Ja toch, want de h. Geest leert ons in het Evan-

Doctrinam reformatorum adhuc extenuarunt *modernistae* asserentes: „sacramenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam" [1].

39 **Doctrina catholica.** Assertionibus reformatorum conc. trid. haec opposuit. Sacramenta N. L. non sunt nuda symbola professionis christianae, nec nuda signa justitiae acceptae; non sunt instituta propter solam fidem nutriendam, sed *continent gratiam*, quam significant ipsamque *gratiam omnibus non ponentibus obicem semper conferunt*; neque illud contra obvium ac naturalem verborum sensum ita intellegere fas est, ac si sacramenta gratiam dent mediante fide, quam excitarent, nam *ipsa sacramenta* eam *ex opero operato* conferunt. Contra sola fides divinae promissionis ad gratiam consequendam non sufficit [2].

Plura ex his explicatione indigent.

gelie en verzekert ons door de Sacramenten, dat onze volkomene zaligheid in de eenige offerande van Christus staat, die voor ons aan het kruis geschied is."

[1] Decr. *Lamentabili*, No. 41. — [2] *Conc trid.* S. 7. *Can.* 5: „S. q. d., haec sacramenta *propter solam fidem nutriendam* instituta fuisse, a. s." — *Can. 6:* „S. q. d., sacramenta N. L. *non continere gratiam* quam significant, aut *gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre*, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, a. s." — *Can 7:* „S. q. d., non dari gratiam per hujusmodi sacramenta *semper et omnibus, quantum est ex parte Dei*, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus, a. s." — *Can 8:* „S. q. d., per ipsa N. L. sacramenta *ex opere operato* non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere, a. s." — Canon septimus, quo edicitur, sacramenta semper et omnibus ea (non solum valide sed etiam) digne suscipientibus gratiam conferre, additus est propter art. 5 *Confess. august.:* „Per verbum et sacramenta tamquam per instrumenta donatur Spiritus s., qui fidem efficit, *ubi et quando visum est Deo*, in iis qui audiunt evangelium". Cfr. THEINER, *Acta Conc. trid.* I, p. 384.

1⁰. Non negatur, sacramenta esse signa distinctiva professionis christianae et pignora gratiae (per ea acceptae aut accipiendae); item non negatur, ea fidem nutrire posse, sed edicitur hisce non comprehendi finem proprium ac principalem, propter quem sacramenta instituta sunt.

2⁰. Verba *continere* et *conferre gratiam* adhibita sunt, ut 41
causalitas sacramentorum energice assereretur. Itaque sacramentum est *causa* gratiae, quam significat; non causa intrinseca (materialis aut formalis) sed extrinseca, seu talis a qua gratia pendet tamquam ab exteriori principio. Rursus sacramentum non est causa gratiae exemplaris aut finalis aut meritoria [1], sed *causa efficiens*, quae n. p. per suam operationem est principium exsistentiae gratiae in anima: confert gratiam suscipientibus.

Causa autem efficiens duplex est: *principalis*, quae virtute suae formae, virtute propria, i. e. habente esse completum in ipsa, operatur effectum sibi proportionatum [2]; et *instrumentalis*, quae non virtute suae formae, sed tantum ex motu transeunte principalis agentis operatur ad productionem effectus, qui non ipsi, sed causae principali proportionatur, sicut calamus operatur ad epistolam, cithara ad melodiam, culter ad operationem chirurgicam.

Manifestum autem est, sacramentum non esse causam principalem gratiae, sed *instrumentalem* tantum, quod ceteroquin a conc. trid. aperte docetur [3]. Igitur gravissime errant protestantes, quando dicunt, Deum secundum catholicos vices suas sacramentis resignasse, ac si sacramentum loco Dei gratiam infunderet. Numquid chirurgus locum suum cultro

[1] Cfr. *conc. trid.* S. 6, cap. 7. — [2] Cave, ne causam *principalem* confundas cum causa *prima*. De ratione causae principalis non est, ut agat virtute, quam habet *a se* et non alio, sed solum ut virtus qua agit, habeat *esse completum et permanens in ipsa*. Porro etiam causae secundae talem virtutem, sive naturalem sive supernaturalem, habere possunt, utique aliunde acceptam. — [3] S. 6, cap. 7.

tradit? Quanto minus Deus, qui non necessitate, sed libere et propter nostram utilitatem sacramenta adhibet tamquam instrumenta ad gratiam conferendam!

Post haec facile intellegitur, quo sensu conc. trid. post decretum ad Armenos [1] dicat, sacramenta *continere* gratiam. Gratia siquidem continetur seu est in sacramentis, non sicut liquor est in vase, neque sicut habitus est in subjecto, sed eo modo quo effectus est in causa instrumentali; a. v. gratia continetur in sacramento non formaliter, sed virtualiter, secundum virtutem instrumentalem tantum [2].

Vides sensum can. 6 non esse alium quam hunc: sacramenta non tantum sunt signa gratiae, sed etiam causae ejus. Et idem intendebant Patres, quando sacramenta vocabant „vasa gratiae". Nonne Scriptura instrumenta musica „vasa cantici", et gladium „vas interfectionis" nominat, nonne de cibo venenato dicitur: „mors est in olla, vir Dei" [3]?

42 3°. Si sacramenta gratiam continent, quia a Deo stabili lege instituta sunt causae ejus instrumentales, statim sequitur, ea, *quantum est ex parte Dei*, semper et omnibus gratiam conferre. Numquid absolute sequitur, gratiam semper infundi, quando sacramentum valide ministratur? Minime. Nullum activum effectum suum inducere potest in passivo, nisi illud ita dispositum sit, ut effectum suscipere queat. Cogita statuarium utensilia sua applicantem ferro durissimo. Hinc conc. trid. aperte profitetur, sacramenta de facto gratiam conferre *„non ponentibus obicem"* tantum, i. e. illis, qui *„rite ea suscipiunt"*.

[1] Ubi legitur: „Illa [sacramenta V. L.] non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt". DENZ. n° 695. — [2] Cfr. *S. Th.* III, **62**, *3*. — Immerito igitur scribit Dr. BAVINCK: „Zij [de katholieken] leeren, dat de genade als iets zakelijks in het teeken ingegaan en vervat is; . . . als iets materieels in het sacrament besloten ligt" (*Geref. Dogmatiek*, IV, p. 232 et p. 220). — [3] *Amos*, **6**, 5; *Ezech.* **9**, 1; *IV Reg.* **4**, 40.

Distingui solet *obex sacramenti*, qui impedit quominus sacramentum valeat, seu ut sacramentum exsistat, impedit quominus ritus celebratus sit reapse sacramentum Christi, ut v. g. sexus femineus respectu Ordinis, inhabilitas personae respectu Matrimonii, cet.; et *obex gratiae*, qui impedit quominus sacramentum, valide susceptum, gratiam producat, et est indispositio moralis, voluntas scil. aut actualiter aut habitualiter rei mortaliter malae adhaerens, uti suo loco explicabimus.

Conc. autem trid. loquitur de *obice gratiae*, qui solus simpliciter et sine addito obex dici solet. Docet igitur affluxum gratiae impediri, quoties sacramentum non rite, seu indigne recipitur, quoties subjectum indispositionem opponit. Errant proinde protestantes, quando dicunt, ex sententia catholicorum sacramenta „magice", i. e. absque respectu ad internas hominis dispositiones operari [1], aut nullum in subjecto requiri „bonum motum"; nam necessaria dispositio absque bonis motibus non habetur. Errant adhuc quando dicunt, dispositionem requisitam saltem esse aliquid „mere negativum", nam fides, spes, attritio, quae in adultis adesse debent ne obicem habeant, plures actus moraliter bonos, proinde praeparationem positivam, important.

Unum remanet, actus boni suscipientis non sunt causa infusionis gratiae sacramentalis, non merentur gratiam sacramentalem, neque de condigno neque de congruo sed requiruntur ut subjectum fiat aptum ad gratiam, quae sacramenti effectus est, in se recipiendam. Habent igitur respectu gratiae sacramentalis rationem *conditionis sine qua non*, nihil ultra [2].

[1] Ceterum sacramentis vim *magicam* tribuere aperta blasphemia est; magia est crimen, quo miri effectus producuntur ope *daemonis!* — [2] Consulto dicimus, actus bonos subjecti non esse causam gratiae *sacramentalis*, non mereri gratiam *sacramentalem*, respectu gratiae, *quae sacramenti effectus est*, habere rationem merae conditionis. Ex tractatu *de Gratia* (n° 130) constat, dari dispositionem, quae infusionem gratiae de congruo meretur, quae proinde plus est quam conditio sine

43 4°. Praedictis universa doctrina ecclesiae de causalitate sacramentorum jam continetur; nihilominus patres trident. pauca addiderunt, tum ut subdola interpretatio assertorum efficacius excluderetur, tum ut veritas catholica ope termini technici nervosius exprimeretur. Potuisset siquidem aliquis protestantismi fautor dicere: concedo, sacramenta esse causas gratiae; concedo, ea infallibili lege gratiam conferre omnibus obicem non ponentibus; sed simul contendo, ea gratiam non conferre nisi mediante fide, quam in susceptoribus obicem non ponentibus infallibiliter excitant: sacramenta causant fidem, fides causat gratiam, et ita semper verum manet etiam in ipsis sacramentis solam fidem justificare! Profecto, fuisset explicatio satis contorta, praesertim quia jam definitum erat, sacramenta non propter solam fidem nutriendam instituta esse; nihilominus utilissimum erat ut diserte eliminaretur. Adjectum igitur est „per ipsa N. L. sacramenta *ex opere operato* conferri gratiam", et „solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam [non] sufficere".

44 Terminus *ex opere operato*, et alius qui ei opponitur *ex opere operantis* primum adhibiti esse videntur a Petro picta-

---

qua non, et causa infusionis gratiae vocari potest. Et est actus charitatis aut contritionis *perfectae*. Perfecta haec dispositio, quum plus faciat quam auferre obicem, ad fructuosam sacramenti susceptionem non requiritur Nihilominus optima est et valde exoptabilis etiam in iis, qui se ad sacramentum suscipiendum praeparant. Fac igitur perfectam hanc dispositionem reapse inveniri in eo, qui sacramentum v. g. Baptismi suscipit, nonne meretur gratiae infusionem? Utique, sed gratia, quae ex merito hujus perfectae dispositionis datur, distinguenda est a gratia quam confert sacramentum, non est effectus sacramenti, a. v. non est gratia sacramentalis. In casu exposito baptizandus duplicem ut ita dicam mensuram gratiae accipiet, aliam ex merito suae dispositionis (ex opere operantis). aliam ex sacramento administrato (ex opere operato). Igitur qualiscumque sit dispositio subjecti, respectu *illius gratiae, quae sacramenti effectus est*, habet rationem conditionis tantum,

viensi († 1205), et diu ante conc. trid. in scholis theologicis significationem ratam et fixam habebant. Sciendum autem est participium „operatum" sumi in sensu passivo [1].

Opus operatum ex usu theologico significat ipsum opus objectivum, consideratum secundum se, praecisa omni consideratione valoris moralis aut meriti, quod habet aut habere potest ex parte hominis operantis. *Opus operantis* est opus subjective sumptum, opus quatenus ex parte subjecti elicientis habet valorem moralem. Proinde ubi sermo est de sacramentis, *opus operatum* nihil aliud est quam ipsum signum sacramentale valide positum, ipse ritus sacramentalis administratus secundum institutionem Christi; *opus operantis* sunt actus (ministrantis aut) suscipientis quatenus habent valorem moralem aut meritum. Porro cum causalitas ex opere operato opponatur causalitati ex opere operantis, affirmatio unius est negatio alterius.

Itaque dicendo, ipsa sacramenta N. L. gratiam conferre ex opere operato, patres trident. docuerunt, gratiam sacramentalem *causari per ipsum ritum externum valide applicatum qua talem*, et eam nullo modo causari per bonos motus aut bonos actus ministri vel suscipientis.

Et ita efficacissime eliminarunt causalitatem fidei protestanticae, quae utique esset ex opere operantis, et causalitatem ipsius sacramenti, nulla fide mediante, brevi vocabulo sanxerunt[2].

Concludimus cum cl. BILLOT: „Cum ergo dicuntur sacra-

[1] Participia verborum deponentium saepius tum apud auctores sacros, tum apud ipsos classicos passive sumuntur. Igitur formula *ex opere operato* non tam „barbara" est, ut propterea rejicienda esset. — [2] Perperam aliqui catholici (Möhler, Vosen, Hilgers) „opus operatum" intellexerunt opus, quod Christus operatus est in cruce. Verissimum est, sacramenta vim suam habere ex opere et meritis Christi quae applicant, sed falsum est hanc veritatem enuntiari per formulam tridentinam: sacramenta ex opere operato gratiam conferunt. Talis interpretatio et usui historico formulae nostrae et scopo patrum tridentinorum adversatur.

menta gratiam conferre ex opere operato, sensus est quod causant illam, *non* in quantum subsunt virtuti hominis ministrantis, *neque* in quantum nata sunt excitare fidem in suscipiente, sed *pure et simpliciter secundum quod sunt instrumenta Dei sanctificatoris*", quin tamen ullo modo excludatur necessitas illius dispositionis, quae animam susceptibilem reddat gratiae" [1]. — In hunc ita sensum sit:

45 PROP. **Sacramenta N. L. gratiam conferunt ex opere operato.**

Propositio, quae *dogma fidei* est, non potest hoc loco universaliter, i. e. pro *omnibus* septem sacramentis probari; ostendemus igitur saltem quaedam sacramenta ex opere operato gratiam conferre. Et haec probatio, quae infra, ubi de sacramentis singulatim agitur, complenda erit, sufficere potest contra protestantes, qui tenent, nullum exsistere ritum gratiam ex opere operato conferentem.

46 *Probatur.* 1°. Ex *s. Scriptura.* — „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei" [2]. — „Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum ... in remissionem peccatorum" [3]. — „Exsurge et baptizare et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius [4]. — „Christus dilexit ecclesiam, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae" [5]. — „Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s. [6].

„Imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum s. Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus s., obtulit eis pecuniam" [7].

„Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.... Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam;.... in me manet et ego in eo.... Qui manducat me et ipse vivet propter me" [8].

[1] *De Sacr.* I[3], p. 63. — [2] *Jo.* **3**, 5. — [3] *Act.* **2**, 38. — [4] *Act.* **22**, 16. — [5] *Ephes.* **5**, 26. — [6] *Tit.* **3**, 5. — [7] *Act.* **8**, 16—18. — [8] *Jo.* **6**, 52—59.

„Admoneo te, ut resuscites gratiam. quae est in te per impositionem manuum mearum" [1].

Atqui his textibus *causalitas* ritus externi respectu gratiae ita docetur, ut sine terminis philosophicis vix apertius exprimi possit. Causalitatem *instrumentalem* tantum intellegi, habes ex verbis: „Salvos nos fecit [salvator noster Deus] per lavacrum regenerationis" cet.; minime excludi *necessitatem dispositionis* insinuant tum verba: „Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque," tum haec alia: „Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Si credis ex toto corde licet" [2].

Neque fas est, intellegere causalitatem mediatam in sensu reformatorum, qua scil. ritus externus gratiam conferret *mediante fide*, nam: 47

a. Talis explicatio, quae a sensu naturali et obvio tantopere recedit, ut cum verbis Scripturae non nisi aegerrime componeretur, non est admittenda nisi valide probetur. Argumenta autem a protestantibus allata, non valent [3]. Praeterea:

b. Hujusmodi explicatio positive excluditur tum per ea, quae Scriptura docet de differentia nostrorum sacramentorum cum sacramentis V. L. et baptismate Joannis, tum per intellectum traditionalem antiquissimae ecclesiae. *Primum* quod attinet, s. Paulus sacramenta vetera, quae fidem in Christum excitabant et ita ex opere operantis gratiam conferre poterant, „infirma et egena elementa" nominat [4], utique per oppositionem ad sacramenta nostra. Baptismus autem Joannis ideo infra baptismum Christi ponitur, quia erat „baptismus poenitentiae", „baptismus in poenitentiam" [5], i. e. signum ad excitandam poenitentiam, qua remissio peccatorum impetra-

[1] *II Tim.* 1, 6. — [2] *Act.* 8, 36—37; cfr. *Mc.* 16, 16. — [3] Provocant ad *Mc.* 16, 16; *Ephes.* 5, 26 „in verbo vitae"; *I Petr.* 3, 21; maxime vero ad illos locos Scripturae, ubi homines justificari aut salvari dicuntur „ex fide" „per fidem" cet., de quibus agitur in tract. *de Gratia* n° 131. — [4] *Gal.* 4, 9. — [5] *Luc.* 3, 3; *Mt.* 3, 11.

retur. Porro si finis principalis et directus nostrorum sacramentorum non esset alius quam excitare bonos motus, ejusdem ordinis ac naturae essent ac sacramenta vetera et baptisma Joannis. — Quoad *alterum:* antiquissima ecclesia etiam infantes baptizavit, et persuasionem habuit eos absque omni bono motu per solum ritum externum regenerari seu sanctificari; ergo non admisit effectum gratiae mediante fide produci.

48 2°. Ex *Traditione.* — SS. Patres causalitatem sacramentorum ex opere operato docuisse, patet ex sequentibus.

a. Patres effectum gratiae *ipsi ritui externo tribuunt,* nulla facta mentione fidei intermediae. TERTULLIANUS: „Caro abluitur ut anima emaculetur" [1], cet.; et: „Carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur"; et: „Nonne mirandum est lavacro dilui mortem?" [2] — S. AUGUSTINUS: „Non eorum meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constat baptismus, sed propria sanctitate atque veritate propter eum, a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem" [3].

49 **b.** Patres regenerationem ex aqua baptismi *comparant cum generatione ex utero materno,* cum *generatione Christi ex utero Virginis,* cum *foecunditate primitus aquis data.* S. CYRILLUS HIER.: „Eodem momento [baptismi] et mortui et nati estis, illaque unda salutaris et vobis sepulchrum et mater effecta est" [4]. — S. CHRYSOSTOMUS: „Quod est matrix embryoni hoc est aqua fideli, in aqua enim fingitur et formatur. Primum dicebatur, producant aquae reptile animae viventis, ex quo autem Jordanis fluenta ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas

---

[1] *De resurr. carnis,* 8, cfr. supra n° 19. — [2] *De bapt.* 4 et 2. — [3] *C. Crescon.* l. IV, 16, 19. — [4] *Cat. mystag.* 2, 4.

rationales, Spiritum s. ferentes, aqua producit" [1]. — S. LEO: „Factus est [Filius Dei] homo nostri generis, ut nos divinae naturae possimus esse consortes. Originem quam sumpsit in utero virginis, posuit in fonte baptismatis; dedit aquae quod dedit matri; virtus enim altissimi et obumbratio Spiritus s., quae fecit ut Maria pareret salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem" [2].

c. Patres docent, ritum externum *sanctificare praesentia* 50
Spiritus Sancti. TERTULLIANUS: „Supervenit statim Spiritus de coelis et aquis superest, santificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt" [3]. — S. CYRILLUS HIER.: „Sanctum istud unguentum non amplius commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium et sancti Spiritus, praesentia divinitatis ejus, efficiens factum" [4]. — S. EPHREM: „Divini Spiritus in igne figuram agnoscito, permiscetur aquis ut eas ad expiationem elevet, pani se infundit, ut in hostiam sacrificii transferat" [5]. — S. BASILIUS: „Si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquae natura, sed ex Spiritus praesentia" [6]. — CYRILLUS ALEX.: „Quemadmodum infusa lebetibus aqua, si admoveatur igni vehementi, vim ejus accipit, ita Spiritus operatione sensibilis aqua ad divinam quandam et ineffabilem vim transformatur, omnesque in quibus fuerit, sanctificat" [7].

Atqui his omnibus causalitas ex opere operato aequivalenter continetur. Fatemur utique plura patrum effata esse metaphorica, sed ipse usus hujusmodi metaphorarum ostendit, patres nullo modo fuisse in sententia reformatorum.

Scholion 1. *De natura causalitatis sacramentorum sententiae* 51

[1] *Hom. in Joem.* 26, n⁰ 1; cfr. S. GREG. NYSS. *Serm. in s. bapt.* — [2] *Serm. 5 in nativ. Dom.* n⁰ 5.; cfr. S. AMBROS. *De myst.* n⁰ 59. — [3] *De bapt.* 4. — [4] *Cat. myst.* 3, 3. — [5] *Adv. scrutat.* Sermo 40 (*Opp. Syr. Lat.* III, p. 72). — [6] *De Spir. S.* c. 5, n⁰ 35. — [7] *In Joem.*, 3, 5.

theologicae [1]. — Fides habet gratiam sacramentorum non ex opere operantis, sed ex opere operato conferri, proinde rationem causalitatis respectu infusionis gratiae, sub Deo, soli sacramento esse tribuendam, non meritis ministrantis, neque bonis motibus suscipientis. Hoc autem posito statim exsurgit quaestio, *quomodo causalitas illa sacramentorum concipienda sit.* Constat utique eam non esse principalem, sed quodammodo *instrumentalem;* ceterum de propria ejus natura multum inter ipsos catholicos disputatur.

52 **1°. Causalitas improprie dicta.** Tempore s. Thomae multi docebant, ipsum sacramentum stricte loquendo nihil operari ad gratiae infusionem, sed *solum* Deum illam efficere *ad positionem sacramenti.* Deus siquidem decrevisset et ecclesiae notificasset, se nullo mediante instrumento infusurum esse gratiam, quoties ritus sacramentalis valide applicaretur non ponentibus obicem. Sacramentum esset veluti nummus plumbeus, aut schedula chartacea *nullius valoris interni,* ad cujus exhibitionem Deus vi ordinationis semel statutae gratiam largiretur. Vides in hac theoria nullum sacramento competere influxum causalem, ne instrumentalem quidem; stricte loquendo sacramentum est signum gratiae tantum, non causa; sed quia Deus signo infallibiliter *assistit,* i. e. quia gratiam infundit ubi signum ponitur, et eam non infundit ubi non ponitur, latiori sensu causa vocari potest, sed verius diceretur conditio sine qua non.

Sententiam hanc, cui s. Bonaventura aperte favet [2], postea propugnarunt Scotus [3], Durandus, Biel, cet.

---

[1] Cfr. BUCCERONI, *Comment. de Sacram. causalitate,* 1889; REINHOLD, *Die Streitfrage über die physische oder moralische Wirksamkeit der Sakramente .... kritisch dargestellt,* 1889; P. HUGON, *La causalité instrumentale en Théologie,* 1909. — [2] *In IV Sent.* d. 1, p. 1, q. 4, concl.: „Huic positioni pietas fidei non contradicit et ratio consentit." — [3] *In IV Sent.* d. 1, q. 5: cfr. REINHOLD, l. c. p. 24—27.

Nimium foret asserere, conc. trid. hanc theoriam condemnasse: generalis intentio patrum erat insectari haereticos, non dirimere scholarum controversias; praeterea, si canones supra relatos attente perlegeris, facile videbis eorum acumen non in theoriam praedictam, sed in assertiones reformatorum dirigi. Negari tamen nequit, eam cum doctrina conc. trid. difficilius componi, nam formulae *continere* et *conferre gratiam* ultra mensuram extenuari videntur, si ad meram causalitatem impropriam reducuntur. Hinc post conc. trid. vix aliquem inveneris, qui verum influxum causalem sacramentis abjudicare auserit. Schola autem scotistica ad sequentem explicationem convolavit.

53 2°. **Causalitas moralis.** Duce praesertim card. de Lugo [1] permulti theologi docent, sacramenta vere aliquid operari ad gratiae infusionem, sed ea agere non in animam suscipientis, sed *in Deum*, quem *intrinseco suo valore efficaciter permovent*, ut solus per se ipsum gratiam physice producat Sacramenta, aiunt, quum a Christo instituta sint et ex persona Christi ministrentur, moraliter sunt actiones Christi, hinc habent magnam dignitatem et aestimabilitatem intrinsecam seu objectivam. Hac autem dignitate seu bonitate morali insita Deo praebent rationem gratiam largiendi, et hoc sensu Deum movent. Comparari igitur debent non nummo plumbeo, ad cujus praesentiam merces dantur ob solam aestimationem ejus a quo procedit, sed nummo aureo, qui ipse valore intrinseco vendentem permovet ad mercem solvendam. Sunt proinde *verae causae*, sed causae *morales* tantum.

Porro quum valorem insitum, quo movent, habeant a Christo, a quo moraliter procedunt, merito dicuntur *instrumenta Christi*, instrumenta scil. quibus Christus-homo utitur ad infusionem gratiae, applicationem meritorum suorum, a Patre impetrandam. Quum humanitas Christi cum omnibus actibus, ab ea aut physice aut moraliter (ut sacramenta) procedentibus, sit veluti instrumentum, quo Deus utitur primo

[1] *De Sacr. in genere*, disp. 4, s. 4.

ad gratiam merendam, deinde ad ejus applicationem sollicitandam, sacramenta iterum merito dicuntur *instrumenta Dei* ad sanctificandos homines. Et ita jure vocantur *causae instrumentales morales* [1]. In probationem imprimis adducitur *I Petr.* 3, 21.

54 Sententia haec sine dubio probabilis dicenda est, nihilominus duplici praesertim premitur difficultate.

a. Minus bene salvat causalitatem sacramentorum *instrumentalem*, quam conc. trid. aperte docet [2]. Instrumentum est, quod ut motum a principali agente, operatur ad effectionem rei; mediat igitur inter causam efficientem principalem et ipsum effectum. Atqui valor ille objectivus, qui sacramentis inesse dicitur, non mediat inter Deum ut largitorem gratiae et ipsam gratiam. Sacramentum, si insita dignitate Deum moveret, potius dicendum esset causa meritoria aut impetratoria infusionis gratiae.

b. Gravius est, quod *valor ille objectivus* seu insitus sacramentorum *non videtur consistere*. Sacramentum est ritus celebratus, ergo actio aliqua aut complexus actionum. Actio considerata subjective i. e. ut elicita a tali persona, potest habere valorem seu dignitatem moralem, sed haec dignitas in sacramentis non attenditur. Ea autem praecisa, impossibile videtur inveniri in actione verum aliquem valorem moralem, sive magnum sive parvum. Dicitur, Christum meruisse, ut actiones sacramentales, jussu et nomine ipsius celebratae haberent valorem insitum. Gratis asseritur; et donec explicetur, quomodo actio aliqua possit habere valorem insitum independentem a principio eliciente, omnino negandum videtur. Dicitur adhuc: sacramenta, quum sint moraliter actiones

[1] Explicatio causalitatis moralis, quam supra exhibuimus, ea est quae communius admittitur (de Lugo, Franzelin, Hurter, Egger, Pesch, Sasse, Lahousse, Mannens.); dantur tamen et aliae explicationes, quas videre est apud REINHOLD, l. c. p. 40 seq. — [2] S. 6, cap. 7.

Christi, ab ipso Christo intrinsece dignificantur, non secus ac operationes propriae humanitatis ejus. Sed nulla est aequalitas. Actiones humanitatis assumptae, quum fuerint in persona, necessario participabant dignitatem personae; actiones aliorum, utut nomine Christi positae, quum sint extra personam Verbi, non possunt ab eo intrinsece dignificari.

Num igitur actiones sacramentales, quae reapse ex persona Christi ponuntur, nullum exinde trahant valorem moralem? Distinguo: valorem intrinsecum seu insitum, a dignitate et meritis ipsius Christi distinctum: nego; valorem extrinsecum et repraesentativum, quatenus, ipsae per se sine valore, repraesentant infinita merita Christi: conc. — Sed hujusmodi valor extrinsecus ad veram causalitatem moralem non sufficit, nam per eum sacramenta non sunt nummi aurei, sed plumbei tantum, divitias regis non continentes, sed repraesentantes.

3°. Causalitas physica. S. Thomas [1] (uti saltem videtur), 55
Cajetanus et Thomistae generatim, praeterea Suarez, Bellarminus, cet. docent, sacramenta esse causas gratiae instrumentales in sensu obvio et naturali, quia *ex motu aut influxu Dei physice i. e. efficienter gratiam causant in anima* Admittunt igitur, Deum sacramentis, quando ponuntur, imprimere virtutem supernaturalem, qua sub ipso et per ipsum valeant ad gratiam producendam; sed haec virtus, eo ipso quod instrumentalis est, non habet in sacramentis esse completum sed incompletum tantum. Sunt qui eam intellegunt ut qualitatem supernaturalem fluentem, quam Deus primum (prioritate naturae) ritui externo adderet, deinde adhiberet; sed alii melius ponunt, virtutem illam nihil aliud esse quam ipsum motum quo Deus sacramenta adhibet, ac . ordinat ad gratiam conferendam [2]. Motus ille divinus comparari potest cum

[1] *S. Th.* III, 62, 4; contra eos, qui putant s. Thomam causalitati morali favere lege v. g. REINHOLD, l. c., p. 136. — [2] Ita Cajetanus et Suarez (In III, 62, 4), quamvis non omnino conveniant.

motu et directione, quae penicillo imprimitur a pictore, et qua ipse penicillus imaginem hominis producit in pariete; comparari potest cum virtute, quam sonitus materiales ab intellectu accipiunt ad excitandas ideas in mente audientium. Dico: comparari potest; etsi enim modus quo Deus per sacramenta operatur analogiam quandam habeat cum modo, quo artifex utitur instrumentis suis, omnes fatentur magnam utrimque esse differentiam. In instrumentis nostris actio propria natura sua confert ad finem principalis agentis, in sacramentis nonnisi ex speciali elevatione Dei ad productionem gratiae cooperatur. Sequitur modum, quo sacramenta operantur, quum supernaturalis sit, a nobis in seipso apprehendi non posse, unde nihil aliud restat, quam ut eum analogiis instrumentorum naturalium aliquatenus cognoscamus.

56 Negari nequit effata Scripturae, patrum, conciliorum de causalitate sacramentorum in theoria thomistica facilius explicari; sed manent difficultates valde graves. Dicunt:

a. In productione gratiae, quum sit creatio, non est locus instrumento.

Respondetur: productio gratiae non est veri nominis creatio: gratia requirit subjectum in quo sit, n. p. animam; cum anima corpori substantialiter unita exsistat, non deest subjectum quod instrumentum propria operatione attingat.

b. Non intellegitur, quid actio propria sacramenti conferat ad productionem gratiae.

Responderi posse puto: actio propria sacramenti est significare gratiam, quam actione instrumentali confert: „sacramenta significando causant" [1]. Atqui significatio gratiae in tantum est dispositio quaedam praevia ad productionem ejus, in quantum per illam gratia convenientius confertur; spectata enim natura hominis admodum conveniens est, ut collatio doni spiritualis ei sensibiliter intimetur. Recolligendum siqui-

[1] S. THOM. *De Verit.* **27, 4,** ad 13.

dem est, Deum adhibere instrumenta, non quia ipse iis indiget, sed quia nobis utile est.

c. Ritus sacramentales non in instanti sed successive ponuntur, unde si physice causant, sequitur, etiam productionem gratiae fieri successive; quod est impossibile.

Respondetur: gratia non causatur successive, sed in instanti, et quidem, quum sacramenta significando causent, in illo instanti, quo signum sacramentale fit completum sive perfectum, tunc enim non antea perfecte significat.

d. Nullo modo intellegitur, quomodo causalitas physica sustineri possit in iis casibus, ubi elementa signi sacramentalis tempore aut loco distant, uti fieri potest in Poenitentia ac Matrimonio; minus adhuc intellegitur in casibus reviviscentiae, ubi gratia datur, quando signum sacramentale, jam diu et totaliter praeteriit, physice non amplius exsistit [1].

Responsa theologorum videre est, v. g. apud Billuart [2], Reinhold [3], Gutberlet [4], sed quum insufficientia videantur ad difficultates solvendas, ea non refero.

4⁰. Causalitas intentionalis. Nostris diebus cl. Billot hanc 57
theoriam proposuit. Sacramenta ut vera instrumenta producunt aliquid in anima suscipientis, sed quod ibi immediate efficiunt non est ipsa gratia, sed *titulus appellans gratiam*, dispositio exigitiva gratiae. Non intellegitur dispositio, quae removendo obicem faciat animam susceptibilem gratiae, nec talis quae per viam meriti aut operationis humanae gratiam appellet: nullo modo est opus hominis operantis, sed intellegendus est titulus ex opere operato impressus, quantum in se est exigens infusionem gratiae.

Titulus hic secundum se, et praecise in quantum per ritum

---

[1] Cfr. n⁰ 76. — [2] *De Sacr. in comm.* diss. III, a. 2, solv. object — [3] L. c., p. 91. — [4] HEINRICH-GUTBERLET, *Dogm. Theol.* t. IX, p. 148.

externum efficienter causatur [1], non est qualitas physica, sed potius aliquid morale, aut intentionale, ut v.g. jurisdictio in episcopo vel judice, et generatim jura et officia.

Porro *efficiendo hunc titulum*, seu necessitatem habendi gratiam, sacramentum non quidem effective sed *dispositive causat gratiam*, nisi enim obex impediat, infusio gratiae statim sequitur titulum praedictum [2]. Et ita ritus externus est *causa instrumentalis dispositiva* gratiae, quam solus Deus per seipsum efficienter causat.

58 His praestitutis, Billot concludit, causalitatem sacramentorum non esse ordinis physici, sed potius ordinis intentionalis, talis scil. qua ordinatio intellectus theoretice manifestatur et practice imponitur.

Omne instrumentum, ait, duplicem habet actionem, propriam et instrumentalem; actio autem instrumentalis non est nisi modificatio et elevatio actionis propriae, nam instrumentum exercendo actionem propriam, perficit operationem instrumentalem.

[1] Dico: „*secundum se*, et *in quantum a ritu externo efficienter causatur*", nam in nonnullis sacramentis titulus hic *materialiter* coincidit cum entitate physica. In charactere sacramentorum duplex formalitas distinguenda est. Character primo dicit deputationem ad functiones cultus divini, et secundum hoc habet esse morale aut intentionale, efficienter causatum per ritum externum; deinde ex consequenti dicit signum indelebile, et secundum hoc habet esse physicum a solo Deo efficienter causatum Jam vero character non in quantum dicit qualitatem physicam, sed praecise *in quantum dicit deputationem ad cultum Dei* est titulus exigitivus gratiae. Item in s. Eucharistia sumpta distinguendum est corpus Christi manducatum *ut est titulus gratiae*, et corpus Christi manducatum *pure materialiter et secundum se spectatum*. Finge hominem non baptizatum sumere s. Eucharistiam, habet corpus Domini sibi materialiter applicatum, sed corpus Domini ipsi non est titulus gratiae. — [2] Dico: „*sequitur*", non quasi in iis, qui sacramentum digne suscipiunt, titulus tempore praecederet gratiam, sed quia eam praecedit *ordine causalitatis*.

Quum igitur sacramenta sint signa, quorum actio propria (manifestare conceptum intellectus) est ordinis intentionalis, necesse est actionem illorum instrumentalem in eadem linea, eodemque ordine inveniri; unde etiam s. Thomas docet: „sacramenta significando causant" [1].

Quid igitur? Sacramenta, ut signa a Christo instituta, operatione propria manifestant seu notificant decretum divinum sanctificandi hoc subjectum, et simul in virtute divina, operatione instrumentali, decretum illud huic subjecto efficaciter applicant, suscipientem efficaciter ordinant ad gratiam, a. v. in eo causant formam intentionalem, quae est necessitas quantum est de se habendi gratiam. Res illustratur exemplis. Verba aut scriptum quibus lex promulgatur, actione propria notificant ordinationem regis, et simul ut instrumentum legislatoris subditis imponunt obligationem eam observandi. Litterae, quibus summus Pontifex episcopum constituit, ex propriis notificant dari huic viro jurisdictionem, ut instrumentum Pontificis ei tribuunt jus docendi ac regendi talem ecclesiam. Ita sacramentum ex propriis significat Deum velle, ut Cajus gratiam accipiat, ut instrumentum Dei Cajo largitur titulum exigitivum gratiae [2].

Theoria haec saltem ex parte nova est, neque assentiri 59
audeo cl. Billot dicenti, eam esse genuinam mentem s. Thomae [3]. At quare non liceret novam explicationem scientificam antiqui dogmatis proponere, ubi judicio multorum antiquae explicationes non sufficiunt. Si thomistis integrum est rejicere causalitatem moralem, et defensoribus causalitatis moralis impugnare virtutem physicam, quare nefas esset nonnihil recedere ab utrisque?

Immerito dicitur theoriam expositam recidere in theoriam causalitatis moralis; convenit cum ea in quantum excludit

[1] *De Verit.* 27, 4, ad 13. — [2] Cfr Billot, *De Sacram.* Quaest 62 (Tom. 1^3, p. 56—63; 73—77; 96—131). — [3] Cfr. *Revue Thomiste*, XI, p. 689 et XII, p. 339.

virtutem physicam, differt vero in quantum signis sacramentalibus non tribuit valorem moralem insitum; atqui valor ille moralis objectivus est veluti nucleus et robur causalitatis moralis.

Iterum immerito dicitur, eam sacramentis non relinquere veram causalitatem; nam sicut verba (ore prolata aut scripta), quibus episcopus constituitur, non sunt mera conditio sine qua non jurisdictionis, sed vera ejus causa instrumentalis, sicut testamentum legitimum non est nuda conditio, sed verum instrumentum quo jura in bona defuncti conferuntur, ita sacramentum valide susceptum est vera causa instrumentalis effectiva tituli et dispositiva ipsius gratiae.

Adhuc immerito dicitur, conc. trid. causalitatem dispositivam exclusisse, docendo gratiam per sacramenta immediate conferri; nusquam enim conc. trid. dixit gratiam immediate seu effective causari per sacramenta. Quinimo quum patres tridentini doctrinam multorum scholasticorum de ornatu animi gratiae praevio absque dubio cognoverint [1], omnino praesumendum est, eos consulto a voce „immediate conferre" abstinuisse, et formulam „ex opere operato conferre" adhibuisse, ut non omnem dispositionem mediantem inter ritum externum et gratiam excluderent, sed eam tantum quae est ex opere operantis.

Denique prorsus immerito dicitur, eam esse affinem doctrinae protestanticae de sacramentis fidem excitantibus. Minime enim asserit, virtutem sacramenti in eo esse, quod intellectui suscipientis ingerat notitiam aut fidem ordinationis atque imperii divini; sed in eo, quod objective significando voluntatem divinam de gratia communicanda, subjecto tribuat titulum eam habendi. Neque necesse est, ut suscipiens significationem percipiat aut titulum collatum fide agnoscat. Nonne per testamentum legitimum etiam infanti, usu rationis adhuc destituto, jura conferuntur?

[1] Multi siquidem veteres doctores posuerunt, immediatum ritus sacramentalis effectum esse spiritualem quendam *ornatum animae*, gratiae exigitivum; nonnulli autem illorum ornatum hunc videntur intellexisse qualitatem physicam.

His praemissis puto, theoriae expositae solidam probabili- 60
tatem abjudicari non posse, si **a.** exsistentia illius tituli aut dispositionis, quae sit effectus immediatus sacramenti, gratiae praevius, argumentis quibusdam saltem probabilibus suadetur; et **b.** si per theoriam, de qua agimus, omnia quae aut revelatione constant aut theologice certa sunt, sufficienter explicantur.

Ad **a.** — In confesso est apud omnes, sacramenta efficere quod significant; atqui nonnulla saltem ex sacramentis immediate non gratiam, sed aliquid gratiae praevium significant. Ritus externus in Matrimonio directe significat vinculum conjugale ut repraesentans unionem Christi cum ecclesia, in Ordine deputationem ad munia sacerdotalia, in Eucharistia corpus Domini in cibum paratum. Ergo concedendum erit, saltem in his sacramentis dari aliquem effectum gratiae praevium et qui sit titulus gratiae accipiendae. Jam si ita est in tribus sacramentis, praesumere licet non aliter esse in reliquis. Quodsi ritum Baptismi, Confirmationis, Extremae Unctionis attentius consideraveris, invenies significationem immediatam non praecise esse: ego tibi impertior gratiam regenerativam, confirmativam, alleviativam; sed potius: ego tibi confero titulum habendi gratiam regenerativam, cet. Sane, fac sacramenta illa ministrari subjecto obicem ponenti, gratia non confertur, sed sacramenta valent. Atqui si valida sunt, omnino necesse est verificari formam; quodsi sensus proximus et immediatus formae esset: confero tibi gratiam, minime verificaretur; ergo. — Porro si significatio immediatissima formae est: impertior tibi titulum habendi gratiam, illico sequitur, primum effectum sacramenti esse titulum seu dispositionem ut supra [1].

[1] Quum non constet sacramentum Poenitentiae posse esse validum simul et informe, dubitari potest, num argumentum supra allatum huic sacramento applicetur; attamen si forma absolutionis secundum analogiam sententiae judicialis intelle-

Res confirmatur auctoritate veterum magistrorum, nam ante Cajetanum permulti doctores primum sacramentorum effectum posuerunt ornatum animae, aut aliquid simile, quod esset titulus de se exigitivus gratiae; ipse s. Thomas illam dispositionem aliquando admisit [1], et nostris diebus praeter Billot, Bellevue [2], De Smet [3], alios, etiam doct. Lehmkuhl eam agnoscit, dicendo immediatum sacramentorum effectum esse novam habitudinem moralem ac juridicam hominis ad Christum et Deum, quae in praesenti ordine infusionem gratiae sanctificantis expostulat [4].

Concludendum puto, exsistentiam tituli seu dispositionis praedictae ad minus esse vere probabilem.

61 Ad **b.** — In favorem theoriae expositae militat, quod omnia quae aut revelatione constant, aut theologice certa sunt, apte explicat.

Quum sacramentis vera causalitas instrumentalis relinquatur, effata Scripturae et patrum sufficienter verificantur; nam si quaeras quid patres comparationibus suis docere voluerint,

---

gitur, sensus directus non est: tribuo tibi gratiam liberativam a peccatis, sed: impertior tibi titulum accipiendae gratiae liberatricis; nam sententia judicialis per se ipsam non educit vinctum de carcere, sed facit ei jus ut liberetur. Hinc etiam s. THOMAS formam absolutionis ita exponit: „Ego te absolvo, i. e. sacramentum absolutionis tibi impendo" (*S. Th.* III, **84**, 3, ad 5 ; cfr. tract. *de Sacram. II*, n⁰ **106**.

[1] Dico: „*aliquando*" n. p. *In IV Sent.* d. 1, q. 1, a. 4, q. 1; *de Verit.* **27**, 4, ad 3 et ad 9; *de Pot* **3**, 4, ad 8. Quum autem in *Summ. Theol.* dispositionem illam nullibi diserte memoret, multi cum Cajetano sentiunt, s. doctorem sententiam suam tacite retractasse. In contrarium observat Billot, doctrinam de causalitate instrumentali dispositiva adhuc inveniri in qu. disp. *de Pot.* conscripta a. 1269—1271, ergo vix ante tertiam partem *Summae* (a. 1271—1273) — [2] *La Grâce Sacramentelle* (1900), p. 103. — [3] *Tract. dogm. mor. de Sacram in genere, Baptismo et Confirmatione*, n⁰ **39** seq. — [4] In *Kirchenlex.* in voce: *Sakrament*, t. X, p. 1502.

quare sacramentorum virtutem tantopere extulerint, invenies illorum doctrinam huc redire: nihil sub Deo ad gratiam conferendam causaliter operari praeter sacramenta, et causalitatem sacramentorum esse omnino supernaturalem, proinde admirabilem.

Apte explicatur, quomodo sacramenta etiam ea, quae characterem non imprimunt, possint esse valida, quin gratiam actu conferant. Finge Extremam Unctionem ministrari infirmo ponenti obicem; nulla gratia confertur, et nihilominus sacramentum ab omnibus habetur validum. Quid sibi vult locutio: sacramentum valet? Numquid validum dici potest quod nihil omnino operatur, nullum prorsus effectum producit? Quid igitur? Admitte titulum de se exigitivum gratiae ut primum effectum sacramenti, et habes responsum conveniens.

Apte explicatur doctrina de reviviscentia sacramentorum, quae in theoria causalitatis physicae nullam plausibilem rationem habet.

Denique suavius et cohaerentius quam in duabus aliis theoriis explicatur doctrina de gratia sacramentali.

Quae autem hic ultimo et penultimo loco diximus, infra explicationem accipient [1].

Scholion 2. *De distinctione inter „sacramentum tantum", „rem et sacramentum" et „rem tantum".* — Scholastici in sacramentis N. L. tria distinguunt: „aliquid quod est sacramentum tantum, aliquid quod est res et sacramentum, et aliquid quod est res [sacramenti] tantum" [2], et quum haec distinctio praesertim in sententia modo exposita non sine momento sit, eam hoc loco explicare debemus. **62**

Vox „sacramentum" sumitur pro signo, vox „res" pro effectu significato.

Igitur *sacramentum tantum* est ipse ritus externus, constans ex materia et forma: significat et non significatur.

[1] Cfr. n⁰ **69, 75—76.** — [2] *S. Th.* III, **66,** 1; cfr. **63,** 6, obj. 3.

Res tantum est ultimus effectus propter quem sacramentum institutum est, n. p. gratia: significatur et non significat.

Res et sacramentum mediat inter utrumque, et est effectus ille immediatus ritus externi, saltem ordine causalitatis gratiam praecedens, quem supra indicavimus. Vocatur „res" quia jam est aliquis effectus per ritum externum significatus et productus; vocatur „sacramentum", quia in quantum infallibili nexu cum ritu externo conjungitur, simul cum eo quodammodo significat ultimum effectum gratiae. Hinc res et sacramentum simul significatur et significat.

Dicitur: „in quantum *infallibili nexu* cum ritu externo conjungitur." Quum enim gratia per obicem, i. e. per defectum dispositionis moralis subjecti frustrari possit, ac proinde non semper ac necessario adest quoties ritus externus secundum legem suae institutionis conficitur, effectus ille immediatus per hujusmodi obicem frustrari nequit, sed semper et infallibiliter adest, quoties vere adest sacramentum Christi, i. e. quoties ritus essentialis a ministro competente cum debita intentione administratur subjecto habili et (si usum rationis habuit) voluntarie suscipienti.

63 *Res et sacramentum* in quolibet sacramento habet rationem tituli de se appellantis gratiam, prout supra expositum est; sed si quaeratur, quid in singulis sacramentis sit secundum se ac veluti materialiter, ita respondendum est.

In Baptismo, Confirmatione et Ordine est character, seu verius deputatio ad functiones sacras subjectata in signo indelebili; in s. Eucharistia est ipsum corpus Domini sub specie panis realiter praesens, quod sumptum gratiam appellat; in Poenitentia est jus liberationis a reatu; in Extr. Unctione est jus alleviationis aut exsistere commendatum misericordiae Dei; in Matrimonio est vinculum conjugale repraesentans unionem Christi et ecclesiae.

Vides in quatuor sacramentis primo loco nominatis rem et sacramentum importare realitatem physicam, in tribus reliquis

non ita; in quantum autem est aliquid physicum a ritu externo non effective, sed, sicut ipsa gratia, dispositive tantum causatur, infallibiliter tamen et quin per obicem impediri possit.

Art. II.

DE GRATIA SACRAMENTORUM [1].

Praesens articulus triplici respondent quaestioni: 1^0 qualis sit gratia, quam sacramenta conferunt; 2^0 qua mensura conferatur; 3^0 quomodo gratia, per obicem impedita, remoto obice adhuc dari possit.

I. *Qualis sit gratia, quam sacramenta producunt?* 64

Brevitur respondetur: gratia sacramentorum duplex est: sanctificans et sacramentalis.

1. Imprimis de fide est, singula sacramenta conferre *gratiam habitualem* seu sanctificantem, qua homo formaliter justificatur in ordine supernaturali et filius Dei adoptivus redditur. Conc. trid.: „Visum est, de sanctissimis ecclesiae sacramentis agere, per quae omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur" [2]. Res, quantum hoc loco fieri potest, probatur testimoniis Scripturae et patrum supra [3] allatis; manifestum enim est, gratiam sanctificantem ibi multoties designari.

Gratia sanctificans, si non habenti infunditur, vocatur prima; si jam habenti augetur, vocatur secunda. Gratiam sanctificantem, sive per sacramentum conferatur, sive extra sacramentum ex opere operantis acquiratur, semper comitatur aut prima infusio aut augmentum virtutum atque donorum.

Jam duo sacramenta, Baptismus scil. et Poenitentia, *per se*, i. e. ex primario suae institutionis fine *conferunt gratiam*

[1] Cfr. DE BELLEVUE, *La Grâce sacramentelle, ou effet propre des divers Sacrements* (1900). — [2] S. 7, prooem. — [3] N° 46; 48—50.

sanctificantem primam, et hac de causa dicuntur *sacramenta mortuorum,* i. e. sacramenta primario instituta in gratiam eorum, qui spiritualiter mortui sunt. Quinque reliqua *per se conferunt gratiam secundam,* proinde in susceptoribus vitam spiritualem jam supponunt, unde *sacramenta vivorum* audiunt.

65 Porro *certum* est, *sacramenta mortuorum aliquando per accidens conferre gratiam secundam.* Fieri potest ut homines, jam in gratia constituti, divina lege teneantur suscipere sacramenta Baptismi aut Poenitentiae; fieri etiam potest, ut nullo gravi peccato inquinati ad sacramentum Poenitentiae laudabiliter accedant. Atqui dogma fidei est, sacramenta non ponentibus obicem conferre gratiam. Quum igitur personae ut supra ex eo, quod meliorem dispositionem afferunt, certo certius obicem non ponant, sine dubio gratiam ex sacramento consequuntur; non primam, quam jam habent, ergo secundam.

Nec ulla subest difficultas quum enim gratia prima et secunda intrinsece nullatenus differant, donum per sacramentum collatum semper idem est secundum se, quamvis pro diverso statu suscipientis diversum effectum formalem habeat.

66 *Sententia communior et probabilior* habet, *sacramenta vivorum aliquando per accidens conferre posse gratiam primam.* Infra [1], ubi de dispositionibus subjecti sermo erit, explicabimus quomodo fieri possit, ut homo in statu peccati mortalis adhuc exsistens, sacramentum vivorum accipiat, quin obicem ponat aut habeat. Atqui tali casu supposito, omnino applicanda videtur ratio theologica modo allata: sacramenta non ponentibus obicem conferunt gratiam, in casu autem non possunt conferre secundam, ergo conferunt primam. Nihilominus res pro sola Ext. Unctione moraliter certa est; quantum ad alia sacramenta non excedit mensuram sententiae theologicae, cui graves quidam doctores contradixerunt. Neque

[1] Cfr. n° **143.**

eadem omnino est ratio interna pro sacramentis vivorum atque mortuorum; nam in his subjectum affert dispositionem meliorem, quam sacramentum per se exigit, in illis vero obex quidem non ponitur, deficit tamen dispositio quam sacramentum vivorum per se requirit, n. p. status gratiae.

67 2. Certum est apud omnes, singula sacramenta praeter gratiam sanctificantem conferre gratiam specialem et sibi propriam, quae *gratia sacramentalis* (in sensu stricto et consueto) vocatur [1]. Sane sacramenta propter diversas necessitates spirituales instituta sunt [2], ergo effectus saltem ex parte diversos habere debent: sacramenta continent gratiam „quam significant", significant autem diversa gratiae dona. Ceterum si effectus totaliter identicus esset, quare Christus septem sacramenta instituisset? Hinc omnes profitentur, quodlibet sacramentum praeter gratiam sanctificantem conferre *„quoddam divinum auxilium ad consequendum [peculiarem hujus] sacramenti finem* [3]. At si natura hujus auxilii quaeritur, theologi in tres scinduntur sententias.

68 a. Pauci quidam antiquiores putarunt intellegendos esse *speciales habitus*, a gratia sanctificante (et virtutibus ac donis) distinctos, sed ab ea dependentes. His assentiri videtur Billot, docens gratias sacramentales esse „dispositiones in potentiis animae receptas contra defectus particulares, ad quos reparandos singula sacramenta sunt ordinata", dispositiones habituales immunitivas concupiscentiae in variis et multiplicibus ramificationibus ejus, et ita quidem ut unicuique sacramento sua propria ac specialis veluti ligatura (antiqui vulneris) respondeat, quamquam nos non possumus praecise assignare proprias ac distinctivas rationes singularum" [4]. Sed haec

[1] Dico: „in sensu stricto et consueto", nam in sensu latiori et minus usitato *totus* effectus gratiae a sacramento productus gratia sacramentalis vocatur. — [2] Cfr. n° **24**. — [3] S. THOM. *S. Th.* III, **62**, 2 c. — [4] *De Sacr.* I[3], p. 90; provocat ad S. THOM. *In IV Sent.* d. 1, q. 1, a. **4**, q. 5 et *De Verit.* **24**, 5 ad 12.

opinio communius rejicitur, quia absque necessitate habitus multiplicat.

b. Alii, iique plures docent, gratiam sacramentalem esse *perfectionem modalem ipsius gratiae sanctificantis, qua haec specialiter viget ad proprium finem sacramenti, una cum exigentia auxiliorum actualium abundantiorum* suo tempore conferendorum. Quum autem novus ille modus internus aut specialis vigor gratiae sanctificantis difficilius intellegatur, neque ad finem sacramenti necessarius videatur, a multis non admittitur.

69 **c.** Igitur dicendum putamus, gratiam sacramentalem consistere in *complexu donorum et gratiarum actualium ad finem sacramenti conducentium*. Dico: „*donorum* et gratiarum", nam sub nomine gratiae sacramentalis comprehenduntur quaedam beneficia, quae non sunt gratia in sensu stricto, ut remissio poenae temporalis in Baptismo, restitutio sanitatis in Extr. Unctione. Dico: „*complexus*", nam gratia sacramentalis non est donum singulare, sed multitudo quaedam auxiliorum, et quidem talis multitudo, quae non uno tempore datur, sed diversis momentis, aut in ipsa receptione sacramenti aut postea opportunis temporibus, prout finis cujuslibet sacramenti postulat. Non dico: „*jus* aut exigentia auxiliorum actualium", uti multi theologi loquuntur; non quod exsistentiam hujus exigentiae excludere velim, sed quia rem sacramenti distinguere oportet a re et sacramento. Res et sacramentum est titulus appellans tum gratiam sanctificantem, tum dona et gratias actuales suo tempore impertiendas, quae omnia simul cum gratia habituali constituunt rem sacramenti. Et ita facile solvitur quaestio, quae, nisi in sacramentis aliquis effectus gratiae praevius agnoscatur, satis difficilis est, n. p. qua ratione inter se cohaereant gratia habitualis et reliqua auxilia, quae simul constituunt integrum effectum gratiae unius sacramenti. Gratia sanctificans et gratiae actuales non connectuntur intrinsece: gratiae actuales non dependent ab habituali, ac si gratia

sanctificans, ut per tale sacramentum data, natura sua appellaret tales gratias actuales. Copulantur extrinsece, in quantum uno eodemque titulo exiguntur; sunt effectus coordinati, quia eadem dispositio ex opere operato inducta eos aequaliter appellat. Hinc neque necessarium est, inter gratiam habitualem communiter dictam et gratiam habitualem per sacramentum productam fingere intrinsecam differentiam, gratiarum actualium exigitivam; neque ab alia parte necessarium est confugere ad speciale decretum Dei, vi cujus gratia sanctificans, per sacramentum data, extrinsece annexum haberet jus ad certas gratias actuales. Jus illud proprie non connectitur gratiae sanctificanti, neque intrinsece neque extrinsece, sed gratiam sanctificantem natura praecedit: utramque gratiam, habitualem et actualem, appellat. Hac de causa supra [1] dixi, in nostra theoria cohaerentius et suavius quam in aliis explicari doctrinam de gratia sacramentali.

II. *Qua mensura gratia datur in sacramentis?* 70

De mensura gratiae absoluta nihil dici potest; quaeritur igitur de sola mensura relativa, et quidem comparatione instituta non inter sacramenta specie diversa, sed inter idem specie sacramentum diversis subjectis collatum, aut eidem subjecto diversis temporibus iteratum.

1. Certum est, idem specie sacramentum *pro meliori dispositione suscipientis abundantiorem gratiam* conferre. Conc. trid. absolute docet, gratiam justificationis mensurari, „secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem" [2], et patres rem aperte testantur. S. CYRILLUS HIER. ad catechumenos: „Munda vas tuum, ut gratiam capiat abundantiorem; remissio vero peccatorum ex aequo datur omnibus, communicatio vero Spiritus s. secundum proportionem uniuscujusque fidei conceditur; si parum laboraveris, parum accipies" [3]. Consonat ratio; quum enim gratia certo certius sit forma,

[1] Cfr. n° **61.** — [2] S. 6, cap. **7.** — [3] *Cat.* **1,** n° 5; cfr. JOES. DAMASC. *De fid. orth.* **9, 16.**

quae plus ac minus recipiat, quum dispositio subjecti ideo requiratur, ut anima fiat susceptibilis gratiae, omnino consentaneum est, uberiorem recipi gratiam, ubi major est susceptibilitas seu capacitas. Nec ullatenus sequitur, praeparationem subjecti esse causam infusionis gratiae; lignum quo siccius est, eo vehementius ardet, et nihilominus non major aut minor siccitas, sed solus ignis admotus totius combustionis causa est.

71 2. Doctrina exposita innuere videtur, idem specie sacramentum *quantum est de se*, i. e. supposita aequali dispositione suscipientium, *semper eandem gratiae mensuram* conferre; et ita reapse habet sententia satis communis theologorum, ponentium, Deum in singulis sacramentis minimum quoddam gratiae determinasse pro minima dispositione, et hoc minimum invariabili lege in indefinitum augeri pro meliori dispositione. Et sane congruenter omnino supponitur, sacramenta, quum sint media ordinaria gratiae, effectum suum operari ad instar agentium naturalium, quae in objectis aequaliter praeparatis, semper eundem effectum producunt. Nec obstat quod conc. trid. mensuram gratiae etiam et per prius dimetiatur ex beneplacito divino, dicens unumquemque justitiam in se recipere „secundum suam mensuram, quam Spiritus s. partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem". Quum enim et ipsa praeparatio nostra sit donum Spiritus s., voluntas Dei et dispositio hominis non sunt causae coordinatae, sed subordinatae; et ita mens concilii probabilius est, gratiam in iis, qui seipsos ad sacramentum suscipiendum disponere possunt, mensurari *proxime* quidem secundum dispositionem subjecti, *ultimo* autem secundum beneplacitum Dei [1].

72 Nihilominus sententia modo exposita non est omnino certa. Nam primo plures theologi opinantur, sacramentum

[1] Cfr. *S. Th.* I, II, 112, 4 c.

Poenitentiae, dummodo adsit dispositio minima, semper producere illam mensuram gratiae, quam poenitens habuit ante peccatum; ampliorem vero si dispositio melior est [1]. Quod si forte verum est, hoc saltem sacramentum saepissime aequaliter dispositis inaequalem gratiam dabit. Praeterea nonnullis probabile videtur, Deum saltem in iis, qui propriam dispositionem afferre nequeunt, pro solo beneplacito suo mensuram gratiae nonnumquam variare. Suspicantur siquidem, Deum infantibus, quos ad sublimia praedestinat, jam in ipso Baptismo uberiorem gratiae thesaurum impertiri. Si ageretur de adultis, inquiunt, Deus, qui in omnibus suaviter procedit, talibus provideret meliorem dispositionem et ita iis uberiorem gratiam conciliaret, nunc autem quum propriae dispositionis capaces non sint, pro sola bona voluntate sua illos ditat [2]. Quidquid est de probabilitate hujusmodi sententiarum, concedendum videtur, non constare de absoluta veritate asserti: idem sacramentum, quantum est de se, semper eandem gratiae mensuram confert.

73 3. Ceterum animadvertendum puto, doctrinam expositam de mensura gratiae correspondente dispositionibus subjecti, praecipue intellegendam esse de gratia sanctificante; nam *mensura auxiliorum actualium*, quae sub nomine gratiae sacramentalis comprehenduntur, *etiam ab aliis adjunctis pendere videtur*. Finge duos juvenes aequaliter dispositos recipere ordinationem presbyteralem, finge eos quamdiu vivunt semper aeque bonos esse, sed alterum per duos annos sacerdotio fungi, alterum per quinquaginta. Nonne posterior ille ex ejusdem sacramenti titulo longe plures gratias actuales accipiet?

74 III. *Quomodo gratia sacramenti, per obicem impedita, remoto obice adhuc dari possit* [3].

[1] Cfr. *tract. de Sacram.* II, n° **115**. — [2] Cfr. v. g. HEINRICH-GUTBERLET, *Dogm. Theol.* t. IX, p. 112. — [3] Cfr. E. MÜLLER, *Von dem Wiederaufleben der Sakramente*, in *Linzer Quartals.* 1884, p. 745.

Saepius dictum est, sacramenta, etiam valide suscepta, gratiam non conferre, quando subjectum indispositione sua morali obicem ponit. Hac de causa sacramentum, valide sed cum obice susceptum, dicitur infructuose suscipi, et vocari solet sacramentum *informe*, quia gratia, propter cujus collationem institutum est, ejus veluti forma ac vita exsistit. Certum est, omnia sacramenta posse esse valida simul et informia, excepta Poenitentia, de qua in utramque partem litigatur [1].

Nunc autem vulgata doctrina est, plura sacramenta infructuose suscepta, ac proinde veluti mortua, posse *reviviscere*, i. e. eorum gratiam, per obicem impeditam, adhuc conferri quando postea obex removetur. Res quantum ad Baptismum est omnino certa; quantum ad Confirmationem et Ordinem est sententia communis; quantum ad Extr. Unctionem et Matrimonium est opinio communior et probabilior. Contra certum videtur, s. Eucharistiam non reviviscere; de Poenitentia litigatur.

75 Porro probare reviviscentiam praedictorum sacramentorum, aut investigare quid praecise requiratur ut obex recedat, non est hujus loci, sed supposito interim facto quaerimus, *quomodo reviviscentia explicetur.*

Admissa doctrina de re et sacramento, quam exposuimus [2], responsio est facilis. Effectus ille immediatus ritus externi nullo obice frustratur; igitur quoties sacramentum valuit, subjecto nest titulus de se exigitivus gratiae, sive sit ens morale tantum, sive subjectetur in entitate physica. Atqui rationi omnino consentaneum est, ut hujusmodi dispositio, si ejus vis per accidens impeditur, tamdiu pergat appellare gratiam, quamdiu exsistit in anima. Quo posito necesse est, semper sequi infusionem gratiae, quoties *titulo adhuc exsistente* obex removetur. Vide igitur quamdiu in singulis perseveret illud, quod habet rationem tituli exigitivi gratiae.

In Baptismo, Confirmatione, Ordine habes characterem

[1] Cfr. *tract. de Sacram.* II, n° 117, coll. n° 68 seq. — [2] Cfr. n° 62.

indelebilem, unde in illis numquam exstingui potest dispositio appellans gratiam; hinc sacramenta illa sublato obice semper reviviscunt, etiam post multos annos, neque semel tantum reviviscunt, sed toties quoties obex superveniens aufertur [1].

In Matrimonio vinculum conjugale perpetuum est. donec morte compartis solvatur, igitur gratia semper dabitur, quando stante adhuc eodem matrimonio, obex recedit.

In Extr. Unctione infirmus tamdiu manet commendatus misericordiae Dei, quamdiu permanet mortis periculum, propter quod commendatio facta est: igitur reviviscentia ultra tempus ejusdem periculi non extenditur.

De Poenitentia litigatur. Secundum sententiam affirmantem titulus appellans gratiam, n. p. interior peccatoris poenitentia prout vi absolutionis elevatur ad titulum juridicum, tamdiu manet quamdiu non intervenit novum mortale neque justificatio secuta est per novum sacramentum. Reviviscit in hoc casu, quando attritio fit appretiative summa [2].

Contra in s. Eucharistia ipsum corpus Christi, per modum cibi nobis applicatum, est titulus exigens gratiam, unde corruptis speciebus nihil remanet in anima quod gratiam appellaret, ac per consequens nulla datur reviviscentia.

Quaeres, quomodo reviviscentia explicetur in theoriis causa- **76**
litatis physicae et moralis?

Patroni causalitatis *physicae* dicunt in Baptismo, Confirmatione, Ordine cum obice susceptis, gratiam physice causari per characterem sub speciali elevatione Dei; quoad sacramenta, quae characterem non imprimunt, plures concedunt, gratiam in casu reviviscentiae non causari physice. — Ponunt itaque in casu reviviscentiae gratiam alio modo produci quam in sacramentis digne susceptis; atqui haec est aperta incohaerentia.

[1] Cfr. S. THOM. *In IV Sent.* d. 4, q. 3, a. 2. qu. 3 et *S. Th.* III, 69, 10 c.; ubi videbis explicationem nostram saltem quoad sacramenta, quae characterem imprimunt, esse ipsam doctrinam doctoris angelici. — [2] Cfr. *tract. de Sacr.* II, n° 106 et 117 et 118.

Nuper doctissimus Marín-Sola in sententia causalitatis physicae reviviscentiam explicare voluit hac ratione [1]. Character baptismalis, ait, est potentia passiva physica receptionis validae omnium aliorum sacramentorum. Atqui haec potentia passiva physice modificatur per receptionem validam cujuslibet sacramenti, et quidem: modificatione perpetua in sacramentis characterem imprimentibus, modificatione temporanca in Extr. Unctione et Matrimonio, modificatione pure transeunte in aliis sacramentis. Hinc sacramenta characterem imprimentia semper, Extr. Unctio et Matrimonium ad tempus (n. p. quamdiu perdurat infirmitas et vinculum matrimoniale) reviviscere physice possunt; alia sacramenta nequaquam. — Verum huic explicationi, utut ingenuosae, acquiescere nequimus, **a.** quia character baptismalis non videtur esse potentia physica (ut infra explicatur), **b.** quia in hac sententia characteres Confirmationis et Ordinis non videntur essentialiter differre a charactere baptismali.

Fautores causalitatis *moralis* diversimode loquuntur. Sunt qui dicunt valorem objectivum ritus applicati perseverare in acceptatione divina, et ita recedente obice gratiam impetrare. Merito forsan quaereres intrinsecam rationem, quare in acceptatione Dei dignitas Baptismi maneat, dignitas Eucharistiae non maneat?

Alii dicunt permanere moraliter exigentiam, quae ex ritu valide applicato in hominem derivatur, proinde manere titulum quendam juris ad gratiam recipiendam. Et ita, admittendo effectum gratiae praevium, saltem ex parte nobiscum conveniunt[2].

[1] Cfr. *Divus Thomas*, 1925, p. 49-64. — [2] Inter utramque explicationem claudicare videtur cl. MANNENS docens: titulus exigens gratiam „nihil videtur esse aliud quam ipsius ritus homini applicati objectiva exigentia gratiae, quae, si adest obex, perseverat" (*Theol. dogm. Instit.* III, n° 325). Ritus praeteriit; quomodo igitur valor ejus objectivus et insitus permanere potest? Non utique entitative; ergo aut in acceptatione Dei tantum, aut in suo effectu, titulo scil. juris, quem homini contulit.

De *mensura gratiae in casu reviviscentiae* theologi non conveniunt. Alii putant remoto obice semper concedi minimum gratiae talis sacramenti; alii probabilius opinantur, gratiam dari pro mensura dispositionis, quam subjectum habet in momento reviviscentiae. 77

Art. III.

DE CHARACTERE SACRAMENTORUM [1].

Character, vox graeca (*Χαραχτήρ*), non aliter ac vox latina sigillum, adhibetur tum pro instrumento, quo utimur ad imaginem imprimendam, tum pro ipsa imagine aut signo impresso; hic autem sumitur pro *signaculo quodam spirituali et indelebili, animae impresso*. Nomen characteris debetur Augustino, qui illud mutuavit a charactere seu nota corporali, quae apud veteres militibus inurebatur. 78

Contra Protestantes, qui praeeunte Wicleff characterem ut inventum scholasticorum explodunt, ejus exsistentia probanda est, deinde ejus natura paulo accuratius investiganda.

PROP. **Tria sacramenta, Baptismus, Confirmatio, Ordo imprimunt characterem indelebilem.**

Dogma fidei est ex conc. trid.: „S. q. d., in tribus sacramentis, Baptismo scil. Confirmatione et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, a.s." [2].

Probatur. — 1°. *S. Scriptura* prima doctrinae nostrae lineamenta exhibere videtur, ubi docet christianos Spiritu s. signari seu sigillari: „Qui autem confirmat nos vobiscum in 79

[1] Cfr. *S. Th.* III, 63; MINGES in *Theol. prakt. Monats.* (Passau 1898) p. 77 et 280; O. LAAKE, *Ueber den Sacram. Charakter*, 1903; LUCIAN FARINE, *Der Sakramentale Charakter*, 1904; FR. J. DÖLGER, *Sphragis*, 1911. — [2] Sess. 7, can. 9; cfr. *Decr. ad Armenos*, DENZ. 590.

Christo, et qui unxit nos Deus; qui et signavit [σφραγισάμενος] nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris". — „In quo [evangelio] et credentes signati estis [ἐσφραγίσθητε] Spiritu promissionis sancto". — „Nolite contristare Spiritum s. Dei, in quo et signati estis [ἐσφραγίσθητε] in diem redemptionis" [1]. Fatemur textus, qui a patribus et theologis diversimode explicantur, per se non sufficere ad probandam exsistentiam vel unius characteris; quum tamen doctrina de charactere sacramentali, qualis in fontibus traditionis prostat, cum his textibus manifeste connectatur, saltem valde probabile est, s. Paulum, loquendo de obsignatione fidelium, ad eandem rem respexisse.

80 2°. *SS. Patres* primo rem nostram innuunt, quando Baptismum vocant „sigillum" [2], „sigillum infragile" [3], „sigillum Domini" [4], „signaculum in Christo muniens contra tentationes" [5], „signaculum datum a Christo fidelibus" [6], „signaculum nostrum", „signaculum fidei" [7], cet. Nam si quaeras, quare Baptismus non semel aut iterum, sed constanter atque a plurimis sigillum dicatur, rationem vere sufficientem in sola gratia aut ritu externo non invenies.

Praeterea non desunt effata clariora. THEODOTUS (saec. II): „Fideles inscriptionem habent per Christum, nomen Dei, Spiritum autem velut imaginem. Quin et muta animalia per signaculum ostendunt, cujus sit unumquodque, et ex signaculo vindicantur: sic etiam anima fidelis, quae veritatis sigillum accepit, stigmata Christi portat" [8]. — S. EPHREM: „Sicut annulus in cera imprimit suum sigillum, ita etiam signum occultum Spiritus per oleum imprimitur personis quando

---

[1] *II Cor.* **1**, 21—22; *Ephes.* **1**, 13; **4**, 30; cfr. BARTMANN, *Lehrb. der Dogmatik*, II, Ed. 3a, p. 232. — [2] *Ep. 2 s. Clem.* **7**, 6; **8**, 6; HERMAS, *Pastor*, sim. VIII, **6**, 3; IX; **16**. — [3] *Constit. ap.* III, 16. — [4] CLEM. ALEX, apud EUSEB. *H. E.* III, 23. — [5] *Act. s. Theclae*, 8. — [6] S. HIPPOL., *De Christo et anti-christo*, 6. — [7] TERTULL. *De Spect.* c. 4 e. 24. — [8] *Ecloga ex Theodoto* apud CLEM. ALEX. n° 86t

unguntur in baptismo et eodem baptismo signantur" [1]. — S. CYRILLUS HIER: „Salutare et admirabile sigillum confert [Deus in baptismo], quod contremiscunt daemones et agnoscunt angeli, ita ut illi quidem fugitent abacti, hi vero ut cognatum et familiarem circumplectantur" [2]; — et alibi de Confirmatione: „Oleo caput tuum impinguabit in fronte per signaculum, quod habes Dei, ut efficiaris effigies signaculi, sanctificatio Dei" [3]. — S. BASILIUS: „In acie duces tesseram tribuunt sub se militantibus, ut amici facile se invicem inclament. Quomodo vindicabit te angelus, quomodo eripiet ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? Quomodo dicturus es tu: Dei sum, si notas ac insignia non exhibeas" [4]. — S. AMBROSIUS, allatis textibus Scripturae supra indicatis: „Signati ergo Spiritu a Deo sumus. Sicut enim in Christo morimur, ut renascamur, ita et Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus: quod est utique spirituale signaculum. Nam etsi specie signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem" [5]. — S. GREG. NAZ.: „Signatus [est fidelis] anima et corpore chrismate et Spiritu, quemadmodum olim Israel nocturno illo cruore, qui primogenitos tuebatur. Hoc tibi et in vita maximum praesidium ad securitatem, ovis enim signata non facile patet insidiis, non signata vero a furibus facile rapitur, et in morte faustum funerale" [6]. — S. CHRYSOST.: „Quemadmodum nota quaedam militibus, ita fidelibus quoque Spiritus imponitur. Quo fit ut, si ordinem deserueris, perspicuus omnibus fias. Judaei enim signi loco circumcisionem habent, nos autem pignus Spiritus" [7]. — S. EPIPHANIUS: „Baptismus, quo a peccatis praecidimur et in Dei nomine signamur" [8].

---

[1] Apud ASSEMANI, *Bibl. Orient.* I, p. 94. — [2] *Cat.* 1, 3. — [3] *Cat. mystag.* 4, 7. — [4] *Hom. in Bapt.* n° 4. — [5] *De Spir. S.* I, 79. — [6] *Orat. 40 in s. bapt.* n° 15. — [7] *Hom. 3 in II Cor.*, n° 7. — [8] *Haer.* 8 (Epicur.) n° 6.

81 His textibus satis probatur, animam praesertim in Baptismo, deinde etiam in Confirmatione quodam signaculo sigillari; sed remanet aliqua obscuritas ex eo, quod sigillum non diserte proponatur ut effectus distinctus a gratia, atque ab ea separabilis. Quaenam autem fuerit hac in re genuina patrum mens distincte explicavit s. AUGUSTINUS in sua controversia cum Donatistis, simul testando sensum ecclesiae circa characterem Ordinis.

Donatistis simul et catholicis persuasum erat, Baptismum, Confirmationem, Ordinem, semel valide collata numquam posse iterari; sed Donastistae ponebant, sacramenta illa extra veram ecclesiam suscepta non valere, quia extra ecclesiam non datur operatio s. Spiritus. Ideo catholicis ad eorum partes deficientibus sacramenta iterabant, quum catholici Donatistis redeuntibus ea minime repeterent. Ostendendum itaque erat, quomodo sacramenta illa extra ecclesiam malis, sine fructu gratiae collata, nihilominus ita valerent, ut numquam repeti possent. Jam s. Augustinus ut praxim et veritatem catholicam vindicaret simul et explicaret, in praedictis sacramentis tria distinguebat: ipsum sacramentum externum, effectum seu operatum Spiritus s. bonis et malis susceptoribus commune, et effectum qui solis bonis tribuitur, n. p. gratiam. Porro docebat, Baptismum, Confirmationem, Ordinem, semel ministrata, ratione effectus cunctis susceptoribus communis, semper haberi, semper manere, haerere, esse in homine, bonis quidem ad salutem, malis vero ad perniciem. Docebat, effectum illum a gratia separabilem, esse consecrationem quandam inamissibilem, cui injuria fieret si sacramentum iteraretur. Docebat denique, consecrationem hanc esse signaculum seu characterem, cujus physicam realitatem indicat, eum comparando cum signo circumcisionis, cum signatione monetae, cum nota ovibus ac militibus inusta [1]. Atqui his tota doctrina catholica de charactere continetur.

[1] Vide e. g. *De Bapt.* III, **16**, 2; V, **15**, 20; **24**, 34; VI, **14**, 14. 23; C. *Ep. Parmenian.* II, n⁰ 28—29; C. *Litt. Pe-*

Considerandum autem est, b. Augustinum in sua expositione constanter appellasse ad communem consuetudinem in ecclesia catholica, ad sanam doctrinam communemque sensum pastorum universalis ecclesiae. Igitur non novam doctrinam invenit, sed antiquam veritatem distinctius explicavit.

3⁰. Accedit *consensus scholarum*. Quamvis enim magistri 82
de natura characteris disputaverint, quamvis aliqui dubitaverint, num res ex Scriptura et antiquis patribus satis probaretur, exsistentiam trium characterum omnes admiserunt, et quidem propter auctoritatem ecclesiae, uti aperte testantur ii, qui argumenta directa ad probationem scientificam non satis inveniebant [1]. Tantum igitur abest, ut scholastici characterem invenerint, ut judicaverint sibi liberum non esse in hoc negotio a consensu ecclesiae recedere. Atqui, supposita infallibilitate ecclesiae, talis consensus ante omnem controversiam criterium veritatis exsistit.

Corollaria. 1. *De initerabilitate sacramentorum characterem imprimentium.* — Conc. trid. rationem, quare Baptismus, Confirmatio, Ordo semel valide collata iterari nequeant, repetit ex charactere, et merito quidem; ex eo enim quod consecratio per illa sacramenta operata, animae perpetuo inhaeret, eique exsistit titulus indelebilis accipiendi aut recuperandi gratiam, nulla datur causa sacramentum iterandi. Contra ex solo facto initerabilitatis per se sumpto exsistentia characteris non probatur; nam si sacramenta nullum characterem imprimerent, sed solam deputationem seu consecrationem ordinis intentionalis absque nota physica darent, adhuc initerabilia esse possent. Dicitur tamen: „ex solo facto inite- 83

tilian. II, n⁰ 239; *Ep. 98 ad Bonif.* n⁰ 5; *Tract. 6 in Jo.*, n⁰ 15; *Sermo ad pleb. caesar.* n⁰ 4; et cfr. SASSE, *De Sacram.* I, p. 98 seq. ubi etiam difficultas ex s. Augustino solvitur.

[1] Ita v. g. SCOTUS, *in IV Sent.* d. 6, q. 9, n⁰. 14.

rabilitatis per se sumpto", nam si initerabilitas consideratur secundum eum modum, quo in traditione ecclesiae continetur, veritatem characteris implicite continet. Et hoc sensu intellegendi sunt theologi, qui characterem probant ex initerabilitate. Ceterum ipsa initerabilitas trium sacramentorum, de quibus agimus, aliquatenus indicare videtur in Scriptura [1].

84 2. *De indelebilitate characteris.* — Character a conc. trid. vocatur signum indelebile; non quasi divina potentia destrui non posset, sed quia de facto non aufertur. Effatum trident. saltem intellegendum est de indelebilitate per totam vitam, secus enim non esset ratio omnimodae initerabilitatis. Praeterea communis et certa sententia est, characterem etiam post hanc vitam perpetuo remanere „in bonis ad eorum gloriam et in malis ad eorum ignominiam" [2]. Sane modus loquendi patrum et conciliorum perpetuitatem absolutam indicat, et nulla subest ratio eam ad praesentem vitam restringendi.

85 **Scholion.** *Doctrina scholastica de charactere.* — 1. Contra Durandum, qui ponebat, characterem non esse nisi relationem rationis, meram deputationem hominis ad cultum Dei, communis doctrina tenet, characterem esse *realitatem physicam* in anima, quam omnes referunt ad catagoriam *qualitatis*. Opinio Durandi modo loquendi patrum, ipsiusque conc. trid. excluditur; ceterum alii mitius, alii severius de ea judicant.

86 2. Admissa realitate physica communis sententia habet characterem esse signum distinctivum, configurativum Christo, et exigitivum gratiae.

a. *Signum distinctivum.* Regnum Christi in terris est veluti acies ordinata, tres complectens ordines seu status: inchoato-

[1] *Hebr.* 6, 4—6 (Bapt.); *Act.* 19, 1—6 (Bapt. et Confirm.); *II Tim.* 1, 6 (Ordo). — [2] *S. Th.* III, 63, 5, ad 3.

rum (Baptismus), perfectorum (Confirmatio), ministrantium (Ordo). Quamvis itaque Deus atque angeli non indigeant signis, ut membra Christi ab aliis dignoscant, certe conveniens fuit, subditos Christi secundum proprium suum ordinem signaculis quibusdam spiritualibus distingui. Praeterea characteres non quidem secundum se, sed in quantum sacramentis exterioribus infallibiliter connectuntur, diversos ordines christianorum etiam respectu ecclesiae visibilis ab invicem distinguunt.

b. *Signum configurativum Christo.* Si varii ordines regni 87
christiani specialibus insigniis decorantur, omnino conveniens est, propriam naturam horum insigniorum esse in eo, ut homines Christo configurent sive conforment, tribuendo eis *similitudinem quandam cum Christo.* Porro in ordine supernaturali homines duplici modo Christo assimilari possunt, primo participando de munere Christi, deinde et maxime participando de natura ejus divina. Haec altera participatio habetur per gratiam sanctificantem, qua „divinae consortes naturae" [1] reddimur; unde restat ut per characterem *participemus de munere Christi.* Jam missis particularibus distinctionibus recte dicitur, munus Christi esse sacerdotium, non enim alia de causa Verbum Patris naturam nostram assumpsit, quam ut nomine totius humanitatis Deum coleret, et homines ad cultum Dei institueret atque aptaret. Igitur per characteres sacramentorum homines *ita configurantur Christo, ut de ejus sacerdotio participare incipiant,* sive generaliter tantum, sive etiam specialiter; aliis verbis: per characteres homines *deputantur et consecrantur ad cultum Dei, secundum ritum christianum.*

Nunc autem inter cultores Dei tres veluti gradus distinguere oportet. Primus gradus est eorum, qui simpliciter participant de sacris, quae sunt in ecclesia; et huic gradui adscribimur per *characterem Baptismi, quo deputamur ad sacra suscipienda.* Secundus gradus est eorum, qui ut provecti apti sunt

[1] *II Petri,* 1, 4.

ad pugnandum contra persecutores fidei, nomen Christi publice confitendo; et ad hunc gradum promovemur per *characterem Confirmationis, quo deputamur ad sacra defendenda* ex officio. Denique tertius gradus est eorum, qui eliguntur ad sacra conficienda aliisque tradenda; et ad hunc gradum ascendimus per *characterem Ordinis, quo deputamur ad sacra ministranda.* — Simul vides, homines per characterem Baptismi et Confirmationis generaliter tantum participare de sacerdotio Christi, fieri sacerdotes in sensu lato et improprio [1]; per characterem Ordinis vero proprie ac specialiter.

88 c. *Signum exigitivum gratiae.* Vix opus est dicere, functiones sacras, ad quas per characteres consecramur, non posse decenter impleri absque gratia, sublimitati muneris proportionata; Deus enim non vult nisi cultores sanctos, et eo sanctiores, quo perfectius Christo summo sacerdoti assimilantur. Hinc characteres, eo ipso quod hominem indelebiliter consecrant ad functiones cultus divini, ei sunt dispositiones seu tituli, quantum est de se gratiam appellantes, uti supra jam dictum est.

89 3. Qui deputatur ad cultum divinum eo ipso accipit *posse quoddam in actiones sacras,* et hac de causa character reduci solet ad illam speciem qualitatis, quae vocatur *potentia*; et ita quidem ut character baptismalis dicatur potentia passiva, characteres Confirmationis et Ordinis potentiae activae. Qui propugnant causalitatem physicam sacramentorum, intellegere solent potentiam physicam [2]. At si character esset principium physicum receptionis aut operationis ad quas ordinatur, non intellegitur, quomodo non-baptizatus Baptismum suscipere, non-confirmatus fidem profiteri, non-ordinatus officiis diaconi fungi ullatenus posset. Putamus igitur, characterem non importare nisi potentiam moralem: *posse ex of-*

[1] Cfr. *I Petri,* 2, 9. — [2] Cfr. BILLUART, *De Sacr. in comm.* Diss. 4, art. 2.

ficio, congruenter, posse legitime eodem fere modo quo character militaris (cujus locum apud nos supplet habitus militaris) non tribuebat posse physice, sed posse legitime pugnare.

Nec obstat, quod non-baptizatus reliqua sacramenta ne valide quidem suscipere, non-ordinatus ne valide quidem consecrare possit. Nam res explicari potest ex positiva ordinatione Christi, qua statuit, ut quidam ritus omnino non essent sacramenta sua, nisi susciperentur et ministrarentur a personis, habentibus requisitam deputationem in charactere subjectatam. Quod si ita est, character per se quidem non tribuit nisi potentiam moralem, sed *consequenter* ad hanc legem Christi tribuit etiam in nonnullis *posse valide*.

Consectaria. 1. Post praedicta facile intellegitur *conveni-* **90**
entia veritatis traditae, quod tria tantum sacramenta saepius numerata characterem imprimant. Baptismus siquidem, Confirmatio et Ordo hominem consecrant ad cultum Dei, eum promovent ad peculiarem statum cujus propria ratio est cultus Dei publicus. Reliqua sacramenta id non faciunt. De s. Eucharistia, Poenitentia, Extr. Unctione res est evidens; Matrimonium autem homines in novum statum quidem collocat, sed propria ratio status conjugalis non est cultus Dei publicus; ideo conjugati non constituunt peculiarem ordinem ecclesiasticum.

2. Usus habet, ut gratia dicatur effectus *primarius*, cha- **91**
racter effectus *secundarius* sacramentorum; sed haec accipienda sunt secundum ordinem *dignitatis et finis*, non vero secundum ordinem temporis aut causalitatis.

Ordinarie, i. e. quoties sacramentum digne suscipitur, gratia et character eodem tempore dantur; nihilominus character per accidens gratiam tempore praecedere potest, tunc scil. quando sacramentum suscipitur cum obice, qui postea removetur. Contra evidens est, gratiam sacramenti nunquam praecedere characterem.

Ordinem causalitatis quod attinet; quamvis non una sit

theologorum sententia, omnino putamus characterem, non solum in casu exceptionali susceptionis cum obice, sed semper praecedere gratiam. Saepius enim diximus, characterem, non praecise ut est qualitas physica, sed in quantum est consecratio ad cultum Dei, habendum esse ut titulum exigitivum gratiae.

CAPUT III.

De Sacramentorum causis.

Causae sacramentorum, extrinsecae scil. tres sunt, instituens et ministrans: qui habent rationem causae efficientis, praeterea suscipiens: qui habet quodammodo rationem causae materialis. Hinc tres articuli: de sacramentorum *auctore*, *ministro*, *subjecto*.

Art. I.

DE SACRAMENTORUM AUCTORE [1].

92 I. Quum solus Deus per modum principalis agentis effectus sacramentorum operari possit, robur ac virtus sacramentorum ultimatim a solo Deo pendet. Porro is, a quo res virtutem suam habet, verus rei auctor est. Manifestum itaque est, solum Deum unum et trinum esse *auctorem principalem* omnium sacramentorum. Et hoc intellegunt scholastici quando dicunt, solum Deum habere *potestatem auctoritatis* in sacramenta; potestas siquidem auctoritatis est potestas ex omni parte principalis et independens. Quod autem valet de Deo, utique valet de Christo, in quantum est Deus.

93 II. Sequitur Christo, in quantum est homo, non competere nisi potestatem ministerialem in sacramenta. Quum tamen et

[1] Cfr. *S. Th.* III, 64, 1—4.

alii homines, v. g. sacerdotes, habeant potestatem ministerialem in ea, a potestate Christi longe discretam eique subordinatam, potestas ministerii principalis, quae Christo-homini competit, vocari solet *potestas excellentiae*.

Potestas excellentiae *fundatur* ultimo in unione hypostatica, proxime vero in eo, quod Christus-homo passione sua meruit omnem gratiam per sacramenta dispensandam; convenit etenim ut ille, cujus merita dispensantur, peculiare dominium habeat in media, quibus dispensantur. *Complectitur* autem haec tria: a. quod Christus-homo ut instrumentum conjunctum Deitatis potuerit instituere sacramenta; b. quod potuerit ea jugiter conferre per alios tamquam ministros secundarios, qui agant nomine et virtute ipsius; c. quod potuerit sacramentorum effectus conferre sine sacramentis. — Missis quae sub b. et c. indicata sunt, in praesenti de sola institutione sacramentorum agitur.

III. Aliud est, Christum-hominem sacramenta instituere 94
potuisse, aliud solum Christum id potuisse. At si consideraveris, in praesenti ordine omnem gratiam esse gratiam Christi, et Christum esse totius ecclesiae caput, a quo omne ministerium in alios derivatur, facile videbis, in hoc ordine *nullum sacramentum institui potuisse nisi per Christum, aut immediate aut saltem mediate*, n.p. per alium ab ipso delegatum.

IV. Restat quaestio, num Christus omnia sacramenta *im-* 95
mediate et per seipsum instituerit.

Immediate sacramentum instituit, si ipse gratiam sacramentalem assignavit et ritum, quo haec gratia daretur aut in individuo aut saltem in confuso determinavit, dicendo v. g. apostolis: volo, ut iis, quos ad regendam ecclesiam meam assumetis (episcopis), talem potestatem sacram cum gratia correspondente impertiatis, adhibendo hunc gestum et haec verba, vel: adhibendo gestum et formulam convenientes, a vobis accuratius determinandas.

Iediate sacramentum instituisset, si v. g. dixisset: volo, ut vos et successores vestri in adjunctis vobis bene visis, certis personis gratias, quibus indiguerint, conferre possitis signis externis, a vobis eligendis.

96 Hujusmodi institutionem mediatam pro Confirmatione ex vulgata multorum sententia admisit Alexander Halensis, docendo. sacramentum illud institutum esse ab ecclesia in conc. meldensi a. 845. At, si ita revera sentivit [1], singulariter erravit, nam conc. meldense id unum habet, chorepiscopis non licere chrisma conficere et Confirmationem administrare [2]. Porro certum, imo, ut omnino videtur, *de fide* est, Christum hujusmodi delegationem apostolis eorumque successoribus non dedisse, unde conc. trid. definivit: „S. q. d., sacramenta N. L. non fuisse omnia a Christo Jesu domino nostro instituta, a. s." [3]. Absonum enim foret, hanc definitionem intellegere de instutitione mediata ut supra. — Simul vides, quantopere a vero aberravit A. Loisy, docens nullum sacramentum a

[1] Alii siquidem ejus verba interpretantur de sola nova determinatione materiae et formae: „Institutum fuit hoc sacramentum Spiritus s. instinctu in concilio meldensi quantum ad formam verborum et materiam elementarem, cui [ritui] etiam [sicut et ritui antea usitato] Spiritus s. contulit virtutem sanctificandi." *In IV, q. 9, m. 1.* Cfr. DE BAETS in *Rev. Thom.* 1906, t. 14, p. 31 et V. D. HEEREN; in *Rev. d'Hist. ecclés.* 1907, p. 797, qui contendit, tunc temporis nomine institutionis mediatae intellectam esse institutionem immediatam *cum determinatione signi in confuso tantum.* Lege DE SMET. *Tract. dogm. moral.* p. 73 seq. — [2] Can. 44; cfr. HEFELE, *Conciliengesch.*, IV², p. 115. — [3] *Sess.* 7, can. 1; cfr. *Sess.* 14, *de ext. unct.* can. 1, ubi Ext. Unctio dicitur: „sacramentum a Christo d. n. institutum et a b. Jacobo ap. promulgatum"; et *Sess.* 21 cap. 2 ubi declaratur, „potestatem perpetuo in ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*, ea statueret vel mutaret", quae adjuncta exegissent. Porro si ecclesia accepisset delegationem ut supra, etiam circa *ipsam substantiam* sacramentorum statuere ac mutare posset.

Christo historico institutum esse, sed omnia citius tardius inventa atque imposita fuisse ab ecclesia, societate per spiritum Christi animata. Quod ad summum esset mediata quaedam institutio [1].

Quid si quaereres, num eadem definitione tridentina etiam absolute excludatur hypothesis, secundum quam apostoli post ascensionem Domini aliquod sacramentum instituissent *ex revelatione Spiritus s.* (quod de Confirmatione et Ext. Unctione admisit s. Bonaventura [2], et probabiliter etiam Hugo Victorinus[3] et Petrus Lombardus [4]), res non ita certa est. Sane institutio per Spiritum s. facta in apostolis, ut erant organa revelationis, omnino differret ab institutione mediata quam supra descripsimus; esset reapse institutio immediate divina; apostoli stricte loquendo non essent institutores sed promulgatores; denique sacramenta hoc modo per Spiritum Christi apostolis instituta recta dicerentur sacramenta Christi, sicut universa doctrina revelata N. T., non exceptis iis, quae apostoli post ascensionem a Spiritu s. acceperunt, doctrina christiana ab omnibus vocatur.

Hypothesis praedicta nullo argumento positivo suadetur et a multis saeculis a nemine defenditur. Sed forte per eam ex-

---

[1] Cfr. *Autour d'un petit livre*, p. 220 seq. Concludit his verbis: „Si donc il est une chose évidente, c'est que l'idée générale de l'institution sacramentelle, comme elle est énoncée dans les décrets du concile de Trente, n'est pas une représentation historique de ce qu'a fait Jésus ni de ce qu'a pensé l'église apostolique, mais une interprétation authentique, je veux dire *autorisée pour la foi*, du fait traditionnel" (p. 225). Cfr. Dect. *Lamentabili*, prop. 39: „Opiniones de origine sacramentorum, quibus patres tridentini imbuti erant quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis, quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent." Prop. 40: „Sacramenta ortum habuerunt ex eo, quod apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt." — [2] *In IV Sent.* d. 23, a. 1, q. 2 (cfr. d. 7, a. 1, q. 2) et *Breviloq.* VI, 4. — [3] *De Sacram.* l. II, p. 15, c. 2. — [4] *Sent.* IV, 23.

plicatur, quo sensu plures theologi asserant, institutionem immediatam omnium sacramentorum per Christum certam quidem esse, non tamen de fide [1]. Sane facile dabis, patres trident., ut delegationem supra memoratam excluderent, institutionem omnium sacramentorum per Christum definiisse, negligendo quidem et improbando, at non praecise damnando hypothesim praedictam, nulla ratione fultam sed satis innocentem. Nam certe vera intentio concilii fuit definire institutionem sacramentorum esse juris divini, minime vero juris ecclesiastici. — His praemissis sit:

97 PROP. **Christus omnia N. L. sacramenta immediate et per se ipsum instituit.**

Probatur. — 1°. *Indirecte.* Ab una parte ecclesiae certissime constat se habere septem veri nominis sacramenta; ab alia parte eidem ecclesiae intime persuasum est sibi non competere potestatem aliquod sacramentum — signum efficax gratiae sanctificantis — instituendi. Ergo ecclesia ea omnia a suo fundatore recipere debuit. — Et hoc argumentum, ex principiis catholicis ineluctabile, patribus tridentinis sufficere potuit ad edendam definitionem suam.

2°. *Directe.* a. *S. Scriptura* institutionem Baptismi, Eucharistiae, Poenitentiae per Christum aperte refert; quum autem traditio ecclesiastica omnia sacramenta, ut sacramenta sunt, in eodem censu habeat, ex analogia inferendum videtur, etiam reliqua ab ipso Domino esse instituta, praesertim quia s. Lucas scribit, Christum redivivum apostolos docuisse ea, quae ad ecclesiam pertinent [2], et s. Paulus protestatur, apostolos non esse nisi „dispensatores [*οἰκονόμους*] mysteriorum Dei" [3]. Sacramenta siquidem, quae sunt instituta fundamentalia eccle-

[1] Ita sentiunt v. g. R. Tapper et Dom. Soto, qui conc. trid. interfuerunt, Suarez, Arriaga, Gotti, Tournely (apud LAHOUSSE, *De Sacr.* p. 252). — [2] *Act.* **1**, 3: *λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλειάς τοῦ θεοῦ.* — [3] *I Cor.* **4**, 1.

siae, sub rebus ad ecclesiam pertinentibus, mysteriisque Dei omnino videntur comprehendi.

b. *Traditio.* Quum antiqui patres de cunctis sacramentis per modum unius non egerint, mirum non est, nullum apud eos prostare testimonium, quo diserte affirmetur, omnia septem sacramenta ab ipso Christo esse instituta. Nihilominus ubi de origine alicujus sacramenti verbum faciunt, semper ipsum Christum ut auctorem assignant, nec levissimum apud illos occurit indicium in favorem institutionis mediatae alicujus sacramenti. Praeterea s. Augustinus ex professo docet, ipsum Christum, Verbum Dei „homine assumpto", non vero apostolos aut alios ecclesiae pastores, instituisse paucos illos ritus, quibus populus christianus in unam societatem colligitur, ut sunt Baptismus et Eucharistia „et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur"[1]. Atqui omnia septem sacramenta ét in s. Scripturis memorantur, ét habent rationem vinculorum colligentium populum Christi. Praeterea idem Augustinus habet, Christum potuisse apostolos delegare ad instituendum Baptisma, sèd id facere noluisse, ne servus in servo spem poneret; ideo apostolis non potestatem instituendi, sed solum dispensandi ministerium tribuit[2]. Atqui eadem ratio etiam pro reliquis sacramentis valet. Denique Augustinus, aliique patres docent, ideo effectum sacramentorum non pendere ex dignitate ministrantium, quia illi semper agunt ex persona Christi, administrando sacramentum Christi[3]. Atqui hic modus loquendi institutionem sacramentorum per ipsum Christum suppponit. 98

Fatemur, his omnibus rem non stricte confici; sed quae fuerit genuina antiquorum patrum mens, apertius declaravit consensus posteriorum saeculorum. Quam primum enim saec.

[1] *Ep.* 54 *ad Januar.* cap. 1; *De ver. relig.* cap. 17. — [2] *Tract.* 5 *in Jo.*, n⁰ 7. — [3] S. AUGUST. *Tract.* 5 *in Jo.* n⁰. 18; *Tract.* 6, n⁰. 7; s. AMBROS. *De Spir. S.* l. I, n⁰. 18; s. PACIANUS, *Ep.* 3 *ad Sympron.* n⁰. 7.

XII septem sacramenta connumerari coeperunt, statim omnia aequaliter Christo auctori tribuebantur; nam septem ecclesiae sacramenta teste Herbordo „tradita sunt nobis a Domino" [1]. Paucissimi autem scholastici supra memorati, qui aliter sentiverunt, mox ita derelicti sunt, ut omnes, ducibus Alberto Magno, s. Thoma, Scoto, immediatam institutionem propugnaverint [2].

99 c. *Ratio theologica* rem confirmat. Christus per seipsum ecclesiam instituit. Porro ecclesiam instituere nihil aliud est quam determinare essentialia elementa, quibus ecclesia ut societas religiosa constituitur. Atqui ad haec elementa essentialia, praeter doctrinam fidei et formam socialem etiam pertinent sacramenta, quae sunt fontes gratiae, quibus vita supernaturalis ecclesiae communicatur. Igitur institutio seu determinatio sacramentorum fieri debuit per ipsum Christum, non per apostolos: „Apostoli, ait s. THOMAS, et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta. Unde, sicut non licet eis constituere aliam ecclesiam, ita non licet tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta" [3].

100 **Scholion.** *De modo, quo Christus materias et formas sacramentorum determinavit.* — Si Christus omnia sacramenta per seipsum instituit, omnino necesse est, ut earum partes essentiales saltem aliqua ratione determinaverit. Sed aliud est eas determinare *in specie*, praescribendo hunc gestum et hanc sententiam; aliud determinare *in genere*, injungendo gestum aptum et verba convenientia tantum, accuratiorem specificationem ecclesiae relinquendo. Vix dubitari potest, determinationem genericam sufficere, ut Christus dicatur

[1] In VITA S. OTTONIS ep. bamberg, cfr. supra n⁰. 13. — [2] Ipse s. Bonaventura necessitatem sensisse videtur, institutionem omnium sacramentorum Christo personaliter aliqua ratione tribuendi. Lège *Brevil.* VI, 4. — [3] *S. Th.* III, 64, 2 ad 3.

immediatus sacramentorum institutor; sed quaeritur, quid reapse factum fuerit. Et quaestio non est sine momento; in quantum enim aliquis ritus per ipsum Christum determinatus est, semper et inviolabiliter necessarius erit ad valorem sacramenti; in quantum vero ab ecclesia specificatus fuerit, per ecclesiam poterit immutari.

Porro ab una parte nemo contendit, Christum ita accurate designasse signa sacramentalia, ut circa materiam ejusque usum omnia usque ad ultimum jota determinaverit, circa formam ipsa verba materialiter sumpta praescripserit. Nam certo pro Eucharistia non determinavit panem azymum vel fermentatum, pro Baptismo non discrevit immersionem vel infusionem aquae; item quoad formas non praescripsit tale idioma aut grammaticalem constructionem sententiae. Igitur determinatio specifica ita intellegenda est, ut manentibus eodem signo quoad substantiam eademque sententia, detur aliqua latitudo.

Ab alia parte determinationem genericam nemo ita absolute accipere videtur, ut dicat, Christum pro aliquo sacramento specificationem signi ex integro ecclesiae reliquisse; siquidem constare videtur, Christum semper aliquod signi elementum designasse, ita ut ad summum accuratiorem specificationem sive materiae, sive formae, sive utriusque, ecclesiae commiserit. — Vides limites determinationis specificae et genericae non ita ratos et fixos esse.

His praemissis certum est, materiam et formam Baptismi **101** et Eucharistiae ab ipso Domino in specie esse designatas; quoad reliqua sacramenta dubitatur.

Sententia prior defendit determinationem specificam [1]; provocat autem tum ad rationes convenientiae [2], tum praesertim ad conc. trident., ubi declaratur, ecclesiam posse varia

[1] Cfr. *Zeits. f. k. Theol.* (Oeniponte), 1908, p. 43 et 254, *Der Katholik*, 1915, II, p. 25. — [2] Cfr. *S. Th.* III, **60**, 5, c. et ad 1; 64, 2 ad 1.

statuere circa dispensationem sacramentorum „salva illorum substantia"; quum alibi dicatur, quod „sacramenti essentia materia et forma perficitur" [1].

Altera sententia, cui illustres theologi adstipulantur [2], putat, determinationem specificam pro omnibus sacramentis spectata historia sustineri non posse. Constat siquidem in ecclesiis orientalibus ritum quorundam sacramentorum haud leviter differre a ritu latino; constat etiam in ipsa ecclesia latina ritum hodiernum a ritu antiquo non parum discrepare, et ita quidem ut vix possibile sit, omnes illas differentias habere ut accidentales seu caeremoniales tantum. Rationem hujus asserti habebis ex doctrina de singulis sacramentis in specie.

Ad rationes primae sententiae respondetur: a. rationes convenientiae fundare praesumptionem in favorem determinationis specificae, sed praesumptionem argumentis historicis elidi. — b. Omnino verum est, ecclesiam non posse mutare sacramentorum *substantiam*; at si Christus ritum alicujus sacramenti in genere tantum determinavit, substantia hujus sacramenti est apta gratiae significatio, non vero hic specialis significandi modus. In utraque autem sententia verum est, essentiam seu substantiam sacramenti materia et forma *perfici*, nam apta significatio, quam Christus secundum alterius sententiae defensores requisivit, de facto non aliter habetur quam per applicationem materiae et formae ab ecclesia in specie infima determinatarum [3].

Negari nequit, utramque sententiam suis premi incommo-

[1] *Sess.* 21, cp. 2; *Sess.* 14, *de Poenit.* cp. 2. — [2] DE LUGO, *De Sacr. in gen.* Disp. 2, s. 5, n° 86 seq.; SALMANT. *Curs. mor. de Sacr. in gen.* c. 4, n°. 48; BELLARMINUS, *De Sacr. Ordinis*, cp. 9; BILLUART, *De Sacr. in comm.* Diss. I, art. 5, obj. 3, et consect. 1; HURTER, *Comp. theol. dogm.* III[3], n°. 287; BILLOT, *De Sacr.* Ed. 3. I, p. 34, 161; II, p. 269. De s. BONAVENTURA cfr. J. BITTREMIEUX, *L'Institution des sacrements d'après s. Bonaventure*, 1923. — [3] Cfr. *Gregorianum*, 1922, p. 385 et 557; *Ephem. Theol. Lov.*, 1924, p. 497; *Zeits. f. k. Theol.*, 1924, p. 161.

dis; primae sententiae adhaerendum dicerem, nisi in oppositam partem cogerent difficultates historicae.

Quae autem hoc loco de accuratiore determinatione materiae et formae dicta sunt, forte aliqua ratione ad designationem ministri competentis extendi possunt.

Art. II.

DE SACRAMENTORUM MINISTRO [1].

Ex praedictis (n⁰. 93) solus Christus-homo est minister **102**
principalis omnium sacramentorum, cujus nomine et auctoritate agunt quicumque ut ministri secundarii sacramentum conficiunt aut conferunt. Antequam de ministro sacramentorum dicamus, pauca praemittimus de *suprema auctoritate dispensationis*, quam Christus ecclesiae suae contulit, et cui omne ministerium secundarium quodammodo subordinatur.

Vix opus est dicere, Christum sacramenta a se instituta tradidisse ecclesiae, in quam omnem missionem suam, ad finem usque saeculi exercendam, transfudit. Hinc sacramenta sunt *bona ecclesiae*, cujus est invigilare, ut jugiter secundum institutionem Christi ministrentur, et cui, salva lege Christi, competit omnia statuere ac ordinare, quae pro locorum temporumque rationibus necessaria aut utilia fuerint tum ad suscipientium utilitatem, tum ad ipsorum sacramentorum venerationem [2].

Statim sequitur, neminem *legitime*, i. e. secundum debitum ordinem, sacramentum aliquod ministrare, nisi a competente auctoritate ecclesiastica missionem seu jurisdictionem ad hoc acceperit, et nisi observet normas ab ecclesia statutas. Missio autem seu auctorizatio ad sacramentum ministrandum potest esse aut ordinaria, aut extraordinaria pro solis casibus necessitatis, prout explicabitur ubi de singulis sacramentis. — In-

[1] Cfr. MORGOTT, *Der Spender der h. Sacramente* (1886). — [2] Cfr. Conc. trid. *Sess.* 21, cp. 2.

feres, nullum haereticum aut schismaticum sacramentum aliquod legitime ministrare posse, nisi in casu exceptionali necessitatis ab ecclesia auctorizetur; secus enim nullo jure fultus bonum alienum sibi dispensandum assumit. — Inferes adhuc, neminem qui sciens et volens sacramentum suscipit a ministro illegitimo, fructum gratiae percipere posse; communicando enim peccato alieno obicem ponit, quamdiu hanc perversam voluntatem non retractavit [1].

103 Aliud est ministrare legitime, aliud ministrare simpliciter *valide*. Quum igitur valor sacramentorum non pendeat ab ecclesia [2], sed a solo Christo, qui ea instituit ad modum causarum naturalium, minister illegitimus valide ministrare potest. Nihilominus aliquo sensu vero dici potest, nullum sacramentum valide ministrari nisi dependenter ab ecclesia, in quantum scil. ad valorem sacramenti omnino requiritur, ut quilibet ministrans sese quodammodo constituat ministrum ecclesiae, per intentionem saltem implicitam faciendi quod facit vera Christi ecclesia; ut infra ex professo dicetur [3].

Modo inquirendum est de ministri persona, de ejus intentione, ac dispositionibus moralibus.

§ 1. De persona ministri.

104 1°. *Soli homines viatores sunt ministri ordinarii sacramentorum*. „Sciendum tamen, quod sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligavit ecclesiae ministris, quin etiam angelis possit virtutem tribuere ministrandi sacramenta" [4].

[1] Per se patet, tum ministrum illegitimum, tum eum qui ab illegitimo suscipit, excusari posse bona fide. — [2] Scil. *per se*, nam *per accidens* res aliter se habere potest, ut in sacramento Poenitentiae. — [3] Cfr. n°. **110**. — [4] *S. Th.* III, **64**, 7, c.

2°. *Non quilibet homo, nec quilibet baptizatus, omnium sacramentorum minister est.* Conc. trid.: „S. q. d., christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, a. s." [1]. Assertio intellegenda est non solum de legitima, sed etiam de valida administratione. Quinam vero singula sacramenta ministrare possint, suis locis dicetur.

3°. *Nemo sibi ipsi sacramentum ministrare potest.* Innocentius III nullum declaravit Baptismum cujusdam judaei, qui in articulo mortis seipsum baptizaverat, „quum inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur: „baptizate omnes gentes" [2]. — Excipienda est s. Eucharistia, quam sacerdotes offerentes propria manu sumunt, et etiam alii in casibus exceptionalibus sibi porrigere licite possunt.

§ 2. De intentione ministri [3].

Reformatores, quum docerent sacramenta non valere nisi **105**
ad fidem excitandam vel augendam, consequenter tenuerunt, tum omnes homines ad sacramenta ministranda idoneos esse, tum nullam requiri in ministris intentionem, quum solus ritus externus quocumque modo positus ad fidem excitandam sufficere possit. Probare debemus, intentionem absolute requiri; deinde ejus objectum et gradus veniunt explicanda.

Intentio in casu est *deliberata voluntas conficiendi sacramentum.* Distinguitur itaque ab *attentione*, quae est actualis applicatio mentis ad ea quae peraguntur.

PROP. **Ut ritus externus, ab homine positus, sit sacra-** **106**
mentum Christi requiritur intentio, qua homo se exhibeat ministrum Christi.

[1] *Sess.* 7, can. 10. — [2] *Decretal.* l. III, t. 42, c. 4; cfr. *Der Kath.* 1912, II, p. 380. — [3] Cfr. *S. Th.* III, 64, 8 et 10; FR. GILLMANN, *Die Notwendigkeit der Intention auf Seiten des Spenders und des Empfängers der Sakramente nach der Anschauung der Frühscholastik*, 1916.

Certum, imo de fide est ex definitione tridentina infra afferenda.

Prop. adstruendo necessitatem intentionis, simul indicat internam rationem propter quam requiritur, n.p. ut homo agat ex persona Christi, seu quod reapse idem est, ut ritum Christi non mere materialiter, sed formaliter ut ritum Christi celebret. Ex hoc fine infra deducemus, qualis intentio requiratur.

Dicere: „ut ritus externus ab homine celebratus sit sacramentum Christi", idem est ac dicere: „ut sacramentum valeat"; sed priorem loquendi modum seligimus, ne videamur ad valorem sacramenti aliquid amplius requirere praeter materiam et formam rite, i. e. secundum institutionem Christi applicatas. Reapse nihil amplius requiritur: nam ideo praecise intentio necessaria est, ut ritus externus ponatur formaliter secundum institutionem Christi, a. v. ut ponatur tamquam ritus sacramentalis. Unde quoties deficit intentio necessaria, proprie non habetur ritus sacramentalis, non habetur sacramentum.

107 *Probatur.* 1⁰. *Revelatio* necessitatem intentionis implicite adstruit, docendo dispensatores sacramentorum esse *ministros Christi* [1]. Atqui nemo actu agit ut minister Christi, nisi ut talis agere velit, a. v. nisi seipsum Christo subjiciat per suam intentionem. Hoc enim interest inter ministrum et instrumentum, quod minister, qui est instrumentum liberum, habens dominium sui actus, etiam seipsum movere debeat submittendo se principali agenti.

2⁰. *Ratione theologica.* Ritus externus non est sacramentum nisi in quantum significat gratiam; porro factum quod Christus certum ritum libere assumpsit ad significandam gratiam, non prohibet quominus idem ritus ad alios fines adhiberi possit, v. g. ad sacras caeremonias alios edocendos, ad mimicam repraesentationem in scena, imo ad illudendum religioni

[1] Cfr. v. g. *I Cor.* 4, 1.

christianae. Igitur quum ritus materialis indifferens sit ad plura, oportet quod per aliquid determinetur ad significandam gratiam, seu ad esse sacramentum; determinatur autem per voluntatem ministri, intendentis non jocari aut illudere, cet. sed agere illud, quod Christus suo nomine faciendum mandavit, a. v. per intentionem, qua homo se exhibet ministrum Christi.

Dices: ritus externus satis determinatur ad unum per verba **108** formae, ergo superflua est intentio; sed falleris. Ritus externus satis determinatur ad esse sacramentum per verba formae, *supposito* quod verba proferantur nomine Christi seu ex persona Christi; sed utrum ea reapse pronuntiem ex persona Christi, necne, id pendet ab intentione mea.

Hinc etiam explicatur, quid sibi velit s. Thomas dicendo: „intentio *exprimitur* per verba, quae in sacramentis dicuntur", et: „in verbis quae profert [minister], exprimitur intentio ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti" [1]; nam id unum intellegit: verba, si, ut fieri debet et fieri solet, ex persona Christi proferuntur, manifestare intentionem ministri. Quum autem secundum adagium: omne factum praesumitur rite factum, intentio, quae adesse debet et adesse communiter solet, semper praesumenda sit, quamdiu contrarium non apparet, subjungit: ex verbis serio et rite prolatis praesumendam esse intentionem debitam, „nisi contrarium exterius exprimatur", sive per verba, sive per alia adjuncta.

Corollarium. Ex iis quae de necessitate intentionis jam **109** diximus statim sequitur, numquam valere sacramentum, quod absque omni deliberatione conferretur, ita ut ejus ministratio *non esset actus humanus.* Hinc mente capti, somnambuli, perfecte ebrii valide ministrare nequeunt.

Scholion 1. *De objecto intentionis requisitae in ministro.* **110**
1°. Intentio *explicita et implicita.* — Ad valorem sacramenti

[1] *S. Th.* III, **64**, 8 c, et ad 2.

ea requiritur intentio, qua homo se exhibeat ministrum Christi; id autem fieri potest aut explicite aut implicite ac veluti in confuso.

Pone hominem apud se dicentem: volo celebrare hunc ritum, ut ritum a Christo institutum, ut productivum gratiae, ut in se et objective sacrum; habet intentionem explicitam faciendi quod Christus instituit. At hujusmodi intentio explicita, utut optima, minime necessaria est ad valorem sacramenti.

Finge ministellum rationalistam et medicum incredulum vel judaeum baptizare infantes, ut morem gerant parentibus, sive catholicis, sive saltem christianis. Non credunt, Baptismum esse ritum a Christo institutum, vere sacrum, productivum gratiae, cet. Quid ergo? Sciunt, ritum Baptismi christianis sacrum esse, et parentes velle ut, conformiter ad usum ecclesiasticum apud ipsos receptum, hunc ritum applicent infantulis; ideo modo lubentes, modo sat inviti, eum applicant. Quid intendunt? Intendunt facere, quod facere solent christiani, quod facit ecclesia aut secta christiana. Jam si societas christianorum, cujus consuetudini se conformant, est ecclesia catholica, habes in medico incredulo intentionem explicitam faciendi quod facit ecclesia catholica; et, quum ecclesia catholica indefectibiliter faciat id quod Christus instituit, habes in eodem medico intentionem implicitam faciendi quod Christus instituit. — Quod si societas christianorum, cujus usui medicus aut ministellus se proxime conformant, est secta v. g. calviniana aut lutherana, intentio baptizantis primo erit: facere quod faciunt calvinistae aut lutherani. Sed quare calvinistae, lutherani, jansenistae, anglicani, graeci orthodoxi, cet. Baptismum celebrant ut ritum sacrum? Quia olim, a catholica unitate recedentes, hunc ritum servaverunt. Igitur quod sectae hoc ritu facere intendunt reapse id est, quod facere solebat ac solet ecclesia catholica; proinde ultimo est id quod Christus instituit. Et ita intentio explicita faciendi quod faciunt christiani qualescumque, semper *resolvitur in intentionem faciendi quod facit ecclesia, de hinc faciendi quod Christus instituit.* Igitur

quicumque sacramentum aliquod ministrando, habet intentionem saltem faciendi quod facit ecclesia, implicite seipsum constituit ministrum Christi; ac per consequens (suppositis supponendis) valide ministrat. Contra, cum id quod Christus instituit necessario et indefectibiliter convertatur cum eo quod facit ecclesia, omnis qui ritum sacramenti celebrando nulla ratione, ne implicite quidem, haberet intentionem faciendi quod facit ecclesia, nullo modo se exhiberet ministrum Christi; proinde invalide ministraret defectu necessariae intentionis. Et hac de causa conc. trid., post decret. ad Armenos, definivit: „S. q. d., in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri *intentionem saltem faciendi, quod facit ecclesia*, a. s." [1].

Facile vides, vocem *„saltem"* adjectam esse, ut insinuetur, **111** praestare intentionem magis distinctam et specificatam ut supra, sed absolute requiri simul et sufficere intentionem generalem seu confusam faciendi quod facit ecclesia, quidquid illud est.

Dictum est, necessario converti id quod Christus instituit cum eo quod facit ecclesia. Quaeres igitur, quare conc. trid. non potius dixerit, requiri intentionem saltem faciendi quod Christus instituit? Respondendum puto: quum ritus sacramentales, eorumque usum proxime ab ecclesia accipiamus, facilius est ritum externum cognoscere ut sacrum in ecclesia, ut ab ecclesia adhiberi solitum, quam ut ritum a Christo institutum; et ita facilius ac veluti per prius habetur voluntas faciendi quod facit ecclesia, quam voluntas explicita faciendi quod Christus instituit. — Ceterum formula „faciendi quod facit ecclesia" originem habere videtur a Praepositivo Cremonensi († c. 1217), et diu ante conc. trid. usu scholarum consecrata erat.

Fieri potest, ut minister concipiat duas intentiones contrarias, **112**

[1] *Sess.* **7**, can. 11; cfr. DENZ. 695; cfr. *Nouv. Revue théol.*, 1922, p. 453.

alteram generalem seu confusam, alteram specialem. Calvinista potest dicere: volo ministrare ritum Baptismi ut usitatum apud veros christianos, sed nullatenus intendo conferre sacramentum in sensu ecclesiae catholicae. Unitarius, ss. Trinitatis impugnator, dicere potest: volo ministrare Baptismum ut ritum sacrum christianorum, sed nullatenus volo baptizare in nomine trium personarum distinctarum; dicendo: „in nomine P. et F. et S. s." intellego tres modos ejusdem personae divinae. In hujusmodi igitur casibus perpendendum est, quaenam intentio praevaleat. Ordinarie intentio generalis praevalebit, aliamque elidet; sed si in aliquo casu praevaleret intentio specialis contraria, sacramentum esset invalidum.

113 2°. Intentio *externa et interna*. — Medio saec. XVI Ambros. Catharinus [1] docuit, ad valorem sacramenti sufficere, ut minister *sciens et volens* ritum externum *serio* perficiat, quin intendat illum celebrare ut sacrum in ecclesia, imo etiamsi in secreto cordis sui dicat: ludere volo, jocari et simulare, nihil ultra.

Qui ita ministrat habet aliquam intentionem, nec enim sine deliberatione agit nec invitus, sed intentio ejus fertur in *solam* rem externam, n p. ritum serio ponendum, praescindendo ab omni consideratione aut aestimatione mentali; et per consequens *per ipsam actionem externam* cum physica certitudine manifestatur. Impossibile enim est, ut homo sui compos ritum usitatum serio ponat, quin velit eum serio ponere. Hac de causa talis intentio vocari consuevit *intentio externa*.

Porro ei opponitur *intentio interna*, qua voluntas fertur non in solum ritum externum, praecisive sumptum, sed in ritum, *ut est institutus a Christo*, vel saltem *ut est sacer in ecclesia, seu apud christianos*. Vides, intentionem hanc attingere non solam rem externam, sed rem externam una cum

[1] In opusc. *De necessaria intentione in perficiendis Sacramentis*, Romae 1552. Eodem fere tempore hujusmodi intentionem externam defendit A. SALMERON.

consideratione mentali, unde ejus exsistentia non necessario, necessitate physica, manifestatur per celebrationem seriam ritus consueti; et hac de causa vocatur *interna*.

Opinio Catharini primum paucis placuit, sed circa finem saec. XVII atque per decursum saec. XVIII plures defensores nacta est: Contenson, Juenin, Natalem Alexandrum, Drouin, Farvacques et praesertim Hyac. Serry. Hi autem mentem Catharini ita aut exposuerunt aut emendarunt, ut dicerent, intentionem externam sufficere tantum, *quando adjuncta externa ritum ad esse sacramentale determinant*, v. g. quando minister est persona publica, ministrans in loco sacro cum debitis caeremoniis, aut saltem quando quis ministrat ad petitionem aliorum, sacramentum intendentium, cet [1].

Argumenta pro intentione externa sunt. *Primo*, sacramenta **114** ex institutione Christi operantur ad instar causarum naturalium; igitur sicut lignum semper comburitur quando ignis ei applicatur, quidquid applicans interius voluerit, ita sacramentum semper operatur, quando materia et forma serio applicantur.

Secundo. Omnino necesse est, ut certo constare possit de valore sacramentorum, secus enim salus fidelium, imo ipsa hierarchia ecclesiastica periclitantur. Atqui nisi intentio externa sufficiat, non potest constare inter homines de valore sacramentorum, quum interna intentio soli Deo nota sit. — Praeterea provocabant ad quosdam textus minus liquidos s. Augustini et s. Thomae, ut videre est apud Morgott [2].

Nihilominus sententia hodie *communis et vera* tenet, ad **115** valorem sacramenti requiri intentionem internam; quod *probatur* argumentis tum externis auctoritatis, tum ratione interna.

a. Immerito diceretur, sententiam Catharini a conc. trid. canone supra citato esse damnatam [3]. Patres trid. visebant

[1] Cfr. MORGOTT, l. c. p. 101—118. — [2] L. c. p. 167. — [3] Cfr. PALLAVICINI, *Hist. du Concile de Trente*. l. IX, c. 6, n°. 2. — Minus ad rem faciunt ea, quae leguntur in CONC. TRID. *Sess.* 14 *de Poenit.* cp. 6 in fine.

reformatores, contendentes simulationem *manifestam*, jocum *exterius apparentem* non officere validitati sacramentorum. Nihilominus sententia Catharini cum genuino sensu canonis aegre componitur. Verba canonis requirunt intentionem „faciendi quod *facit* ecclesia", non: quod intendit ecclesia; sed omnino praesumendum est, patres trident formulam intellexisse secundum eum sensum, quem in scholis theologicis habebat. Atqui in scholis in sensum intentionis internae accipiebatur [1].

116 b. Anno 1690 Alexander pp. VIII decreto Inquisitionis rejecit prop.: „Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere, quod facit ecclesia" [2]. Rationabiliter dubitari nequit, damnationem vere directam esse in opinionem, quam impugnamus; tum quia verba „intus vero, in corde suo, apud se" satis ostendunt, agi de ministro exterius serio agente et interius tantum simulante, tum quia propositio desumpta erat ex scriptis Farvacques, „quo nemo validius pro sententia Catharini decertabat" [3]. Praeterea, spectatis tempore damnationis et auctore ut supra, valde probabile est voces: „totum ritum externum formamque baptizandi" indicare ritum ecclesiae consuetum, inclusis s. caeremoniis. Observandum quidem est, propositionem de qua agimus damnatam esse in globo, ita ut non pateat, qualis censura ei inusta fuerit, sed „negari haud potest, grave vulnus praefatae opinioni inflictum esse ab Alexandro VIII". Ita Benedict. XIV [4].

c. Sufficientia intentionis externae non quadrat cum sententia universaliter admissa, sacramentum sub conditione etiam tacita ministratum non valere si conditio verificata non fuerit. Non quadrat cum nonnullis decisionibus ecclesiasticis, ut v.g. *Decret. Congr. Conc.* 27 Jan. 1586; 13 Feb. 1682 [5], et *Miss. Rom.*, Rub. de defect. § 7, 1.

[1] Cfr. MORGOTT, p. 97. — [2] Cfr. DENZ. 1318. — [3] Cfr. MORGOTT, p. 163. — [4] *De Synod.* I. VII, c. 4, n°. 8. — [5] Cfr. RICHTER-SCHULTE, *Can. et Decr. Conc. trid.* p. 175.

d. *Ratio interna* haec est: In ministro requiritur intentio, **117** ut agat tamquam minister Christi, ut ritum de se indifferentem ad plura determinet ad esse sacramentale (n°. **107**). Atqui ad hos fines non sufficit intentio, quae vocatur externa. Si intentio sistit in solum ritum materialem, subjectio ad Christum et determinatio ritus ad esse sacramentale simpliciter deficiunt. Si intus dixero: volo ritum, sed non ut ritum Christi, non ut ritum sacrum in ecclesia, subjectio ad Christum et determinatio ad esse sacramentale positive excluduntur. Parum refert, utrum exterius serio agam necne, utrum ministrem in iis adjunctis, ex quibus homines, quibus sola exteriora patent, concludere debeant, quod velim Christo ministrare. Manet enim quod id reapse aut non velim aut nolim. Atqui nullus homo actu agit ut minister alterius, nisi velit.

Hinc omnino dicendum est, ipsam simulationem manifestam invalidare sacramentum, non quia et quatenus exterius patet, sed quia et quatenus interius adest. Pone missionarium apud paganos, aut feminam catholicam apud parentes judaeos invenire infantem febri morientem. Fingunt, se velle refrigerare frontem aestuantem aut detergere sordes, et ita infantem clam baptizant, verbis submisse prolatis et absque ulla caeremonia. Nonne valide baptizarunt? Nihilominus externe simulaverunt, et quidem in iis adjunctis externis, quae ritum non determinabant ad esse sacramentale.

Restat ut respondeamus ad rationes, in favorem intentionis **118** externae allatas.

Ad *primum*. Exemplum ligni, quod semper comburitur, quidquid velit ille qui ignem admovet, si ad rem esset nimis probaret: efficeret enim, valere sacramentum etiam ex joco exterius apparente collatum; imo efficeret Baptismum per instrumentum mechanicum collatum valere. Sed exemplum non est ad rem. Sacramenta non sunt causae naturales, sicut ignis, aliaque id genus. Merito quidem dicitur, ea ex institutione Christi operari ad instar causarum naturalium; sed

sensus est, ea independenter a merito ministrantium sua virtute operari, quoties secundum institutionem Christi ponuntur. At vero si deest intentio interna, non ponuntur formaliter secundum institutionem Christi, quia non ponuntur ex persona Christi.

119 Ad *secundum*. De intentione interna non potest constare certitudine physica, sed generatim constat certitudine illa morali, quae ad prudenter operandum sufficit, et cui in omni fere commercio humano stare debemus. Sane intentio celebrandi ritum ut sacrum apud christianos, ita naturaliter connectitur cum externa celebratione seria ipsius ritus praescripti, ut, attento communi agendi modo hominum, judicandum sit, eam moraliter certo adesse, quoties in actione ministri nihil simulationis apparet. Hinc *practice* de requisita intentione nulla difficultas movetur, quoties integer ritus externus serio celebratur. LEO XIII: „Quum quis ad sacramentum conficiendum et conferendum materiam formamque debitam serio ac rite adhibuit, *eo ipso censetur* id nimirum facere intendisse quod facit ecclesia. Quo sane principio innititur doctrina, quae tenet, esse vere sacramentum vel illud, quod ministerio hominis haeretici aut non baptizati, dummodo ritu catholico, conferatur" [1].

Ceterum ad habendam certitudinem physicam de valore sacramentorum practice parum prodesset veritas sententiae Catharini. Nonne minister sacrilegus in plurimis casibus Baptismi, consecrationis, absolutionis, cet. formam corrumpere potest quin deprehendatur?

Denique de perpetua continuatione legitimae hierarchiae nullatenus formidandum est, quum ex Christi promissione Spiritus s. invigilet, ne ecclesia deficiat.

Concludendum censeo, opinionem Catharini, quae hodie plane derelicta videtur [2], non esse solide probabilem. Ceterum

[1] Bulla *Apostolicae curae*, 13 Sept. 1896 in *Leonis XIII allocut.* cet. (Ed. Desclée) VI, p. 207. — [2] Cl. OSWALD, qui in quatuor prioribus editionibus libri *Die dogm. Lehre v. d.*

etsi cui videretur probabilis aut probabilior, adhuc in praxim deduci non posset, quum minus tuta sit.

Scholion 2. *De gradu intentionis requisitae in ministro.* — 120
Si attenditur gradus aut modus, quo voluntas ministri fertur in suum objectum, distinguenda est 1^0 intentio actualis, virtualis, habitualis et interpretativa; 2^0 intentio absoluta et conditionata.

1^0. Intentio *actualis* est ea, quae actu elicitur dum ritus sacramentalis perficitur. Potest esse *reflexa*, seu in actu signato, si ritum perficiendo interius apud me resolvo: nunc volo baptizare. Potest etiam esse *directa*, seu in actu exercito, si ritum, quem ut sacrum in ecclesia cognosco, cum attentione perficiam (quin actualiter aut virtualiter habeam intentionem contrariam v. g. simulandi).

Intentio *virtualis* est illa, quae actu praecessit, sed virtute permanens ita influit in actionem meam, ut haec sit vere actio humana. Pone sacerdotem s. vestes induere ut infantem baptizet, ad altare rite procedere ut missam celebret, sed dum ritum essentialem Baptismi peragit, dum verba consecrationis profert, ita mente distrahi, ut actu de rebus plane alienis cogitet. Praecessit intentio actualis saltem directa, et actio ministrandi ab ea moraliter procedit; nemo enim dixerit Baptismum et consecrationem ita peractas esse meros actus hominis.

Num autem intentio, actu praeterita, adhuc moraliter in actionem praesentem influat, hinc dijudicabis: si minister e sua distractione evocatus et quaesitus: quid agis, statim absque novo voluntatis actu responderet: baptizo; intentio virtualiter perseveravit. Contra non perseveravit, si antequam respondere possit, novum voluntatis decretum elicere debeat.

Intentio *habitualis* est illa, quae aliquando actu elicita et

h. Sakramenten, intentionem externam defenderat, in editione quinta (1894) scribit: „Ich überzeugte mich, dass diese meine Ansicht ferner nicht haltbar und zu verteidigen sei" (I, p 127).

numquam retractata fuit, sed non ita influit in actum praesentem, ut actus humanus dici queat. Fac mulierem catholicam a marito prohiberi, ne infantem suum ad fontem baptismalem offerat, fac eam post multos angores tandem sibi dicere: quam primum potero, ipsa infantem baptizabo. Fac denique eam, talibus cogitationibus etiam in somnis occupatam, nocte dormientem surgere et ita infantem baptizare. Habes exemplum intentionis habitualis.

Saepius sed minus recte, ut videtur, intentio habitualis dicitur promptitudo ad certos actus ex anteriori consuetudine relicta, qualis v. g. esset in sacerdote mente capto, qui accepta opportunitate altare conscenderet ad celebrandum.

Intentio *interpretativa* ea est, quae numquam fuit explicite elicita, sed quam quis verisimiliter aut moraliter certo explicite elicuisset, si de ejus objecto cogitasset; a. v. est voluntas quae censetur implicite contineri in aliis actibus liberis subjecti. Ceterum quomodo quis cum sola intentione interpretativa ritum sacramentalem ministrare posset, non intellego; unde intentionem interpretativam hoc loco pro memoria tantum refero.

121 Porro expetere intentionem actualem reflexam scrupulosorum est. Intentio actualis directa optima est et, quantum moraliter fieri potest, expetenda; sed non semper est in potestate hominis, quum saepe praeter voluntatem cogitatio ad alia distrahatur. Denique *intentio virtualis ad valorem sacramenti requiritur et sufficit.* Et ratio in promptu est. Intentio ministri ideo necessaria est, ut ritus ponatur ex persona Christi, proinde ad esse sacramentale determinetur. Atqui ad hunc effectum requiritur et sufficit intentio, quae ita in actum influit, ut sit actus humanus.

Nec obstat, quod apud antiquiores scholasticos saepe legatur, sufficere in ministro intentionem habitualem, nam sub nomine habitualis reapse requirunt virtualem [1].

[1] Cfr. v. g. *S. Th.* III, **64**, 8 ad 3.

2°. Intentio *absoluta* est illa, quae non habet adjunctam 122
aliquam conditionem; *conditionata*, quae non vult conficere sacramentum nisi dependenter ab aliqua conditione verificata, ut v. g. volo te baptizare, si nondum es valide baptizatus.

Conditio *de praeterito aut de praesenti* generatim non impedit valorem sacramenti; nam intentio sub tali conditione concepta, verificata conditione, aequivalet absolutae.

Conditio *de futuro* generatim invalidat sacramentum; nam ritus sub tali conditione collatus non potest valere eo momento, quo confertur, quia tunc conditio nondum est verificata; sed neque valere potest, quando conditio postea impletur, quia tunc ritus non amplius exsistit.

Bis adjeci vocem *generatim*, nam ab una parte Baptismus, collatus sub conditione „si es praedestinatus", dubius habetur, quum praedestinatio non cadat sub cognitione humana, unde talis Baptismus certo et necessario erit incertus. Ab alia parte Matrimonium, celebratum sub conditione de futuro, impleta conditione incipit valere; matrimonium siquidem sequitur naturam contractus. — Sed de his, quemadmodum etiam de quaestionibus, quandonam liceat ministrare sub conditione, et utrum conditio verbis exprimenda sit, necne, agunt Moralistae.

§ 3. De dispositionibus moralibus ministri.

Dispositiones morales intelleguntur eae, quae faciunt homi- 123
nem moraliter bonum, et, quantum spectat praesentem materiam, sunt *vera fides* et *status gratiae*, qui saepe vocatur sanctitas seu probitas.

Quaestio praecipua est, num in homine, ut *valide* ministret, fides aut sanctitas requiratur; pauca tamen subjiciemus de ministratione *licita*.

Errores. I. Circa a. 200 *Tertullianus* Baptismum haereti- 124
corum aestimabat invalidum[1]; post annos c. 20 *Firmilianus*

[1] *De Bapt.* c. 15.

caesareensis cum multis episcopis Asiae (minoris) et *Agrippinus* carthagin. cum multis episcopis Africae sanciverunt, haereticos et schismaticos invalide baptizare, proinde esse rebaptizandos. Hanc doctrinam et praxim acriter defendit *s. Cyprianus* in tribus synodis Carthagine a. 255 et 256 celebratis. Argumenta haec erant. **a.** Sacramenta a Christo credita sunt ecclesiae, ergo extra ecclesiam nullo modo habentur. **b.** Qui extra ecclesiam sunt, gratiam et Spiritum s. non habent; atqui nemo dat, quod non habet. **c.** Haeretici non recte sentiunt de Deo et de s. Trinitate; etsi igitur formam Baptismi materialiter retineant, reapse non baptizant in nomine s. Trinitatis.

Rebaptizantibus fortiter restitit *s. Stephanus I* papa, provocans ad contrariam consuetudinem ecclesiae: „Si quis a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innoveter nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam" [1]. Simul communionem cum s. Cypriano facto disrupit, quin tamen sententiam excommunicationis ederet. Etiam episcopos Asiae excommunicatione comminatus est [2].

II. Saec. IV *Donatistae* docebant, sacramenta, et in specie Ordinationem, a peccatoribus saltem publicis collata, esse invalida; quem errorem saec. XIII excitarunt *Waldenses* [3]. Saec. XV *Wicliffitae* [4] *et Hussitae* [5] asseruerunt, quemlibet peccatorem etiam occultum invalide ministrare; quam doctrinam tempore reformationis renovarunt *Anabaptistae*.

125 **Doctrina catholica.** 1. *Statum gratiae* quod attinet, *dogma fidei* est, nullum sacramentum invalidari ex eo, quod minister caret gratia sanctificante, nam conc. trid. definivit: „s. q. d., ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essen-

[1] Cfr. DENZ 46. — [2] De rebus ad celebrem controversiam de Baptismo haereticorum spectantibus praeclare scripsit J. ERNST, in *Zeits. f. kath. Theol.* 1893—1896; 1900; 1906; 1911; *Hist. Jarhb. der Goerresgesells.* 1898; 1905; *Forschungen zur christl. Litt. und Dogmengesch.* 1901, fasc. 4 et 1905, fasc. 4; *Dict. apolog.* fasc. 2, p. 390. — [3] DENZ. 424. — [4] DENZ. 584. — [5] DENZ. 634 et 672.

tialia quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, a. s." [1]

2. Quoad *fidem* ministri *dogma fidei* est, valere *Baptismum ab haereticis* collatum; conc. trid.: „s. q. d., Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine P. et F. et S. s. cum intentione faciendi quod facit ecclesia, non esse verum Baptismum, a. s." [2] Praeterea plane *certum* est, imo a multis fidei proximum dicitur: a. non solum haereticos, sed generatim *quoslibet infideles* valide baptizare posse [3]; et b. etiam *aliorum sacramentorum* valorem non pendere a fide ministri. Omnium enim sacramentorum eadem est ratio.

Restrictio quaedam facienda est quoad sacramentum *Poenitentiae*, sed per accidens tantum. Ad valide absolvendum praeter characterem presbyteralem requiritur jurisdictio, ut suo loco trademus [4]; quum autem haeretici et schismatici publici, praeter casum extremae necessitatis nullam jurisdictionem ab ecclesia habeant, extra casum necessitatis invalide absolvunt, non praecise defectu fidei, sed defectu jurisdictionis.

His praenotatis sit:

PROP. **Ad valorem sacramenti in ministro nec status gratiae, nec fides requiritur.** 126

Quum prior pars prop. in altera contineatur, argumenta quae probant non requiri fidem in ministro, a fortiori ostendunt non requiri gratiam sanctificantem.

Probatur. 1°. Ex *Traditione*. Quia ex Scriptura res non conficitur, videndum est quid habeat traditio ecclesiae tum practica tum theoretica. Distinguendum autem est stadium triplex.

Stadium primum pacificae possessionis practicae. Constat ante Agrippinum in ecclesia, maxime occidentali, universalem

[1] *Sess. 7, de sacr. in gen.* can. 12. — [2] *Sess. 7, de bapt.* can. 4. — [3] Cfr. *Respons. Nicol. I ad Bulgaros*, DENZ. 335 et *Decret. ad Armenos*, DENZ. 696. — [4] Cfr. *tract. de Sacram.* II, no. 126 et 127.

viguisse consuetudinem non rebaptizandi eos, qui extra ecclesiam Baptismum sub debita forma receperant. Quum autem de necessitate Baptismi ad salutem nemo dubitaret, hujusmodi consuetudo probat communem persuasionem de certo valore Baptismi ab heterodoxis collati.

Factum consuetudinis probant: s. STEPHANUS, verbis supra citatis. — Auctor libri *de Rebaptismate*, qui eam vocat „priscam et memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium solemnissimam observationem", fultam „venerabili omnium ecclesiarum auctoritate" [1]. — Auctor libri *Philosophoumena* (s. Hippolytus † 235), narrans praxim rebaptizandi initium habuisse sub pontificatu Callisti (a. 217—222) [2]. — Ipse CYPRIANUS agnoscit antiquam praxim sibi contrariam esse, sed adjicit: „Non tamen quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est" [3]. Praeterea fatetur, etiam in Africa nonnullos episcopos antiquum usum retinere [4]. Etiam FIRMILIANUS concedit praxim rebaptizandi novam fuisse in Africa: „Vos dicere Afri potestis, cognita veritate errorem vos consuetudinis reliquisse" [5].

127 Successit *stadium alterum* fluctuationis, in quo res usu et praxi hactenus observata, sed nondum diserta praedicatione exculta, apud nonnullos obscurari coepit. Primo enim in contrarium faciebat auctoritas Tertulliani, quem s. Cyprianus „magistrum" appellabat. Deinde accedebant rationes theologicae, quae videbantur ostendere antiquam consuetudinem non quadrare cum nonnullis veritatibus certis. Fatendum

[1] Cap. I (apud HARTEL, *S. Cypriani Opp.* App. p. 70); scriptus videtur in Africa a. 256 — [2] L. IX, c. 2 *de Callisto*, in fine; cfr. tamen *Zeits. f. kath. Theol.* 1905, p. 265. — [3] *Ep. 73 ad Jubajan.* n° 23, cfr. 13 (HARTEL, p. 778). — [4] *Ep. 72 ad Stephan.* n° 3 (HARTEL, p. 778). — [5] Inter Epp. Cypriani *Ep. 75*, n° 19 (HARTEL, p. 822). Contra idem Firmilianus (l. c.) contendit in Asia semper rebaptizatum fuisse; argumentum: „Non meminimus hoc apud nos aliquando coepisse," et decretum synodi iconiensis a. 220—230.

autem est, assertores veritatis, quum nondum satis didicerant distinguere inter causam principalem et ministerialem, inter susceptionem sacramenti validam et fructuosam, inter fidem personalem ministri et generalem intentionem faciendi quod facit ecclesia, tunc temporis rationes adversariorum solvere non potuisse. Aliunde dicendum videtur, successores s. Stephani observationem decreti hujus pontificis, quod non dogmaticum sed disciplinare erat, non ursisse, sed irruente persecutione Valerani impeditos, praxim contrariam ad tempus tacendo tolerasse [1].

Nihilominus veritas paulatim praevaluit. Initio saec. IV dissidentes in tantum cedebant, ut agnoscerent valorem Baptismi extra ecclesiam collati sive a schismaticis, sive ab iis haereticis, qui circa s. Trinitatem non errabant [2]. Perseverabat adhuc apud non paucos, praesertim orientales, praxis rebaptizandi eos, qui ab haereticis de s. Trinitate perverse sentientibus, Baptismum acceperant [3]. Sed ratio, propter quam horum baptisma habebatur aut invalidum aut dubium, non erat simpliciter defectus fidei in ministro, secus enim et aliorum haereticorum baptisma iterare debuissent. Quid igitur? Sat

[1] Non constat, qua via s. Cyprianus ad pacem rom. Pontificis redierit. Certum est, eum cum Syxto II, successore Stephani, iterum communicasse et, quum a. 258 sanguinem fudisset, ab ecclesia romana ut martyrem fuisse agnitum; sed Cyprianum ante mortem errorem suum revocasse (uti opinatus est s. Augustinus) pie magis quam probabiliter assereretur. — [2] Cfr. *Conc. arelat. I* (a. 314), can. 8; DENZ. 53; *Conc. nicaen.*, can. 8, DENZ. 55; *Conc. carthag.* sub Grato a. 348, can. 1. — [3] S. BASILIUS, *Ep. 188 ad Amphil.* can. 1; *Ep. 199 ad Amphil.* can. 47; S. ATHANAS. *Or. 2 c. Arian.* n° 42 et 43; *Ep. ad Serap. I*, n° 30; S. CYRILL. HIER. *Procat.* n° 7; OPTAT. MILEV. *De schism. Donat.* l. I, n° 10 seq. *Conc. arelat. I*, can. 8; *Conc. nicaen.* can. 19. Cfr. de his J. ERNST, in *Forschungen*, cet. 1901, ubi ostenditur, hos patres nomine haereticorum non quoslibet haereticos intellexisse, sed eos tantum, qui circa s. Trinitatem errabant.

multi existimant, haereticos quorum baptisma respuebatur, consequenter ad suam haeresim formam Baptismi corrupisse; alii probabilius sentiunt, reapse dubitatum fuisse de necessaria intentione talium haereticorum. Et sane quum tunc temporis nondum explicatum esset, quomodo cum haeresi circa Trinitatem componi adhuc possit intentio implicita baptizandi in nomine verae Trinitatis, facile intellegitur nonnullos patres sibi dixisse: qui veram Trinitatem non agnoscit, non intendit baptizare in nomine verae Trinitatis, ergo non baptizat. Et observa ante saec. VIII ministrationem sacramenti sub explicita conditione fuisse incognitam. — Quidquid est, tempore Augustini universaliter admittebatur, valere posse Baptisma extra ecclesiam ab haereticis collatum [1].

128 Inceperat itaque *stadium tertium* universalis professionis explicitae, quam praeprimis corroboravit ipse Augustinus in sua controversia cum Donatistis, plenius explicando internas rei rationes et difficultates in contrarium solvendo. Hinc BONAVENTURA: „Per illustrissimum doctorem Augustinum aperte est nobis haec quaestio patefacta, quod sacramenta ecclesiastica apud haereticos, qui formam ecclesiae servant et intentionem habent faciendi quod facit ecclesia, sunt quantum ad veritatem, quamvis non sint quantum ad utilitatem" [2].

Porro quae de Baptismo dicta sunt, propter evidentem aequalitatem rationum communi consensu aliis sacramentis applicantur.

129 2°. *Ratione theologica* [3]. Qui cum debita intentione sacramentum aliquod ministrat, non suo sed Christi nomine agit, non sua sed Christi sacramenta confert. Atqui *per se* nihil refert, num ille qui alterius ministrum agit, alterius dona distribuit, bonus sit an malus, dives an pauper. Nonne legatus perfidus nomine regis validum foedus concludit; nonne famulus

[1] Cfr. *De bapt.* II, 9, 14. — [2] *In IV Sent.* d. 25, a. 1, q. 2. — [3] Cfr. *S. Th.* III, 64, 5 et 9.

egenus domini sui nomine largas eleemosynas distribuere potest? „Sic igitur, ait s. AUGUSTINUS, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, qui columbam [Spiritum s.; *Jo.* 1, 33] attendo, per quam mihi dicitur: hic [Christus] est, qui baptizat" [1].

Potuisset quidem Christus validum ministerium alligare *sanctitati* ministrantis, sed hujusmodi restrictio fuisset valde *inconveniens et perniciosa*. Quum enim de statu gratiae ministrantis ut plurimum constare nequeat, ne illa quidem certitudine morali, qua in commercio humano contenti esse solemus, generatim non constaret moraliter de valore sacramentorum. Consequenter omnia nutarent in ecclesia!

Potuisset saltem validum ministerium alligare *rectae fidei*, ita ut nullus extra visibilem ecclesiam exsistens valide ministraret; sed *conveniens* erat, ne hanc quidem restrictionem apponere. Sane divina bonitas multum commendatur ex eo, quod media salutis, et imprimis Baptismus, etiam extra fines ecclesiae dari possint, ubi iis saltem prosunt, qui aut rationis usu carent aut bona fide excusantur.

Scholion. *De ministratione licita* [2]. — Apud omnes certum **130** est, *in eo qui ex officio sacramentum ministrat* statum gratiae sub gravi requiri. *Rit. Rom.*: „Etsi sacramenta ab impuris coinquinari non possint neque a pravis ministris eorum effectus impediri, impure tamen et indigne ea ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt" [3]. Et ratio in promptu est; maxime enim dedecet, hominem specialiter deputatum et consecratum, ut ex persona Christi res sanctissimas tractet, officio suo fungi in statu peccati mortalis.

Ubi autem agitur de confectione *s. Eucharistiae*, ecclesia vetat, ne quis gravis peccati conscius, quamtumvis sibi con-

[1] *Tract. in Jo.* 5, n⁰ 18. — [2] Cfr. *S. Th.* III, **64**, 6. — [3] *De iis, quae in adm. Sacram. generaliter servanda sunt*, al. 3.

tritus videatur, absque praemissa *sacramentali confessione* missam celebret, nisi et facultas confitendi desit, et necessitas celebrandi urgeat. Quodsi sacerdos necessitate urgente absque praevia confessione celebraverit, quam primum confiteri debet [1].

Diximus, graviter peccare, qui in statu peccati mortalis sacramentum ministrat *ex officio*; nam si ageretur de laico in casu necessitatis baptizante, certe excusandus esset. „Etiam in humanis, ait BILLOT, rusticus per accidens et in casu necessitatis regi deserviens, non tenetur ministrare cum illo speciali ornatu et decore, quod in eo desideratur, qui est ex officio ad ministrandum deputatus" [2]. Etiam sacerdos in casu necessitatis, more laicorum, i. e. absque s. caeremoniis baptizans, a multis gravis peccati reus non habetur. Consule Moralistas.

Art. III.

DE SACRAMENTORUM SUBJECTO.

131 Subjectum sacramenti est is, cui sacramentum administratur Post pauca de persona subjecti, seu de capacitate sacramenta suscipiendi, inquirendum est, quaenam ex parte personae capacis requiruntur primo ad validam, deinde ad fructuosam seu licitam susceptionem sacramentorum.

I. *De persona suscipientis.*

1°. Solus homo viator est subjectum capax sacramentorum.

2°. Omnis homo viator est subjectum capax Baptismi.

3°. Solus homo baptizatus est subjectum capax aliorum sacramentorum.

4°. Non omnis homo baptizatus est subjectum capax cujuslibet sacramenti.

[1] CONC. TRID. *Sess.* 13, *de s. Euch.* cap. 7 et DENZ. 1138—1139. — [2] *De Sacr.* I, p. 178.

Haec omnia aut per se patent, aut ex dicendis de sacramentis in specie lucem accipient.

II. *De requisitis ad validam susceptionem.* 132

Dubitari potest de dispositionibus: fide et probitate, necnon de intentione.

PROP. 1. **Ad valorem sacramenti in susceptore nec status gratiae, nec fides requiritur.**

Veritas prop. constat ex iis, quae supra de ministro diximus; ibi enim agebatur non tantum de ministris extra ecclesiam degentibus, sed simul de susceptoribus haeresi aut schismati sive bona sive mala fide adhaerentibus [1].

Excipiendum est sacramentum *Poenitentiae*, quia confessio dolorosa, quae hujus sacramenti materia est, ab haeretico aut schismatico, saltem formali, fieri nequeat.

PROP. 2. **Ad valorem sacramenti in susceptoribus adultis requiritur intentio illud suscipiendi** [2]. — Certum est. 133

Adulti intelleguntur qui usum rationis aut habent, aut aliquando habuerunt; igitur soli perpetuo amentes infantibus aequiparantur.

Probatur. — 1°. Ex *traditione* ecclesiae, cujus praxis numquam habuit, ut adultis non volentibus sacramenta ministrarentur. — S. AUGUSTINUS postquam docuit, valere Baptismum infantis, pro quo alius respondet, sic pergit: „at si pro eo, qui respondere potest, alius respondet, non itidem valet" [3]. INNOCENTIUS III: „Ille qui numquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti [Baptismi]. Dormientes et amentes, si priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione persisterent, quia in illis intellegitur contradictionis propositum perdurare, etsi

[1] Cfr. v. g. s. AUGUST. *C. Ep. Parmen.* II, **16**, 15; *C. litt. Petilian.* II, **35**, 82. — [2] Cfr. FR. GILLMANN, *Die Notwendigkeit der Intention.* — [3] *De bapt.* IV, **24**, 31.

fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti. Secus autem si prius catechumeni exstitissent et habuissent propositum baptizandi, unde tales in necessitatis articulo consuevit ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem" [1]. *Conc. trid.* docet adultos ad justificationem disponi, „dum proponunt suscipere Baptismum", deinde vero eos justificari „per voluntariam susceptionem gratiae et donorum" [2].

Quae autem valent de Baptismo, propter omnimodam paritatem rationum, etiam de aliis sacramentis valere, constans et communis doctrina est.

Porro perpetua praxis et persuasio universalis ecclesiae legem Christi manifestat.

2⁰. *Ratione theologica.* Deus creaturis suis suaviter, i.e. modo earum conditionibus accommodato, providet. Atqui suavis providentia omnino postulat, ut iis qui usum voluntatis jam habent, dona coelestia citra eorum voluntatem non obtrudantur.

134 **Scholion 1.** *Qualis intentio requiratur in suscipiente.*

a. Ex parte *objecti* in suscipiente requiritur et sufficit eadem intentio, quam supra in ministro necessariam esse diximus, igitur intentio *saltem suscipiendi ritum ut sacrum in ecclesia.* Ratio: qui ritum mere materialiter subire gestiret, sed aut nullo modo vellet, aut positive nollet eum suscipere ut sacrum in ecclesia, reapse non haberet voluntatem, ne implicitam quidem, suscipiendi sacramentum Christi.

b. Ex parte *gradus* generatim sufficit in susceptore intentio *habitualis,* uti probatur ex decretali Innoc. III jam citato. Et ratio interna facile patet. Intentio subjecti ideo requiritur, ut sacramentum voluntarie recipiatur, a. v. ut sit objectum vo-

[1] *Decretal.* l. III, t. 42, c. 3; cfr. DENZ. 411. — [2] *Sess. 6, de Justif.* cap. 6 et 7.

litum. Atqui res semel actu (sive explicito, sive implicito) volita, manet volita donec consensus retractetur.

Dico: „actu sive explicito, sive *implicito*," nam quando voluntas aliquod sacramentum nunc suscipiendi vere continebatur in actibus liberis antea positis, intentio habitualis certe adest. Pone moribundum catholicum, sensibus destitutum, qui numquam explicite elicuit intentionem, s. Viaticum et Ext. Unctionem in hora mortis suscipiendi, sed qui catholice vixit. Nonne ipsa vita catholica fuit desiderium implicitum haec sacramenta in mortis periculo suscipiendi? Porro intentio habitualis implicita, quam in exemplo descripsimus, etiam vocatur interpretativa. — Ceterum accuratius determinare, quandonam adesse dicenda sit, et pro quibusnam sacramentis sufficiat hujusmodi intentio interpretativa ad Moralistas pertinet.

Diximus, *generatim* sufficere intentionem habitualem; nam pro *Poenitentia* et *Matrimonio* exceptio facienda est, consequenter ad naturam horum sacramentorum. In Poenitentia subjectum debet ponere quosdam actus, qui sunt materia hujus sacramenti, et ad quos intentio habitualis non sufficit. Nihilominus si illi actus debito modo praecesserunt, nihil impedit quominus poenitens, sensibus jam destitutus, absolutionem cum sola intentione habituali suscipiat. In Matrimonio requiritur intentio saltem virtualis, quia impossibile est cum sola habituali contractum perficere.

Plures theologi dicunt, nullam requiri intentionem ut sacra- **136**
mentum *Eucharistiae* valide recipiatur, nam, aiunt, s. hostia est sacramentum jam confectum consecratione, unde quocumque modo recipiatur semper recipitur sacramentum. — Concedendum utique est, semper recipi rem, quae objective seu in se est sacramentum; sed quaestio est, num semper recipiatur sacramentum subjective, i. e. num sumptio absque intentione sit sumptio (non dico: fructuosa, sed) sacramentalis, talis n. p. quae suscipienti sit titulus gratiae. Id negamus, et dicimus susceptionem

sine intentione esse mere materialem, quae, praecise quia sacramentalis non est, nullam gratiam causare potest, ne quidem in subjecto optime disposito. Finge hominem in statu gratiae constitutum, nescio quo casu, ludendo transglutire hostiam consecratam, quam certo putat non consecratam; numquid gratiam recipiet? Nihilominus non ponit obicem. Quare ergo vacuus abscedet? Quia deficiente intentione, non fuit sumptio sacramentalis.

137 **Scholion 2.** *Num infantes sacramenta suscipere possint, et quaenam?* — Apertissima traditio ecclesiae habet, etiam infantes, etsi intentionis capaces non sint, sacramenta suscipere posse. Sufficit provocare ad antiquissimam praxim baptizandi parvulos. Nec putes doctrinam catholicam hac in re minus sibi constare. Optime cohaeret. Qui sacramentum suscipit, ditatur donis divinis. Atqui suavem Dei providentiam aequaliter decet, et iis, qui actum voluntatis habent, dona sua non obtrudere invitis, et eos, qui actum voluntatis non habent, a donis suis non excludere. Et ideo magis convenit infantes citra propriam voluntatem gratia donari, quia etiam culpam originalem absque proprio consensu contrahunt.

Vide necessitatem intentionis non sequi naturam sacramenti qua talis, sed potius conditionem suscipientium, quatenus inconveniens et a moribus divinis alienum esset, hominem ratione jam utentem, praeter suam voluntatem sanctificare. Hinc pronum est concludere, infantes omnia sacramenta suscipere posse, nisi aliunde obstet impossibilitas. Porro propria ratio trium sacramentorum, Poenitentiae, Ext. Unctionis, Matrimonii prohibet, quominus ab infantibus aut perpetuo amentibus valide suscipiantur. Sed in aliis quatuor hujusmodi impossibilitas non invenitur. Et quidem praeter *Baptismum* etiam *Confirmationem* et *s. Eucharistiam* valide ministrari posse infantibus, luculenter constat ex praxi, quae per plura saecula in ecclesia viguit, et etiam hodie apud nonnullos Orientales observatur, haec sacramenta infantibus statim post Baptisma

ministrandi. Quoad *Ordinem* exstat responsum BENED. XIV ad missionarios inter Coptas degentes: „Si contingeret ab episcopo non solum minores, sed etiam sacros ordines infanti conferri, concordi theologorum et canonistarum suffragio definitum est, validam sed illicitam censeri hanc ordinationem, non attenta contraria sententia, quae raros habet asseclas, et quae supremis tribunalibus et congregationibus Urbis numquam arrisit" [1].

III. *De requisitis ad fructuosam susceptionem.* 138

Susceptio fructuosa ut plurimum coincidit cum susceptione licita, quia per se nemo licite ad sacramentum accedit, nisi ita dispositus sit, ut fructum gratiae nunc suscipere queat. Nihilominus non semper ac necessario coincidunt, uti mox patebit.

PROP. **Ad fructuosam sacramenti susceptionem requiritur, ut subjectum non ponat obicem.**

Prop. *ad fidem pertinet*, ex conc. trid. definiente, sacramenta gratiam conferre „non ponentibus obicem" [2]; hinc enim aperte significatur, gratiam non conferre iis, qui obicem ponunt.

Ad probationem propositionis sufficit accuratius explicare, quid sit obex simpliciter dictus, n.p. *obex gratiae*.

Obex est *indispositio moralis, quae infusionem gratiae red-* 139 *dit impossibilem*, saltem in praesenti ordine divinae providentiae.

Jam primo repugnat, hominem recipere gratiam sanctificantem per *susceptionem sacramenti sacrilegam*, i. e. graviter peccaminosam.

Deinde ordo divinae providentiae habet, ut nullus adultus gratiam sanctificantem primam accipere possit, nisi seipsum ope gratiae actualis ad eam praeparaverit per actus supernaturales fidei, spei, inchoatae dilectionis et attritionis. Quum

[1] Bulla *Eo quamvis*, 4 maji, 1745, § 20. — [2] *Sess.* 7, can. 6 et 7.

autem vera attritio absque fide, spe et dilectione inchoata (saltem implicitis) haberi nequeat, sufficit dicere: ordo providentiae habet, ut nemo adultus gratiam primam recipere possit, nisi seipsum ad eam praeparaverit per *attritionem supernaturalem* [1].

140 Porro: 1⁰ quoties homo *sciens et prudens* ad sacramentum aliquod accedit in ea dispositione aut in iis adjunctis, quae ejus susceptionem reddunt *graviter illicitam*, sacrilege accedit et ita obicem ponit.

Igitur obicem ponit, qui gravis peccati reus scienter accedit ad sacramentum vivorum; qui absque vera attritione sciens et volens accedit ad sacramentum mortuorum; qui extra casum necessitatis sciens et prudens sacramentum aliquod suscipit a ministro illegitimo, aut contra ordinem ab ecclesia sub gravi praescriptum, cet. Vides in omnibus his casibus obicem esse voluntatem actualem (aut virtualem) graviter peccandi: *voluntas rei graviter malae actualiter adhaerens;* et hic est *obex formalis.*

141 2⁰. Quoties homo *onustus gravi peccato, de quo nullam adhuc veram attritionem elicuit*, bona fide, i. e. *indispositionis suae non conscius*, aliquod sacramentum suscipit, sacrilege quidem non accedit, sed nihilominus caret ea praeparatione, quae ad gratiae infusionem omnino requiritur; et ita adhuc obicem ponit. Et obex consistit in eo, quod voluntas peccato gravi praeterito adhuc adhaeret habitualiter: tamdiu enim peccator bono commutabili adhaerere dicendus est, quamdiu perversam suam voluntatem per actum contrarium verae

[1] Paulo aliter res se haberet pro adulto, qui nullius gravis peccati personalis reus ad Baptismum accederet. Quum enim peccatum originale non sit objectum attritionis, talis baptizandus per solos actus supernaturales fidei, spei, inchoati amoris sufficienter disponeretur ad justificationem. Sed ne res nimiis distinctionibus obscuretur, ab hujusmodi casu certe rarissimo in textu abstrahimus.

attritionis non revocaverit. *Voluntas rei graviter malae habitualiter adhuc inhaerens;* en *obex materialis* [1].

Inferes, utramque speciem obicis susceptionem sacramenti reddere *infructuosam;* sed susceptio cum obice formali simul est *illicita;* susceptio cum obice materiali non ita, siquidem bona fides a culpa excusat. Hinc diximus, non semper incidere susceptionem licitam et fructuosam.

Corollaria. 1. Obex praeeunte Augustino saepe dicitur **142** *fictio,* unde et ille qui cum obice accedit *fictus* vocatur Fictus est, qui aliud praetendit exterius, aliud habet interius. Porro qui ad sacramentum aliquod accedit, eo ipso exterius se exhibet rite dispositum, unde si nihilominus necessaria dispositione caret, merito fictus dicitur, aut mere materialiter aut etiam formaliter.

2. Obicem non ponere idem est ac habere dispositionem minimam, ad gratiae infusionem adhuc sufficientem. Quum autem sacramenta eo uberiorem gratiam conferant, quo melior est dispositio subjecti, pro viribus laborandum est, ut cum ferventi devotione recipiantur; et defectus hujus devotionis seu dispositionis melioris vocari potest *obex secundum quid,* in quantum scil. abundantiorem gratiae affluxum cohibet.

Scholion 1. *Quomodo fieri possit ut peccator sacramentum* **143** *vivorum accipiat, quin obicem habeat* [2]. — Triplex cogitari potest casus peccatoris, ad sacramentum vivorum accedentis.

---

[1] Si casum catechumeni ab omni peccato mortali liberi comprehendere velles, dicendum esset, obicem materialem consistere in *carentia inculpabili illius praeparationis, quae in praesenti ordine ad justificationem absolute requiritur.* Sed casus baptizandi ut supra, qui necessaria fide, spe et dilectione inculpabiliter careret, vix non metaphysicus est. — Cfr. n^{0} 66.

Primus, si indignitatis suae conscius accederet: obex formalis. Secundus, si absque vera attritione sed indignitatis suae non conscius accederet: obex materialis. Tertius denique si *attritus* et *indignitatis suae non conscius* sacramentum vivorum acciperet.

Talis casus, utut exceptionalis, certe possibilis est. Fac hominem gravis peccati perpetrati immemorem, post attritionem de peccatis totius vitae elicitam, ad s. Eucharistiam accedere. Finge hominem rudem nescire statum gratiae necessarium esse ad Confirmationem licite suscipiendam, et ita cum sola attritione ad sacramentum accedere. Finge moribundum catholicum post veram attritionem conceptam, sensibus destitui et ita Ext. Unctione muniri, cet.

Voluntas illorum hominum nec actu nec habitu peccato adhaeret; undenam igitur obicem haberent? Quum per attritionem pravam voluntatem retraxerunt, peccatum praeteritum secundum solam imputabilitatem in iis perseverat, seu quod in idem recidit, remansit in iis sola culpabilis carentia gratiae. Atqui imputabilis carentia gratiae, per se sumpta, infusionem gratiae non reddit impossibilem, secus enim nullus umquam peccator justificari posset.

Igitur certum est, in casibus expositis non adesse obicem. Nihilominus, si casus Extr. Unctionis, propter peculiarem rationem hujus sacramenti, excipias, non est certum eos reapse per sacramentum vivorum gratiam primam recipere. Etsi enim non desit in iis illa praeparatio, quae per se requiritur ad gratiam utcumque recipiendam, adhuc remanet, eos carere dispositione, quam *natura sacramenti vivorum* proprie expostulat. Et quamvis indubium sit, defectum hunc bona fide excusari, adhuc quaeri potest, num forte ex *positiva* voluntate Christi fructum gratiae impediat.

144 **Scholion 2.** *Quomodo obex removeri debeat, ut sacramentum reviviscat?*

a. Sacramentum, cum *obice formali* susceptum, numquam

reviviscit nisi per absolutionem aut contritionem perfectam cum voto confitendi. Ratio: susceptio sacramenti cum obice formali est peccatum grave post Baptismum commissum; atqui tale peccatum non aufertur nisi per sacramentum Poenitentiae in re aut in voto susceptum.

Etiam susceptio ipsius *Baptismi* cum obice formali, habenda est ut peccatum post Baptismum commissum. Sane obex in tantum cohibet gratiam Baptismi, in quantum adhuc perseverat, quando gratia deberet affluere. Atqui infusio gratiae natura subsequitur ministrationem sacramenti et impressionem characteris. Ergo obex, in quantum gratiam prohibet, sin minus tempore, saltem natura Baptismo posterior est.

b. Sacramentum cum *obice materiali* susceptum, cui postea *supervenerit grave aliquod peccatum*, iterum per solam absolutionem cet., reviviscere potest.

c. Sacramentum cum *obice materiali* susceptum, cui postea peccatum grave non supervenit, statim reviviscit quando subjectum acquirit eam dispositionem, cujus defectus affluxum gratiae cohibuit, a. v. quando veram attritionem elicit. Alii tamen docent, ad reviviscentiam Confirmationis, Ordinis et Matrimonii, etiam cum solo obice materiali susceptorum, requiri statum gratiae. Consule Moralistas.

CAPUT IV.

De sacramentis ante Christum, necnon de sacramentalibus.

Doctrinae de sacramentis in genere nonnulla subjungi solent de ritibus qui, sive ante Christum sive post Christum, similitudinem quandam habent cum sacramentis.

Art. I.

DE SACRAMENTIS ANTE CHRISTUM [1].

Tempus ante Christum complectitur 1° stadium *legis naturae*, 145
quod post lapsum Adae incepit et duravit pro Israelitis

[1] Cfr. *S. Th.* III, **61**, 3; **70**; SUAREZ. *De Sacr. in gen.* Disp. 4 et 5; LUGO, *De Sacr. in gen.* Disp. 3, s. I et disp.

quidem usque ad legem mosaicam, pro aliis vero gentibus usque ad legem Christi promulgatam. Dicitur „legis naturae" non ad exclusionem omnis revelationis et gratiae, sed per oppositionem ad legem scriptam.

Complectitur 2° stadium *legis mosaicae*, quod a vocatione Abrahae quodammodo praeparatum, in Moyse proprie incepit, et solos Israelitas respiciebat.

Saecula ante Christi adventum fuerunt tempus praeparationis, in quo omnia, quae ad religionem pertinent, imperfecta erant et generatim habebant rationem typi seu figurae respectu Christi et ecclesiae. Hinc non sunt exspectandi ante Christum ritus, quibus nomen sacramenti conveniat univoce cum nostris sacramentis: nulli tunc temporis exstiterunt ritus, qui gratiam sanctificantem vere causarent ex opere operato. Quaestio igitur est, num fuerint aliqui ritus, quibus nomen sacramenti saltem analoge convenit; a. v. quaeritur: num ante Christum exstiterint *ritus externi, a Deo instituti, ad significandam et efficiendam sanctitatem quandam externam*, internae sanctificationis praefigurativam. Et, si affirmative, ulterius quaeritur: *quomodo illi ritus se habuerint ad veram i. e. internam hominis sanctificationem.*

146 I. Communis doctrina est, *sub lege naturae exstitisse aliquod remedium ad infantes a peccato originali liberandos.* — Loquimur de solis infantibus, nam adulti justificari poterant per supernaturales actus fidei (explicitae saltem in Deum remuneratorem) et charitatis perfectae. Assertio *probatur*: 1°. ex *s. Scriptura*. Res aut implicite continetur aut saltem fundatur in doctrina Scripturae de voluntate Dei salvifica universali. Sane si Deus etiam post lapsum Adae vult omnium hominum salutem, debuit saltem ut provisor universalis instituere aliquod remedium, statui infantili applicabile, secus tota classis hominum praecise

5; FRANZELIN, *De Sacr. in gen.* thes. III; SCHANZ, *Die Lehre v. d. h. Sacramenten*, § 3; LAHOUSSE, *De Sacr. in gen.* p. 17; SCHMALZL, *Die Sacramenten des a. T. im Allgemeinen* (1883).

ratione sui status a gratia et salute penitus fuisset exclusa. — 2⁰. Ex *Patribus:* s. AUGUSTINUS: „Nec credendum est, ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem iis inerat mediatoris fides, nullo sacramento ejus [mediatoris] opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura latere voluit" [1]. Et alibi: „Eadem fides mediatoris salvos justos faciebat antiquos, pusillos cum magnis" [2]. Auctor libri *De vocatione omnium gentium* (medio saec. V): „Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intellegi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus; qua utique, si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eos juvarentur" [3]. — S. GREG. M.: „Quod apud nos valet aqua baptismalis hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahae stirpe prodierant, mysterium circumcisionis" [4]. — 3⁰. Ex *consensu scholasticorum*, nam, teste SUAREZ, „ita docent omnes theologi in *IV Sent.* d. 1 et 2, absque ulla controversia, quod est signum dogma hoc certum et indubitatum apud illos fuisse" [5].

Quale fuerit hoc remedium? — Certo erat aggregatio ad **147** populum Dei sub Christo capite, *insertio in ecclesiam Christi (late dictam) per aliquam protestationem fidei in futurum redemptorem, pro tali infante positam ab iis, qui curam ejus gerebant.* Fidem intellege explicitam in Deum misericordem provisorem, et saltem implicitam in Christum redemptorem.

Ceterum theologi communius et probabilius censent, necessarium fuisse actum parentum externum, non tamen actum formalis fidei, sed sufficere potuisse *quemlibet actum externum, ex fide promanantem, quo parentes ostenderent, se hunc infantem Deo dicare* et cultoribus veri Dei aggregare: preca-

[1] *Cont. Julian.* V, 11, 45. — [2] *De nupt. et concup.* II, 11, 24. — [3] L. II, c 23. — [4] *Moral.* IV, 3. — [5] *De Sacr. in gen.* Disp. IV, s. 1, n⁰. 5.

tionem, benedictionem, cet. Addunt, Deum protoparentibus revelasse, tali signo, ceteroquin non determinato, utendum esse ad sanctificandos infantulos.

Porro hac sententia admissa, remedium illud merito vocatur *sacramentum legis naturae*, erat enim ritus externus a Deo (in genere) institutus ad significandam et efficiendam aliquam sanctitatem (n. p. aggregationem ad populum Dei et dedicationem ad illius cultum). Quomodo autem cum hoc sacramento jungebatur interior sanctificatio, infra dicemus.

Corollarium. Quando Deus semen Abrahae sibi in populum peculiarem elegit, ritum quo masculi huic populo specialiter electo (et ita populo Dei in sensu latiori) aggregarentur in individuo determinavit, instituendo *circumcisionem*. Pro aliis autem populis, et probabilius etiam pro filiabus Israel, sacramentum legis naturae valere pergebat.

148 II. *Tempore legis mosaicae plura exstiterunt sacramenta, quae ad quatuor classes revocari solent.* — Ad primam classem pertinet sola *circumcisio*, quae (sicut et sacramentum legis naturae) praefigurabat Baptismum. Ad secundam classem pertinent *esus agni paschalis* per totum populum, et *panum propositionis* per sacerdotes in quibus habetur umbra quaedam Eucharistiae. Tertiam classem constituunt *purificationes* et *expiationes*, quibus conferebatur legalis sanctitas et removebantur irregularitates a lege statutae [1]; quae proinde sacramentum Poenitentiae praefigurabant. Denique in quarta classe sunt *ritus, quibus sacerdotes consecrabantur:* typus sacramenti Ordinis. Sed valde dubitatur, num etiam posteriores sacerdotes consecrationem acceperint [2]. Quodsi verum est, consecrationem filiis Aaron semel datam valuisse pro omnibus subsequentibus generationibus, ritus ordinationis sacerdotum secundi ordinis, utpote semel tantum adhibitus et non peren-

[1] Cfr. v. g. *Hebr.* 9, 13. — [2] Negat SCHEGG, *Bibl. Archaeol.* p. 550; affirmat P. SCHOLZ, *Die Alterthüm. d. Volkes Israel*, I, p. 52.

niter institutus, minus recte sacramentis accensetur. Manet tamen consecratio summi sacerdotis.

Rationem quandam convenientiae, quare sacramentis Confirmationis, Ext. Unctionis et Matrimonii, in V. T. nihil responderit, affert s. THOMAS, *S. Th.* I, II, 102, 5 ad 3.

III. *Sacramenta vetera gratiam sanctificantem ex opere operato non causabant.* — Quamvis de circumcisione et remedio naturae nonnulli aliter docuerint, assertio videtur certa. Sane *conc. trid.* definivit; „s. q. d., ea ipsa N. L. sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae et alii ritus externi: a. s." [1]. In quo autem potissimum differebant jam antea explicaverat *Decr. pro Armenis*: „Illa [sacramenta V. L.] non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse praefigurabant; haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt" [2]. — *Probatur:* 1°. ex *s. Scriptura*, quae aperte docet, neminem justificatum esse per legem seu per opera legis [3]; atqui si sacramenta legis fuissent verae causae instrumentales gratiae, opus seu observatio legis sine dubio justificasset. Hinc s. Paulus generatim omnia instituta V. L. vocat „infirma et egena elementa" [4], et in specie de circumcisione docet, ne Abraham quidem per ipsam circumcisionem, sed ante circumcisionem ex fide justificatum esse, et postea accepisse circumcisionem ut „signaculum justitiae fidei" [5]. Porro remedium legis naturae certe non plus valebat quam circumcisio. — 2°. Ex *Patribus*, e. g. s. AUGUSTINUS: „Si decernimus duo testamenta vetus et novum, non sunt eadem sacramenta. Sacramenta N. T. dant salutem, sacramenta V. T. promiserunt salvatorem" [6]. S. THOMAS: „Sacramenta V. L. 149

[1] *Sess.* 7, can. 2. — [2] Cfr. DENZ. 695, — [3] *Rom.* 3, 20; *Gal.* 2, 16, 21; 3, 11; *Hebr.* 7, 19. — [4] *Gal.* 4, 9; cfr. *S. Th.* III, 61, 4 ad 2. — [5] *Rom.* 4, 2, 9—11; cfr. *I Cor.* 7, 19; *Gal.* 5, 6; 6, 15. — [6] *In Ps.* 73, n°. 2; cfr. *Ep. 82 ad Hieronym.*

non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendam gratiam sanctificantem" [1].

Diversum modum, quo sacramenta Novae et Veteris Legis gratiam *significabant*, pulchre describit PALLAVICINI: „Altera praesignificabant gratiam per futura sacramenta N. L. conferendam, altera vero significant eam tamquam conferendam a seipsis, eo fere modo quo pluviam significant tum ranae in paludibus coaxantes, tum nubes in aëre constrictae: illae significant pluviam a venturis nubibus effundendam, hae vero pluviam, qua ipsae gravidae sunt et quam ipsae profundent" [2].

150 IV. *Sacramenta vetera adultis gratiam conferre poterant ex opere operantis.* — Vulgata sententia est sacramenta V. L. adultis saltem indirecte aliquid profuisse ad internam sanctificationem. Sane natura sua apta erant ad excitandos in suscipientibus bonos motus fidei, spei, charitatis et contritionis; et admodum credibile est, Deum judaeos, sacramentis suis devote utentes, peculiari gratia actuali adjuvisse, ad hujusmodi actus ferventius atque perfectius excitandos. Porro quoties homo sub auxilio gratiae actualis actum caritatis aut contritionis perfectae elicuerit, infusio gratiae sanctificantis ex lege Dei infallibiliter sequitur. Vides justificationem factam esse non vi ipsius sacramenti, sed ratione perfectae dispositionis subjecti, ergo ex opere operantis; sed sacramentum aliqua ratione adjuvare poterat, ut operans i. e. suscipiens conversionem suam ad Deum et facilius ac perfectius operaretur, et ita gratiam sanctificantem de congruo infallibili mereretur.

151 V. *Infantes ante Christum gratiam sanctificantem accipiebant occasione circumcisionis seu remedii naturae.* — Supra dictum est, circumcisionem et remedium naturae non justificasse ex opere operato, sicut sacramenta N. L. Aliunde evidens est, parvulos non potuisse justificari ex opere operantis,

[1] *S. Th.* III, 62, 6, c. — [2] *Hist. du Conc. de Trente*, l. IX, c. 4, n° 10.

id est per proprios eorum actus, sicut modo de adultis explicavimus. Nec ullatenus probabile est, eos gratiam accepisse propter merita offerentis aut ministrantis. Nihilominus plures patres et scholastici communiter tenent, parvulos reapse justificatos esse quando sacramenta praedicta iis applicabantur. Rem apertissime, quamvis non definiendo, docet INNOCENTIUS III: „Originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium" [1]. Et provocat ad verba Scripturae, quae tamen diversimode exponuntur: „Masculus cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo" [2]. Itaque dicendum videtur, infantes propter futura merita Christi gratiam sanctificantem a Deo accepisse *occasione* circumcisionis aut remedii naturae, quae erant *conditio sine qua non*, quatenus per illa fides ecclesiae V. T. in futurum redemptorem huic infanti quodammodo applicabatur [3].

Et haec de sacramentis antiquis, de quibus pleraque sunt satis incerta, sufficiant.

Art. II.

DE SACRAMENTALIBUS [4].

I. *Nomen et definitio.* — *Sacramentale* etymologice est **152** id quod ad sacramentum pertinet; unde ab antiquis theologis caeremoniae, ritum essentialem sacramentorum concomitantes, saepe vocantur sacramentalia. At secundum usum

[1] *Decretal.* I. III, t, 42, c. 3. — [2] *Gen.* 17, 14. — [3] Cfr. *S. Th.* III, 70, 4. — [4] Cfr. SUAREZ, *De Sacr. in gen.* Disp. XV, s. 4, et *De Poenit.* Disp. XII, s. 2; DINKEL, *Das Wesen der ordentlichen priesterlichen Realbenedictionen* (1847); PROBST, *Sacramente u. Sacramentalien*, et *Kirchliche Benedictionen*; SCHANZ, *Die Wirksamkeit der Sakramentalien*, in *Theol. Quartals.* (Tübingen) 1886, p. 548; F. SCHMID, *Die Sacramentalien der Kath. Kirche* (1896); VON HOLTUM, *Was kann als Sakramentale gelten, was nicht?* in *Pastor Bonus*, t. 27, p. 641 et 710.

hodiernum nomine sacramentalium veniunt illi ritus ecclesiastici, qui peculiarem cum sacramentis similitudinem habent, sive in ipsa sacramentorum administratione adhibeantur, sive non.

Similitudo attenditur in duobus; primo enim necesse est, ut ipse ritus seu res exterior sacramentis quodammodo assimiletur; deinde potissimum requiritur, ut ad analogiam sacramentorum spiritualem quendam effectum, gratia sanctificante inferiorem, producat. Hinc illae caeremoniae in administratione sacramentorum adhiberi solitae, quae unice inserviunt ad majorem reverentiam sacramento conciliandam (ut vestes sacrae), aut ad effectum ipsius sacramenti explicitius significandum (ut v. g. impositio vestis candidae in Baptismo), veris sacramentalibus, quae sunt veluti sacramenta minora, accenseri non debent.

153 His praemissis *sacramentale* definiri potest: *res sensibilis, legitime instituta, ad spirituales quosdam effectus significandos et producendos.*

Sacramentalia generatim sunt *institutionis eccleciasticae*, sed quum saltem unus, n.p. exorcismus, ab ipso Christo originem habeat, praestat in definitione solam institutionem *legitimam* memorare.

Spiritualis effectus intellegitur, aut talis qui sive directe sive indirecte confert ad salutem fidelium, aut saltem talis quo res exsistit Deo sacra.

Ceterum notio sacramentalium ab aliis latius ab aliis arctius sumitur.

154 II. *Classes sacramentalium.* — Sacramentalia dantur permulta, neque fixo sunt numero, quum ecclesia pro adjunctis aut nova instituat, aut vetera in desuetudinem abire sinat. Hinc theologi ea ad quasdam classes revocare conantur.

A saec. XVII duae circumferuntur classificationes.

Altera sex species distinguit: *Orans* (oratio dominica; aliae

preces nomine ecclesiae fusae), *tinctus* (aspersio aquae benedictae), *edens* (esus esculentorum benedictorum), *confessus* (confessio generalis cum „misereatur" et „indulgentiam"), *dans* (eleemosyna, maxime ex praecepto ecclesiae erogata), *benedicens* (omnes benedictiones et exorcismi).

Altera septem species enumerat: *Crux* (signum crucis), *aqua* (benedicta), *nomen* (invocatio nominis Jesu), *edens, ungens* (unctio olei benedicti), *jurans* (exorcismi), *benedicens.*

At hae enumerationes videntur satis ineptae. Ut alia praetereamus, non apparet quo jure oratio dominica, cet. eleemosyna, nuda invocatio ss. Nominis sacramentalia dicantur. Etsi enim suo modo multum valeant aut etiam, sicut eleemosyna, peculiarem promissionem adjunctam habeant [1], deficit similitudo exterior cum sacramentis.

Melius igitur recentiores theologi omnia sacramentalia re- 155
ducunt ad *exorcismos* et *benedictiones* ecclesiae, usumque rerum exorcisatarum ac benedictarum.

Exorcismi applicantur hominibus ad repellendam ab iis potestatem daemonis; creaturis irrationabilibus, ne diabolus iis abutatur ad nocendum hominibus.

Benedictiones aliae sunt constitutivae, quae faciunt rem sacram, eamque plus minus usui profano subtrahunt; aliae invocativae, quae id non faciunt. *Benedictiones constitutivae* applicantur hominibus et creaturis irrationalibus, ut Dei servitio specialiter mancipentur [2], aut constituantur media benedictionis communicandae [3]. *Benedictiones invocativae* applicantur hominibus, ut aliquod munus a Deo consequantur [4]; creaturis irrationalibus, ut earum usus nobis prosit ad salutem corporis et animae [5].

[1] *Dan.* 4, 24; *Tob.* 6, 11; 12, 9. — [2] Ut v. g. Tonsura, Minores Ordines, benedictio Abbatis, Virginis; consecratio calicis. — [3] Ut v. g aqua benedicta. — [4] V. g. benedictio mulieris p. partum; benedictio s. Blasii. — [5] V. g. benedictio mensae, medicinae, cet. — Cfr. de his *Der Katholik,* 1865,

156 III. *Effectus sacramentalium* collective sumptorum enumerantur sex: 1°. deputatio ad cultum divinum; 2°. expulsio et repulsio daemonis; 3°. beneficia temporalia, in quantum saluti animae proficua sunt; 4°. collatio gratiarum actualium; 5°. remissio culpae venialis; 6°. remissio poenae temporalis.

Dico: „sacramentalium *collective* sumptorum"; etsi enim nullum detur sacramentale, cui non conveniat saltem unus ex praedictis effectibus, nemo contendit quodlibet sacramentale valere ad omnes effectus enumeratos. Quid autem singula valeant, imprimis colligendum est ex orationibus, quas ecclesia in eorum confectione et administratione adhibet [1].

157 IV. *Modus, quo diversi effectus producuntur*, diversus est.

a. *Deputatio rei vel personae ad cultum Dei* sequitur *infallibiliter* ac *veluti ex opere operato;* alii effectus, secundum veriorem sententiam, non sunt ex opere operato, nec sequuntur infallibiliter, etiamsi homo reverenter ac devote sacramentali utatur.

b. Dicendum putamus, *repressionem diaboli, beneficia temporalia, gratias actuales* a Deo dari *occasione* devotae susceptionis sacramentalium, et *propter preces ecclesiae*. Preces illae, eo quod sunt preces ipsius ecclesiae, sponsae Christi, plurimum valent apud Deum; et ideo devotus usus sacramentalium proficuus esse solet independenter a merito susceptoris et ministri. Nihilominus non exaudiuntur infallibiliter, tum quia aliqua causa sive privata sive publica obstare potest, tum quia nullibi promissum est, quod oratio etiam optima statim aut determinato tempore exaudiretur [2].

II, p. 525. — Benedictiones constitutivae *possunt* dici consecrationes, quia rem faciunt sacram; sed si *usum* consulis, plures benedictiones constitutivae non dicuntur consecrationes sed simpliciter benedictiones ut v. g. benedictio ostensorii, ornamentorum sacerdotalium, benedictio novae ecclesiae per presbyterum delegatum.

[1] Cfr. *Pastor Bonus*, 1921, t. 33, p. 303. — [2] Cfr. *S. Th.* II, II, 83, 15, ad. 2.

c. Duo reliqui effectus, n.p. *remissio culpae venialis* et *poenae temporalis* producuntur mediate atque *ex opere operantis*, i. e. suscipientis. Siquidem devotus usus sacramentalium partim connaturaliter, partim ratione gratiarum actualium, a Deo ut supra concessarum, hominem adjuvant ad eliciendos bonos motus fidei, reverentiae in Deum, charitatis, contritionis, cet. Atqui boni illi motus, quatenus saltem virtualem quandam displicentiam peccatorum venialium implicant, eorum remissionem operantur [1]. Et eodem modo relaxatur aliquid de poena temporali „secundum modum fervoris in Deum qui per praedicta [sacramentalia] excitatur, quandoque magis quandoque autem minus" [2].

Concludimus verbis *conc. plenarii Baltimorensis II*: „Curent 158
animarum rectores, ut harum rerum naturam, significationem, rectumque usum fidelibus exponant. Iis qui sapientiae et ingenio suo nimis innituntur, persuadeant haec, levia licet minutaque videantur, non esse contemnenda, quum ad pie vivendum et salutem consequendam non parum proficiant. Rudiorem vero plebeculam, quae contrario errore abripitur, etiam atque etiam moneant, ne rebus ipsis nimiam efficaciam tribuat, quasi ipsae per sese sine pia mentis dispositione, plurimum possent. Illos vero acerrime reprehendant, qui hujusmodi res sacras, ut ethnici moris erat, amuletorum quasi loco habent, quae ipsos etiam foedissimo vitiorum coeno involutos ab ira Dei et ultione praestent immunes" [3].

---

[1] Cfr. *S. Th.* III, 87, 3. — „Requiritur quaedam virtualis displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occureret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret" (l. c. 1, c.). „Fervor charitatis virtualiter implicat displicentiam venialium peccatorum" (l. c. ad 3). — [2] *S. Th.* III, 87, 3 ad 3. — [3] Apud TANQUEREY, *Synops. Theol. spec.* Ed. 5, II, n° 116.

SECTIO II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI [1].

159 „Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitae spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur ecclesiae. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua et Spiritu s. renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum coelorum introire" [2].

160 *Figurae* Baptismi fuere: **a.** *circumcisio*, per quam filii Israel populo specialiter electo aggregabantur, sicut nos per Baptismum ecclesiae Christi incorporamur et in cujus susceptione peccatum originale remittebatur [3]. — **b.** *Diluvium*, „quod exscindendi peccati causa contigit" [4], et *arca* aquis superans, qua Noe ejusque familia a communi interitu salvabatur. S. PETRUS: „Arca, in qua pauci, id est octo animae salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos facit Baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem J.C." [5]. — **c.** *Transitus maris rubri*, quo Israelitae e servitute Aegyptiorum eripiebantur, quum Dominus ex nube, Spiritus s. sym-

---

[1] *S. Th.* III, **66—71**; J. CORBLET, *Histoire dogm. liturg., archéolog. du sacrament de Baptême*, 2 vol. 1881; V. ERMONI, *Le Bapteme dans l'Église primitive* (in collect. *Science et Réligion*) et: *L'histoire du Baptême depuis l'édit de Milan jusqu'au concile in Trullo*, in *Rev. d. Quest. historiques* t. 64 (1898); A N. LÉPICIER, *Tract. de Baptismo et Confirmatione*, 1923. — [2] *Decret. ad armen.* Cfr. DENZ. 696. — [3] Cfr. supra n° **151**. — [4] S. JOES. DAMASC., *De fid. orthod.* IV, 9, 18. — [5] *I Petr.* **3**, 20. — Nihilominus repraesentatio Noe in arca, quae frequens est in catacumbis, non Baptismum symbolizat, sed spem fidelium defunctorum, quos Deus a morte aeterna liberat, sicut Noe ab aquis diluvii eripuit. Cfr. J. WILPERT, *Die Malereien der Katakomben*, I, p. 344.

bolo, eos obumbrabat et illuminabat [1]. S. PAULUS: „Patres nostri omnes sub nube fuerunt et omnes mare transierunt; et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari" [2]. — d. *Lotio Naaman* syri in Jordane, qua „restituta est caro ejus sicut caro parvuli, et mundatus est" a lepra [3]. — e. *Probatica piscina*, cujus aquam angelus domini secundum tempus movebat, unde „qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae salvus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate" [4].

Dicemus in *cap. I* de exsistentia et partibus; in *cap. II* de effectibus et necessitate; in *cap. III* de ministro et subjecto Baptismi.

CAPUT I.

De Baptismi exsistentia et partibus.

Art. I.

DE BAPTISMI EXSISTENTIA.

Nomen. *Baptismus*, vox graeca: *βάπτισμα, βάπτισμος* (a **161**
verbo *βαπτίζω* = mergo, tingo), etymologice immersionem, madefactionem abundantem significat. In Scriptura saepius pro ablutione sive profana [5] sive sacra [6], deinde metaphorice pro inundatione malorum [7] et copiosa effusione s. Spiritus [8] adhibetur; at in N. T. praecipue, in usu ecclesiastico vix non unice illam sacram lotionem significat, qua christiani initiantur.

Etiam vox neerlandica *doopen* (germ. taufen; goth. daupjan, a diup = diep) etymologice immersionem significat: dompelen, indompelen. Quodsi in sensu figurato nonnumquam

[1] *Exod.* 14, 22 seq. — [2] *I Cor.* 10, 1—2: cfr. CORNELY, in h. l. — [3] *IV Reg.* 5, 14. — [4] *Jo.* 5, 2 seq. — [5] V. g. *II Esdr.* 4, 23 (vulgata); *Judith*, 12, 7. — [6] *Mc.* 7, 4; *Hebr.* 9, 10. — [7] *Mc.* 10, 38; *Luc.* 12, 50. — [8] *Act.* 1, 5.

pro impositione nominis adhibetur, metaphora facile explicatur ex usu christiano imponendi nomen in administratione Baptismi.

162 **Definitio.** Baptismus definiri potest: *sacramentum, in quo homo per ablutionem aquae sub invocatione ss. Trinitatis spiritualiter regeneratur.* Definitio comprehendit tum materiam remotam et proximam, tum formam, tum primarium effectum n.p. spiritualem regenerationem. Siquidem homo, jam genitus ad vitam carnalem seu naturalem, per Baptismum iterum gignitur ad vitam spiritualem, i. e. supernaturalem. *Cat. conc. trid.* brevius definit: sacramentum regenerationis per aquam in verbo [1].

163 **Alia nomina,** quibus sive in Scriptura sive apud ss. Patres Baptismus subinde designatur, sunt v. g. lavacrum aquae [2], sacramentum aquae, unda genitalis, tinctio, sacramentum Trinitatis aut fidei, lavacrum regenerationis et renovationis [3], illuminatio (*φωτισμός*) [4], sigillum (*σφραγίς*). — Quum nomina *φωτισμός* et *σφραγίς* fundamentum habeant in Scriptura [5], sine ratione admitteretur, ea a mysteriis paganis esse mutuata. Magis pernegandum est, notionem Baptismi ex usu harum denominationum elementis peregrinis alteratam esse.

164 PROP. **Baptismus est verum N. L. sacramentum, a Christo institutum.**

Fidei *dogma* est ex conc. trid., quod inter sacramenta, a

[1] P. II, c. 2, n⁰ 15. — [2] *Eph.* 5, 26. — [3] *Tit.* 3, 5. — [4] Hinc catechumeni, qui ad Baptismum proxime recipiendum praeparabantur (electi, competentes,) a graecis dicebantur *φωτιζόμενοι* = illuminandi; unde multae catecheses *πρὸς φωτιζόμενους* inscribuntur. — [5] *Φωτισμός*: *II Cor.* 4, 4, 6; *Heb.* 6, 4; 10, 32; *σφραγίς*: *Eph.* 1, 13; 4, 30; Cfr. SCHANZ, *Die Lehre v. d. h. Sacram.* p. 209; *Kirchenlex.* in voce: *Taufe*, T. XI, p. 1250; DÖLGER, *Sphragis, eine altchristliche Taufbezeichnung* cet. Paderb. 1911.

Christo domino nostro instituta, primo loco recenset Baptismum [1]. Cfr. Decr. *Lamentabili*, prop. 42.

Quum in superiori sectione ex Scriptura et Patribus ostensum sit, Baptismum esse ritum materia et forma constantem [2], gratiam ex opere operato conferentem [3], hoc loco de sola institutione per Christum dicendum est. Quae quaestio diligentius tractari debet, quia nostris diebus plures critici liberales contendunt, aut Baptismum non esse a Christo institutum, aut saltem hanc institutionem non posse directe probari [4].

Jam institutio per Christum *probatur*. 165

1. *Indirecte*. Non solum ex antiquissimis patribus: *Didache* [5], *ep. Barnabae* [6], *Pastore* Hermae [7], s. Justino [8], sed etiam ex N. T. aperte constat, Baptismum statim ab initio ecclesiae, imo ab ipso die pentecostes, universaliter celebratum esse ad homines ecclesiae aggregandos, eorumque peccata abluenda [9]. Atqui hujusmodi praxis primitiva, universalis, numquam controversa, non potest explicari, nisi admittatur Baptismum ab ipso Domino fuisse institutum.

2. *Directe*. A. Apud s. Joannem Christus dicit: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s. [ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος], 166

[1] *Sess.* 7, *De Sacram. in gen.*, can 1. — [2] N⁰ 28—29. — [3] N⁰ 46, 48—50. — [4] A. HARNACK, qui in ed. 2a operis *Lehrb. d. Dogmengesch.* I, (p. 68) dixerat: „Dass Jesus die Taufe eingesetst habe lässt sich nicht nachweisen, denn *Mt.* 28, 19 ist kein Herrnwort", in ed. 3a sententiam suam mitigavit dicendo: „lässt sich nicht direct erweisen, denn" u. s. w. Mox addit: „Ein Sacrament der Taufe, oder eine Verpflichtung zu derselben ex necessitate salutis lässt sich auf Jesus selbst nur mit Hülfe des Traditionsprincipes zurückführen; aber es ist glaublich, dass es hier im Rechte ist" (p. 76). — [5] C. 7 — [6] C. 11, n⁰ 11. — [7] *Sim.* 9, 16. — [8] *Apol. I*, c. 61. — [9] *Act.* 2, 38, 41; 8, 12, 13, 16, 38; 9, 18; 10, 47, 48; 16, 15, 33; 18, 8; 19, 3—5; *Rom.* 6, 3—4; *I Cor.* 1, 13—17; 12, 13; *Gal.* 3, 27; *Eph.* 4, 5; 5, 26; *Tit.* 3, 5; *Hebr.* 10, 22; *I Petri* 3, 21.

non potest introire in regnum Dei" [1]. Attenta praesertim praxi apostolorum et totius ecclesiae primitivae, de qua supra, indubium est haec verba intellegenda esse de necessitate Baptismi. Quodsi Christus necessitatem Baptismi proclamavit, certe etiam Baptismum instituit. — Opponunt quidem critici rationalistae, quibus ex catholicis paucissimi quidam nimis accedebant[2], quartum evangelium non esse historicum; ast quamvis concedendum sit, auctorem hujus evangelii sermones Christi liberiori modo reddidisse, imo dari possit, eum sententias Domini juxta mentem ipsius loquentis optime cognitam, suo modo explicasse atque nonnihil evolvisse, nullo modo admittendum est, evangelistam Christo supposuisse sermones confictos, i. e. tales, qui continerent res ab ipso Christo non edoctas [3]. Neque abs re erit annotare, etiam s. Justinum, relata praxi baptizandi, addere: „Etenim Christus dixit: Nisi regenerati fueritis, non intrabitis in regnum coelorum" [4].

167 **B.** Apud Matthaeum Christus redivivus apertissime dicit: „Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine P. et F. et S. s." [5]. Contra rationalistas, asserentes hunc textum non esse genuinum effatum Domini[6], haec observamus.

Primo, textus invenitur in omnibus Mss. ac versionibus, unde etiam cunctae editiones criticae eum absolute retinent.

[1] *Jo.* **3**, 5. — [2] Scribebat v. g. ERMONI: „Le quatrième Évangile mêle beaucoup de théologie à l'histoire... l'entretien avec Nicodème n'est peut-être qu'une spéculation théologique sur la seconde naissance" *(Le Baptême*, p. 57, 56). — [3] Cfr. Decr. *Lamentabili* prop. 16: „Narrationes Joannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio; sermones, in ejus evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae." Decr. *Commiss. Biblicae*, 29 maji 1907, DENZ. 2112. — [4] *Apol. I*, c. 61. — [5] *Mt.* **28**, 19. — [6] E. g. J. H. SCHOLTEN, *De doopformule* 1869; HARNACK (l. c.); HOLTMANN; RÉVILLE. Genuinitatem textus novissime defendit RIGGENBACH, *Der Trinitarische Taufbefehl nach seiner ursprünglichen Textgestalt u. seiner Authentie*, Gütersloh, 1903.

Nec refert, quod Eusebius caesar. textum fere semper laudet, omissis verbis „baptizantes .... Spiritu s." [1], nam alii scriptores antiquiores illa verba disertissime afferunt [2].

Secundo, rationes ab adversariis allatae non valent. Dicunt: **a.** Textus, eo quod colligationem christianorum in veram societatem spectat, epocham posteriorem arguit. Sed gratis et falso praesupponitur, institutionem societatis christianae, sive ecclesiae, ab ipso Christo profectam non esse. — **b.** Mora Christi redivivi in terris et sermones tunc habiti posterioris inventionis sunt, quum adhuc ignorentur a. s. Paulo, qui ascensionem resurrectioni immediate conjungit [3]. Sed modus loquendi s. Pauli nullatenus probat assertum adversariorum; eum apparitiones Christi redivivi probe novisse, aliunde constat [4]. — **c.** Si Christus apostolis jussisset baptizare omnes gentes, s. Paulus non esset gavisus quod paucos tantum ex Corinthiis baptizasset, neque scripsisset: „Non misit me Christus baptizare sed evangelizare" [5]. At verba Pauli facile explicantur ex contextu. Si multos per seipsum baptizasset, plures inde ansam sumpsissent dicendi: „Ego sum Pauli", i. e. ita adhaerendi Paulo, ac si Paulus pro eis crucifixu fuisset, aut in nomine Pauli baptizati fuissent. Reapse munus praecipuum ipsorum apostolorum personaliter erat praedicare evangelium; cetera, ut ministrationem Baptismi, magna parte adjutoribus suis relinquebant [6]. — **d.** Formula: „In nomine P. et F. et S. s.", quum evolutionem doctrinae trinitariae jam incoeptam ostendat, in ore Christi valde suspecta est.

[1] CONYBEARE, in *Z. f. neutest. Wissenschaft*, 1901; contra quem scripsit CHASE, *The Lords Command to Baptize*, in *Journal of theolog. Studies*, 1905, p. 481. — [2] V. g. *Excerp. ex Theodoto*, 76, apud CLEM. ALEX. (*Opp.* Ed. Colon. 1688, p. 800); s. IRENAEUS, *Adv. haer.* III, 17, 1; TERTULL. *de Bapt.* c. 13; *Adv. Prax.* c. 26; s. CYPRIANUS, *Ep. 73 ad Jubaj.* n° 18; ORIGENES, *Comm. in Jo.* (Ed. E. Preuschen p. 512 et p. 547). — [3] Cfr. *Rom.* 8, 34; *Eph.* 1, 20. — [4] *I Cor.* 15, 4 seq. — [5] *I Cor.* 1, 14—17. — [6] Cfr. v. g. *Act.* 6, 2 seq.; 10, 48; 19, 5—6.

Sed non est, quod formulam trinitariam in ore Christi miremur, quum et alibi, neque solum in quarto evangelio, sed etiam apud ipsos synopticos Patrem et Filium et Spiritum s. distincte nominaverit [1]. Quare igitur non potuisset una formula comprehendere tres personas, jam antea ab ipso distinctas? Ceterum objectio fundatur in theoria evolutionismi respectu doctrinae christianae, quae non factis historicis, sed praeconcepta opinione nititur. — **e.** Si ipse Christus praecepisset baptizare in nomine P. et F. et S. s., apostoli numquam „in nomine Christi" baptizassent. Sed haud constat, imo prorsus improbabile est, apostolos aliquando baptizasse cum formula: in nomine Christi, ut infra dicetur [2].

168 **Scholion 1.** *Quo tempore Baptismus a Christo institutus sit* [3]. — Quum factum institutionis in Scriptura non narretur, res certo definiri nequit. Sententia communior tenet, Baptismum saltem *ante passionem* Domini institutum esse, secus enim admittendum esset, apostolos s. Eucharistiam et sacerdotium ante Baptismum accepisse [4]; praeterea plures cum s. Augustino [5] et s. Thoma [6] opinantur, baptismum quod discipuli vivente Christo administrasse leguntur [7], fuisse ipsum

[1] *Mt.* **11**, 27; **12**, 32; *Mc.* **3**, 29; *Luc.* **12**, 10, 12. — [2] N⁰. **187**. — [3] *S. Th.* **66**, 2; cfr. *Zeits. f. Kath. Theol.* 1905, p. 53. — [4] NICEPHORUS CALLISTI (s. XIV.) in sua *Hist. Eccles.* (l. II, c. 3) ex posteriori recensione *Chronici* Hyppolyti Thebani transscripsit epistolam Evodii (primi episc. antioch. post b. Petrum) hujus tenoris: „Christus suis manibus solum Petrum baptizavit, Petrus Andream et filios Zebedaei; Andreas vero et filii Zebedaei reliquos apostolos et septuaginta, dum mater Dei a Petro et Joanne theologo baptizata est". At haec ep. Evodii, quae in textu primitivo *Chronici* praedicti (a. 650—750) non invenitur, teste Bardenhewer (*Gesch. d. altkirchl. Litt.*, T. I, p. 145) manifesto conficta est. Tertullianus (*De bapt.* c. 12) nescit, utrum apostoli, excepto Paulo, baptizati sint necne, at certo justificati sunt sive per sacramentum, sive sine sacramento — [5] *Tract. in Jo.* **5**, 18; **13**, 4. — [6] *S. Th.* III, **73**, 5 ad 4. — [7] *Jo.* **3**, 22; **4**, 1—2.

sacramentum Baptismi. At Tertullianus [1], s. Chrysost. [2], s. Leo M. [3], quos recentiores communius sequuntur, putant, discipulos tunc non sacramentum nostrum, sed baptisma Joannis ministrasse. — Ceterum aliis placet, Christum hoc sacramentum instituisse, quando cum Nicodemo de eo sermocinabatur[4]; aliis praeplacet tempus, quo ipse Christus in Jordane baptizabatur. Ita v. g. s. Thomas [5] et *Cat. conc. trid.* [6]. Haec sententia potissimum nititur effatis ss. Patrum, qui saepius dicunt, in baptismate Christi aquas esse mundatas, purificatas, jus Baptismi acquisivisse, accepisse vim sanctificandi, cet. Censemus tamen hujusmodi locutionibus reapse vix aliud significari quam hoc: ex eo quod aqua ipsius Domini corpus abluit, conveniens fuit aquam ad abluenda peccata, regenerandosque homines designari. Igitur res incerta manet, sed quidquid est de tempore institutionis, lex universalis Baptisma suscipiendi nonnisi post resurrectionem promulgata est: „Euntes docete", cet.

Scholion 2. *De baptismate Joannis* [7]. — Quamquam **169** Joannes ex instinctu Spiritus s. baptizabat [8], ejus baptismus haud ejusdem efficaciae erat cum Baptismo nostro. Adhibebatur ad excitandos motus poenitentiae, non vero sicut Baptisma Christi ad dandum Spiritum s., ejusque gratiam. Ipse baptista: „Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam, qui autem post me venturus est fortior me est, ipse vos baptizabit in Spiritu s. et igni" [9].

[1] *De Bapt.* c. 11. — [2] *Hom. 28 in Jo.* n⁰ 3. — [3] *Ep. 4 ad Episc. Sicil.* — [4] *Jo.* 3. — [5] *S. Th.* l. c. 66, 2. — [6] P. II, c. 2, n⁰ 20. — [7] *S. Th.* III, 38. — [8] *Jo.* 1, 33. — [9] *Mt.* 3, 11. Non contendimus baptistam hoc effato baptismum suum diserte opponere *Baptismo* Christi; verba: „ipse vos baptizabit in Spiritu s. et igni" non determinate de nostro Baptismo, sed potius de larga effusione Spiritus s. a Christo, tum alias tum praesertim in die Pentecostes, facienda (*Act.* 1, 5) intellegenda videntur. Quo admisso textus *per se solus* non sufficit ad probandum, baptismum Joannis infra Baptis-

TERTULLIANUS: „Nihil coeleste praestabat [Joannes], sed coelestibus praeministrabat, poenitentiae scil. praepositus. Agebatur baptismus poenitentiae quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo secuturae" [1]. S. THOMAS: „Baptismus Joannis gratiam non conferebat, sed solum ad gratiam praeparabat, per poenitentiam praeparando homines ad suscipiendum effectum Baptismi Christi" [2]. Consequenter illi, qui baptismum Joannis susceperant, iterum Baptismo Christi tingi debuerunt [3]. — Merito igitur AQUINAS: „Baptismus Joannis non erat per se sacramentum, sed quoddam sacramentale disponens ad Baptismum Christi" [4].

Reformatores, quum etiam Baptismo nostro non aliam virtutem adscriberent quam excitandi bonos motus, consequenter utrique baptismo efficaciam ejusdem speciei, solo gradu diversam, tribuerunt. Contra hos conc. trid. differentiam specificam adstruit, definiendo: „S. q. d., baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, a. s." [5].

Constat Judaeos, saltem a tempore urbis eversae, ad initiandos proselytas justitiae praeter circumcisionem adhibuisse baptismum quendam; hujusmodi ritum jam tempore Joannis exstitisse a nonnullis asseritur, sed non videtur satis probari. Quidquid est, baptismus Joannis certo erat novum quid, sin minus materialiter, i. e. ratione ipsius lotionis seu balnei, saltem formaliter, in quantum scil. adhibebatur non ad auferendam immunditiam legalem, sed in poenitentiam injuriarum Deo illatarum, cum confessione peccatorum, necnon ut suscipientes crederent in Christum venturum [6]. Ceterum tum

---

mum Christi fuisse, quum de Baptismo Christi distincte non loquatur. Nihilominus merito in argumentum affertur, nam sine dubio dicit, baptismum Joannis non dedisse Spiritum s., i. e. gratiam sanctificantem, sed solum valuisse ad excitandam poenitentiam. Baptismum vero Christi reapse Spiritum s. dare, aliunde constat.

[1] *De Bapt.* 10. — [2] L. c. 3, c. — [3] *Act.* 19, 3—5. — [4] L. c. 1 ad 1. — [5] *Sess.* 7, *de Bapt.* can. 1. — [6] Cfr. *Mt.* 3, 6; *Act.* 19, 4.

lotiones in Lege praescriptae [1], tum crebrae lustrationes a Pharisaeis inductae [2], populum quodammodo praeparaverant, ut baptismum Joannis, utut novum, facile acciperent in signum poenitentiae, unde non ita mirum est, multos illud suscepisse [3].

Art. II.

DE BAPTISMI PARTIBUS.

Considerandae sunt materia, tum remota tum proxima, et forma.

PROP. 1. **Materia remota Baptismi est omnis et sola aqua naturalis** [4]. **170**

Nonnulli antiqui haeretici baptismum aquae rejecerunt, sive quia aquam principio malo tribuebant, sive propter verba Baptistae: „Ipse vos baptizabit in Spiritu s. et igni" [5]. — Lutherus contendit, quidquid balnei loco esse potest, deficiente aqua, aptum esse ad Baptismum [6]; Calvinus vocem „aqua" in textu: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua", cet. methaphorice exposuit de aqua viva, i. e. de Spiritu s. [7]. Nihilominus omnes Protestantes, solis exceptis Quakeris, baptismum in aqua retinuerunt. Nostris diebus scribit v.g. Dr. BAVINCK: „Superfluum est cum Beza aliisque concedere, alium liquorem locum aquae deficientis supplere posse, nam talis casus vix possibilis est" [8].

Doctrinam catholicam *definivit* conc. trid.: „S. q. d., aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. C.: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s. ad metaphoram aliquam detorserit, a. s." [9].

[1] *Lev.* **6**, 27, 28; **11**, 25, 28; **13**, 6, 34; **22**, 6; *Num.* **8**, 6, 8; **19**, 7, 8; **31**, 4. — [2] *Mc.* **7**, 4; *Luc.* **11**, 38. — [3] Cfr. SCHANZ, *Comm. in Mt.* p. 122, KNABENB. *In Mt.* I. p. 123; *Kirchenlex*, in voce: *Proselyt.* t. X, p. 474. — [4] Cfr. *S. Th.* III, **66**, 3—4. — [5] Cfr. SCHANZ, *Lehre v. d. Sacr.* p. 215; SASSE, *De Sacr.* I. p. 201. — [6] *Coll. sympos.* c. 17, apud SASSE, l. c. — [7] *Instit.* l. IV, **16**, 25. — [8] *Geref. Dogmatiek*, IV, p. 277. — [9] *Sess.* **7**, *de Bapt.* can. 2.

Praeterea lex ecclesiastica exigit, ut pro Baptismo *solemni* adhibeatur aqua baptismalis, i. e. ad baptizandum benedicta [1]. Benedictio aquae, quae ad solam liceitatem requiritur, antiquissima est, uti constat per *Excerpta ex Theodoto* apud Clem. alex [2].

171 Prop. *probatur.* 1⁰. Ex *s. Scriptura.* „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei"; ubi vox „aqua" causam instrumentalem, vox „Spiritus s." causam principalem regenerationis indicat. Neque admitti potest sensus metaphoricus, qualem habes in effato Baptistae: „Ipse vos baptizabit in Spiritu s. et igni"; nam **a.** nulla est aequalitas: immersio in ignem impossibilis est, immersio in aquam ét possibilis ét ad symbolizandam regenerationem conveniens est. Praeterea **b.** Scriptura ostendit, apostolos eorumque adjutores, qui utique mentem Domini cognoverunt, in aqua baptizasse: „Ait eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Et descenderunt uterque in aquam Philippus et eunuchus, et baptizavit eum" [3]. — „Respondit Petrus: numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum s. acceperunt sicut et nos? Et jussit eos baptizari" [4]. — „Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae" [5]. — Tempore diluvii „pauci, i. e. octo animae salvae factae sunt per aquam; quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma" [*δι' ὕδατος, ὅ καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βαπτίσμα*][6].

172 2⁰. Ex *Traditione.* — *Didachè:* „Baptizate in nomine P. et F. et S. s. in aqua viva. Sin autem non habes aquam vivam in alia aqua baptiza; si non potes in frigida, in calida. Sin autem neutram habes, effunde in caput ter aquam in nomine P. et F. et S. s." [7]. — *Ep. Barnabae:* „Descendimus in aquam pleni peccatis, emergimus autem fructificantes in

[1] *Rit. Rom.* de mat. bapt. n⁰ 4. — [2] § 82. (*Opp:* Ed. Colon. 1688, p. 800). — [3] *Act.* **8**, 36—38. — [4] *Act.* **10**, 47—48. — [5] *Eph.* **5**, 26. — [6] *I Petr.* **3**, 20. — [7] C. **7**.

corde timorem et in spiritu spem in Jesum habentes" [1]. — S. JUSTINUS: „Deinde eo ducuntur a nobis ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati. Nam in nomine Parentis universorum et domini Dei ac salvatoris nostri J. C. et Spiritus s. lavacrum in aqua tunc suscipiunt" [2]. — TERTULLIANUS: „Felix sacramentum aquae nostrae. Nos pisciculi secundum *ἰχθύν* nostrum Jesum Christum in aqua nascimur" [3]. — S. AUGUSTINUS: „Quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam non est Baptismus" [4].

Ceterum aqua *convenienter* in materiam Baptismi electa est, tum quia aptissima est ad ablutionem animae a peccatis symbolizandam, unde etiam apud gentiles lotio aquae saepe ad expiationem adhibebatur [5]; tum quia pro sacramento omnibus necessario congruebat materia maxime obvia.

PROP. 2. **Materia proxima Baptismi est ablutio, quae non solum per immersionem, sed etiam per infusionem aut aspersionem fieri potest.** 173

[1] C. II, n⁰ 11. — [2] *Apol. I*, c. 61. Aqua viva, i. e. fluens, praefertur, tum quia hujusmodi aqua, quippe quae purior est, purificationem et vitam perfectius significat. Ex praxi primitiva baptizandi in aqua viva explicandum videtur, quod vas, in quo aqua baptismalis servatur, *fons* dici soleat. — [3] *De Bapt.* c. 1. — De nomine *Ἰχθὺς* Christo tributo scribit s. AUGUSTINUS: „Horum autem graecorum quinque verborum, quae sunt: *Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτηρ*, si primas litteras jungas, erit *ἰχθὺς* i. e. piscis; in quo nomine mystice intellegitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, vivus i. e. sine peccato esse potuerit". *De Civ.* 18, 23. — Verba Tertulliani „nos *pisciculi*" singulariter illustrant quaedam antiquissimae imagines (s. II), in quibus baptizatus repraesentatur sub imagine piscis, qui arundine captatur. Cfr. WILPERT, *Malereien*, I, p. 263, VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.* II, p. 236. — [4] *Tract. 15 in Jo.*, n⁰ 4. — [5] Cfr. TERTULL. *de Bapt.* 5; SCHANZ, l. c. p. 221.

Pars *prior*, n. p. Baptismum perfici per eam applicationem aquae, quae sit vera ablutio (quamdiu a modo ablutionis praescindatur), specialem difficultatem non habet. Baptismus in Scriptura vocatur „*lavacrum* aquae", „*lavacrum* regenerationis" [1]; et ii, qui Baptismum suscipiunt, dicuntur *ablui*, *abluere peccata* [2]. Ipsas voces *βαπτίζω* et *βάπτισμος* tempore Christi ablutionem, seu purificationem per lotionem significasse constat ex N. T. [3].

174 Pars *altera*. Ablutionem baptismalem rite fieri per immersionem, extra omnem controversiam est; eam etiam valide fieri per infusionem et aspersionem, defendendum est contra Baptistas [4] et nonnullos graecos, tum antiquos tum modernos, qui Baptismum per infusionem, qualis in ecclesia latina usurpatur, aut aperte invalidum, aut „quodammodo haereticum et rejiciendum" habent [5]. Huc spectat canon trident.: „S. q. d., in ecclesia romana, quae omnium ecclesiarum mater est

[1] *Eph.* 5, 26; *Tit.* 3, 5. — [2] *Act.* 22, 16; *I. Cor.* 6, 11; *Hebr.* 10, 22. — [3] *Mc.* 7, 4, 8; *Luc.* 11, 38 seq.; cfr. etiam *Act.* 2, 38: „*Baptizetur* unusquisque vestrum . . . *in remissionem peccatorum*", ubi sensus sine dubio est: *lavetur* unusquisque a peccatis. Minus recte igitur contendit cl. DE BELLEVUE, actum baptizandi *primario et directe* non esse lotionem purificativam, sed reconditionem hominis in aqua, veluti in spirituali quodam utero, ex quo in vitam supernaturalem nascatur: „Ce n'est pas une purification . . . Elle indique uniquement le fait d'être plongé dans le sein de l'Église . . . Le mot baptiser signifie directement non pas laver, mais plonger dans l'eau: Je te baptise „*je te plonge dans les eaux*, je te mets dans le sein de l'Église" (*La Grâce Sacrament.* p. 127—128). Quodsi verum esset, mea quidem opinione difficilius salvaretur validitas Baptismi per infusionem et aspersionem. Concedo, verbum baptizare *etymologice* significare „plonger dans l'eau"; sed verba valent usu, et *ex usu* tempore Christi vox *βάπτισμος* lotionem purificativam significabat. — [4] Cfr. *Kirchenlex.* I, p. 1973. — [5] Cfr. SASSE, l, c. p. 204, et pro hodiernis BAUR, *Argum. c. orient. eccles.* (1897) p. 42.

et magistra, non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam, a. s." [1].

1°. *Immersionem* fuisse ritum ordinarium veteris ecclesiae, apud omnes constat. Primis saeculis Baptismus sub dio „in aqua viventi", mari, flumine, lacu conferri solebat [2]. Post pacem ecclesiae datam, prope ecclesias aedificari coeperunt „baptisteria" cum „fontibus", seu „piscinis", in quibus homines nudi [3] descendebant. In his autem fontibus immersio apud adultos non solebat esse totalis: ut plurimum aqua ascendebat usque ad genua vel medium corporis et adjungebatur effusio aquae super caput [4]. Infantes vero totaliter submergebantur. A fine saec. XII in Occidente paulatim invalescere coepit usus solam infusionem adhibendi, ita ut immersio, quae tempore s. Thomae adhuc erat modus „communior" [5], saec.

[1] *Sess.* 7, *de Bapt.* can. 3. — [2] *Act.* 8, 36; *Didachè*, 7; s. JUSTINUS, *Apol. I*, 61; TERTULL., *De bapt.* 4 et 7. — [3] Nuditas ut plurimum, sed non semper, erat totalis (VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.* II, p. 214) „Il est à peine besoin d'avertir que, malgré cette prescription d'entière nudité, des précautions étaient prises pour que la décence, comme on l'entendait alors, ne fût pas blessée" (DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, p. 313). — [4] DUCHESNE, (l. c.) de ecclesia latina: „L'immersion baptismale ne doit pas s'entendre en ce sens que l'on plongeât entièrement dans l'eau la personne baptisée. Elle entrait dans la piscine, où la hauteur de l'eau n'était pas suffisante pour dépasser la taille d'un adulte; puis on la plaçait sous l'une des bouches d'où s'échappaient des jets d'eau, ou encore on prenait de l'eau dans la piscine elle même pour la repandre sur la tête. C'est ainsi que le baptême est représenté sur les anciens monuments". — Novissime ROGERS (*Baptism and christian Archaeology*, 1903) contendit, immersionem numquam fuisse totalem, et eo minorem quo magis ad antiquissima tempora ascendatur; demum saec. X et XI in Oriente aqua ad humeros usque et ultra descendebat. — Contra primis saeculis immersionem saepe fuisse totalem, autumant L. BAILLET (*Rev. d'hist. ecclés.* Lovanii, 1904, p. 415), et ERMONI (*Le Baptême*, p. 27). — [5] *S. Th.* III, 66, 7 ad 2.

XVI fere omnino cessasset. Graeci, aliique orientales generatim immersionem retinuerunt, et etiam hodie infantes totaliter immergunt, excepto tamen casu necessitatis, in quo infusionem adhibent [1].

175 2°. *Infusionem* [2] statim ab initio ecclesiae aliquando adhibitam fuisse, proinde semper consideratam esse ut Baptismum verum et validum, ex Scriptura valde suadetur et probatur traditione.

a. *Scriptura.* In die pentecostes apostoli Jerosolymis, ubi aquae haud abundabant, circiter tria millia hominum baptizarunt [3]; s. Paulus Philippis de noctu custodem carceris cum tota ejus familia baptizavit [4]. Atqui vix credibile est, hos baptismos per immersionem conferri potuisse. Ceterum immerito dicitur, vocem *βαπτίζειν* in Scriptura unice et solum de balneo seu lotione integri corporis adhiberi [5].

b. *Traditio.* Praeceptum *Didachês:* si non habes aquam ad mergendum, „effunde in caput ter aquam", cet. [6] usum ratum et fixum supponit. Aegrotos antiquitus infusione (aut aspersione) baptizatos fuisse, constat e. g. ex epistola s. Cornelii papae [7] et s. Cypriano, qui de integro valore talis Baptismi nihil dubitabat [8], atque ab ipsis graecis ultro conceditur[9]. Quodsi *clinici* (qui Baptismum usque ad mortis periculum dilatum, in lecto suo — *κλίνη* — perceperant,) a conc. neocae-

---

[1] Cfr. de his SCHANZ, l. c. p. 225; FUNK, *Kirchengesch. Abhand.* I, p. 478. — [2] *S. Th.* III, **66**, 7. — [3] *Act.* **2**, 41. — [4] *Act.* **16**, 33. — [5] Cfr. *Mc.* **7**, 3—8; *Luc.* **11**, 38; *Num.* **19**, 12 coll. cum. *Eccli.* **34**, 30. — [6] C. **7**. — [7] Apud EUSEB., *H. E.* VI, 43. — [8] *Ep. 69 ad Magnum*, n° 12: Quaesivisti, „an habendi sint [baptizati in lecto] legitime christiani, eo quod aqua salutari non loti sint sed perfusi? Qua in re nemini modestia nostra praejudicat... Nos aestimamus, in nullo mutilari et debilitari posse beneficia divina... Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri... Apparet, aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere" (HARTEL, II, p. 761). — [9] BAUR, l. c. p. 43.

sareensi a. 314 ad presbyteratum ascendere prohibentur, unica ratio, ab ipso concilio satis indicata, erat praesumptio languentis fidei [1].

3⁰. *Aspersio* proprie dicta ab infusione differt in eo, quod 176
in infusione aqua continua, in aspersione aqua discontinua, seu in guttas separata, baptizando applicatur. Hujusmodi aspersio, dummodo tanta aquae copia baptizandum tangat, ut vera habeatur ablutio, certo valida est, quum ab infusione haud essentialiter differat.

Porro ad rationem verae *ablutionis* requiritur: a. contactus 177
physicus aquae ad corpus; b. contactus successivus per motum aquae super corpus; et quidem c. in aliqua quantitate, n. p. non unius aut alterius guttae, nec talis quae habeat speciem solius unctionis [2].

Quodsi, quemadmodum in Baptismo per infusionem et aspersionem obtinet, non totum corpus abluitur, ad plenam certitudinem valoris requiritur ablutio in *capite*, quia caput est „principalis pars corporis, in qua vigent omnes sensus et [magis quam in aliis membris] manifestantur opera animae" [3].

Supposito quod infusio et aspersio non minus quam ipsa 178
immersio ad valorem sacramenti sufficiant, penes ecclesiam est determinare, quomodo ablutio baptismalis in adjunctis ordinariis peragenda sit [4].

Aspersio, quae nisi aqua abundet, facile dubii valoris est, numquam in usu fuit.

Immersio specialiter commendatur ex eo, quod expressius

[1] *Can.* 12 apud HEFELE, *Conciliengesch.* I², p. 249. — [2] Die 14 Dec. 1898 *S. C. Inquis.* sub conditione iterare jussit baptismos, a parocho quodam collatos „non per ablutionem, sed per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto" (*Archiv. f. kath. Kirchenrecht*, 1889, p. 558). — [3] S. THOM. *S. Th.* III, **66**, 7 ad 3. — [4] Cfr. n⁰ **102**.

significat sepulturam et resurrectionem Christi, quae sunt causa exemplaris spiritualis regenerationis [1]. At haec significatio non est essentialis.

In Occidente legitima consuetudo immersioni praetulit infusionem, quae multo commodior est et in qua decentiae facilius consulitur. Rationes historicae, propter quas saec. XIII–XVI infusio universaliter praevaluit, non ita liquent. Dicendum videtur, clerum et pastores ecclesiae pedetentim morem gessisse desideriis populi, metuentis ne immersio vitae aut valetudini infantium noceret.

179 *Corollarium.* Ablutio *trina* [2] ad singula nomina ss. Trinitatis antiquissima est, uti patet ex *Didachè* (l. c.) et Tertulliano [3]; imo a s. Basilio [4] apostolicis traditionibus annumeratur. Nihilominus, quum natura sacramenti praeter veram ablutionem nihil requirat, non est necessaria ad valorem. Hinc, quum saec. VI in Hispania usus obtinuisset, semel tantum mergendi in odium arianorum, qui trina immersione tres naturas distinctas innui volebant, s. GREGORIUS M. episcopo hispalensi rescripsit: „In una fide nihil officit s. ecclesiae consuetudo diversa. Reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismo vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus potest personarum trinitas, et in una divinitatis singularitas designari" [5].

180 PROP. 3. **Forma Baptismi tum distinctam invocationem trium personarum divinarum, tum actum abluendi exprimere debet** [6]. — Certum est.

[1] *Rom.* **6**, 3–4: „An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus". — [2] Cfr. *S. Th.* III, **66**, 8. — [3] *De coron.* 3. — [4] *De Spir. s.*, c. 27 n⁰ 66. — [5] *Epp.* l. I, ep. 43; cfr. HEFELE, *Conciliengesch.* III², p. 80. — [6] Cfr. *S. Th.* **69**, 5; J. BRINKTRINE, *Die trinitarischen*

Integra forma, qua utitur ecclesia *latina*: „Ego te baptizo in nomine P. et F. et S. s." primo occurit in *canonibus*, qui vocantur *Hippolyti* [1], deinde in *Sacramentario gregoriano* [2].

Integra forma ecclesiae *graecae*: „*Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ [ὁ δεῖνας] εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καί τοῦ ἁγιοῦ πνεύματος*," cujus valorem ecclesia latina agnoscit [3], primo occurrit apud Theodorum Lectorem (c. 525) deinde apud Joannem Moschum († 620) [4].

Patet, utramque formam ea comprehendere, quae in thesi requisivimus. Undenam differentia modalis ortum habeat, non liquet; praesumendum videtur utramque ecclesiam primitivam suam traditionem sequi [5].

Bekenntnisformeln und Taufsymbole (Beitrage zu ihrer Entstehung und Entwicklung), in *Theol. Quartals.* (Tübingen) 1921, t. 102, p. 156.

[1] *Canones* isti judicio Achelis, Duchesne, Batiffol conscripti sunt c. 225; contra Funk, Bardenhewer, Rauschen sentiunt, eos non ante a. 500 conscriptos esse. — [2] *Sacramentarium gregorianum*, liber ad usum summi pontificis, quamvis plurima contineat, quae tempore s. Greg. m. († 604) et diu antea in usu erant, proprie repraesentat liturgiam qualis Romae celebrabatur sub Hadriano I († 795). Cfr. DUCHESNE, *Orig. du culte*[3], p. 120. — [3] Cfr. DENZ. 696; cfr. *Der Kath.* 1911, II. p. 315. — [4] Cfr. SCHANZ, l. c., p. 236. — Formam graecorum numquam habuisse *βαπτιζέσθω* (baptizetur) sed semper *βαπτίζεται*, hodie apud omnes constat. Ceterum de valore talis formae non videretur dubitandum; cfr. *Collect. Cong. de Prop. F.*, n° 520 et Bened. XIV, apud HEINER, *Opera inedita*, p. 202. — [5] Scribit tamen PAPP-SZILAGYI post Arcudium: „Discrimen ex eo ortum esse nonnulli arbitrantur, quod orientales patres, ut Novatianis, qui magna in copia in oriente versabantur, occasionem praeriperent docendi, fidem ministri necessariam esse ad Baptismi valorem, prudenti oeconomia constituerint, ut baptizantes non amplius dicerent: ego te baptizo, sed: baptizatur" (*Enchir. jur. eccl. orient. cath.* p. 317).

181 Pars *prior*, n.p. requiri distinctam invocationem trium personarum ss. Trinitatis:

a. Insinuatur in *Scriptura*. Etsi enim apud *Mt.* 28, 19 non expresse dicatur, sensus obvius et naturalis est, verba „In nomine P." cet. in collatione Baptismi proferenda esse; cfr. *Act.* 19, 1—5.

b. Probatur ex *Traditione* ecclesiae, quae verba Domini semper in hunc sensum intellexit et semper „in nomine P. et F. et S. s." baptizavit. Textus *Didachès* et s. Justini supra [1] dedimus. — TERTULLIANUS: „Lex tingendi imposita est et forma praescripta. Ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine P. et F. et S. s." [2]. — S. AMBROSIUS: „Nisi [catechumenus] baptizatus fuerit in nomine P. et F. et S. s. remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire" [3]. — S. AUGUSTINUS: „Quis nescit, non esse baptismum Christi, si verba evangelica, quibus symbolum constat, ibi defuerint" [4].

182 Pars *altera*, n. p. requiri expressionem actus abluendi, probatur:

a. Ex *Traditione* ecclesiae. Saec. XII ALEXANDER pp. III contra Stephanum ep. tornacens., paucosque alios decrevit: „Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine P. cet., et non dixerit, ego baptizo te in nomine, cet., non est puer baptizatus" [5]. — ALEXANDER pp. VIII a. 1690 proscripsit (in globo) prop.: „Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine P., cet., praetermissis illis: ego te baptizo" [6].

b. Ex *ratione*. Quia applicatio aquae „propter multa fieri potest, oportet ut determinetur in verbis formae ad quid fiat: quod quidem non fit per hoc quod dicitur: in nomine P. cet., quia omnia in tali nomine facere debemus. Et ideo

---

[1] N° 172. — [2] *De bapt.* 13. — [3] *De myst.* c. 4, n° 20. — [4] *De bapt.* VI, 25, 47. — [5] DENZ. 398. — [6] DENZ. 1317.

si non exprimatur actus Baptismi non perficitur sacramentum"[1].

Corollaria. 1. Probabiliter *subjectum Baptismi* exprimi neces- 183
sarium non est ad valorem, quia subjectum sufficienter determinatur in actione baptizandi[2]; neque requiritur ut mentio *ministri* fiat, quia in actione sacramentali satis designatur.

Praeterea ad valorem sacramenti necesse est, ut forma proferatur ab *eadem persona*, quae materiam applicat[3], et *eodem tempore*, n.p. ita ut manifestum sit verba prolata ad hanc ablutionem referri.

2. Ut actio abluendi exprimatur, sufficit omne verbum quod 184
sive ex etymologia, sive ex *solo usu communi* lotionem significat. Hinc explicatur, quomodo a. 1894 a s. Sede approbari potuerit Rituale Slavicum, in quo forma Baptismi habet: „Ja te krstim", cet. Verbum „krstiti" (a radice krst = Christus) etymologice quidem: christianizare, facere christianum, sed ex usu communi Slavorum baptizare seu abluere significat[4].

3. De *accuratiore significatione formae.* Apud *Mt.* 28 tex- 185
tus graecus habet: εἰς τὸ ὄνομα[5]. Quum igitur praepositio εἰς cum accusativo motum exprimat, sensus stricte grammaticalis formae videtur esse: hac ablutione te consecro ss. Trinitati, facio te ingredi communionem et societatem cum ss. Trinitate. Attamen haec urgenda non sunt, nam in graeco seriore di-

[1] *S. Th.* 66, 5 ad 2. — [2] Cfr. rescriptum *S. C. S. Off.* (1633) in *Collect. S. C. de Prop. F.* (1893), n° 520. Contrarium videntur exigere *Litt. S. Cong. de Prop. F.* (1841) in *Collect.* (1893), n° 526, sed hoc rescriptum in nova editione *Collect.* (1907) omissum est. — [3] Cfr. S. Congr. de disc. Sacram. *Act. Ap. Sed.* 1916, p. 478. — [4] Hinc s. Joes. bapt. a Slavis vocatur *krestikel* = baptista, et *Luc.* 11, 38 vertitur: „Pharisaeus coepit intra se dicere, quare non christianizatus esset [krsti] ante prandium". *Zeits. f. kath. Theol.* 1901, p. 318. — [5] Cfr. etiam *Act.* 8, 16; 19, 5; 1 *Cor.* 1, 14.

scrimen inter praep. εἰς et ἐν fere disparuit, unde etiam alibi legitur: ἐν τῷ ὀνόματι [1].

Vulgata vertit: *in nomine*, et ita habet forma consueta ecclesiae latinae; quae si secundum regulas latinitatis classicae exponeretur proprie significaret: abluo te in virtute, auctoritate ss. Trinitatis. At quum in Vulgata et generatim in sermone latino vulgari praepositio *in* promiscue et absque significationis discrimine adhibeatur, tum cum acc. tum cum ablat. [2], nihil impedit, imo rationi consentaneum videtur, Vulgatam et formam ecclesiasticam explicare ex textu primigenio. Ceterum si rem spectas, explicatio multorum latinorum in sensu graeco continetur; nemo enim per ritum externum ss. Trinitati efficaciter consecraretur, et in societatem ss. Trinitatis cooptaretur, nisi ritus in virtute et auctoritate ss. Trinitatis celebraretur. Hinc putamus ad valorem sacramenti sufficere, quoties exprimitur ablutionem habere relationem cum nomine personarum divinarum; et ita explicatur quod Moralistae valide habent baptismata „cum nomine" vel „op den naam" collata [3].

186 4. Olim in nonnullis ecclesiis formae Baptismi quaedam miscebantur *additamenta*, sensum non mutantia, imprimis appositiones ad nomina divinarum personarum [4]. Alicubi post singula nomina addebatur: *amen*, quae vox tamen originarie non a baptizante, sed a populo, aut patrino, aut clerico ministrante proferebatur [5]. *Canones Hippolyti* praescribunt, ut baptizandus stans in aqua respondeat ad quaestiones: „Credis in Deum Patrem", cet., „Credis in J. C. filium Dei", cet., „Credis in S. s." cet. Post singula autem responsa caput aquae immergitur et „singulis vicibus presbyter dicit: „Ego

[1] *Act.* 10, 48 et (probabilius) 2, 38. — [2] Cfr. KAULEN, *Sprachl. Handb. z. Vulgata*, Ed. 2, p. 242. — [3] V. g. LEHMKUHL, *Theol. mor.* II, n⁰ 64. — [4] Cfr. PROBST, *Sakr. u. Sakrament. in 3 Jahrh.*, p. 148; SCHANZ, l. c. p. 281—232. — [5] Cfr. *Zeits. f. k. Theol.* 1901, p. 314; Bened. XIV, apud HEINER, *Opera inedita*, p. 204.

te baptizo in nomine P. et F. et S. s., qui aequalis est" [1]. Jam quamvis hujusmodi repetitio haud laudabilis fuerit, sacrilegam iterationem Baptismi constituere non videtur, quum ex intentione ministri triplex invocatio non minus quam trina immersio ad unum baptisma perficiendum ordinabatur [2].

Scholion. *De baptismo in nomine Jesu.* [3] — In N. T. **187** aliquoties legitur, nonnullos baptizatos esse: *εἰς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ* [4], vel *ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησου* [5]; quod multi scholastici ita intellexerunt, ac si primis temporibus baptizatum esset cum formula: ego te baptizo in nomine Jesu. Hac igitur explicatione supposita:

Aliqui, v. g. Petrus Lombardus [6], putabant talem baptismum semper valuisse et adhuc valere, et provocabant ad quaedam dicta s. Ambrosii et Nicolai I, de quibus infra.

Alii, iique plures et insignes: s. Thomas [7], s. Bonaventura [8], Scotus [9], cet. docebant, hujusmodi baptismum per se non valere, sed valere potuisse ex speciali dispensatione Dei quae tempore apostolorum affuisset, ut nomen Christi honorabile redderetur per hoc, quod ad ejus invocationem daretur Spiritus s. in Baptismo" [10].

Jam sententia primo loco relata, quum praedicationi ordi-

[1] Apud DUCHESNE, *Origines du culte*, Ed. 3, p. 534. Similem praxim insinuare videntur *Testam. d. n. J. C.* (ed. Rhamani, p. 122) et auctor *Libr. VI de Sacram.* (II, 7, 20), quamvis ibi de prolatione formae nihil dicatur. Cfr. BRINKTRINE, *Zur Geschichte der Taufformel*, in *Theologie u. Glaube*, 1917, p. 415; A. DE SMET, *Tract. de Sacram. etc.* n⁰ 232. — [2] Cfr. *S. Th.* **66**, 8, ad. 3; Bened. XIV, l. c. p. 205. — [3] Cfr. GILLMAN, *Taufe im Namen Jesu oder Christi*, Mogunt. 1913. — [4] *Act.* 8, 16; **19**, 5; *Rom.* **6**, 3. — [5] *Act.* 2, 38; **10**, 48. — [6] *Sent.* IV, 3. — [7] *S. Th.* **66**, 6. — [8] *In IV Sent.* d. 3, p. 1, a. 2, q. 2, ad 3. — [9] *In IV Sent.* d. 3, q. 2, schol. 3. — [10] *S. Th.* l. c. ad 1. — Ex sententiis supra relatis explicatur, quare *Cat. Conc. trid.* (P. II, 2 n⁰ 13—14) formam trinitariam vocet formam „perfectam et absolutam", „integram et perfectam".

nariae universalis ecclesiae contradicat, absque fidei laesione sustineri nequiret. Hinc defensio illius sententiae jussu Pii V ex editione romana opp. Cajetani expuncta fuit. Altera merito antiquata est, quia caret fundamento. Sane textus Scripturae, qui baptisma in nomine Jesu memorant:

1. Si per se sumuntur, optime intellegi *possunt* de Baptismo cum forma trinitaria. Nonne ii, qui sub invocatione ss Trinitatis, accipiebant Baptisma a Christo institutum, ex persona Christi ministratum, per quod in fidem et ecclesiam Christi cooptabantur, merito dicebantur baptizari in nomine Jesu, praesertim quum adhuc necessarium esset Baptismum Christi distinguere a baptismate Joannis. — Quinimo textus:

2. Omnibus consideratis, ita intellegi *debent*, nam: **a.** dispensatio, quam veteres magistri praesumebant, gratis et improbabiliter admitteretur. Gratis quia textus aliam explicationem ultro admittunt; improbabiliter, quia satis incongruum videtur formam trinitariam instituere et statim ab ejus usu dispensare. **b.** Si tempore apostolorum „in nomine Jesu" baptizatum esset, s. Paulus Ephesiis dicentibus: „sed neque si Spiritus s. est audivimus," respondere non potuisset: „In quo ergo baptizati estis?" [1] **c.** Ex antiquissimis patribus nemo de baptismate „in nomine Jesu" collato quidquam rescivit. Contra *Didachè* insinuat, baptizari in nomine Jesu idem esse ac baptizari cum forma trinitaria: postquam enim bis dixit, baptizandum esse „in nomine P. et F. et S. s." mox subjicit, neminem Eucharistiam sumere posse, nisi „baptizatus fuerit in nomine Domini" [2].

188 Restant difficultates ex s. Ambrosio, Nicolao I, s. Bernardo.

S. AMBROSIUS scribit: „Baptizati sunt [Ephesii, de quibus *Act.* 19] in nomine Jesu Christi. Plenum est [Baptisma], si Patrem et Filium Spiritumque s. fatearis. Si unum neges totum subrues. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem aut Filium aut Spiritum s., fide autem nec

[1] *Act.* 19, 2—3. — [2] C. 7 et 9.

Patrem nec Filium nec Spiritum s. abneges, plenum est fidei sacramentum: ita etiam quamvis et Patrem et Filium et Spiritum s. dicas, et aut Patris aut Filii aut Spiritus s. minuas potestatem, vacuum est omne mysterium .... Nunc consideremus, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis sacramentum, ita etiam s. tantum Spiritu nuncupato nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur, quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Rationi copuletur auctoritas: in Spiritu quoque recte nos baptizari posse Scriptura indicat: vos autem baptizabimini in Spiritu s." [1]

Locum obscuriorem esse fatemur. Nihilominus:

1⁰. *Vix probabile est, s. Ambrosium hic agere de forma Baptismi*; nam si de forma proferenda disseruit, non solum docuit, valere baptismum „in nomine Jesu", sed insuper **a.** valere formam „in nomine Spiritus s"; **b.** fructu vacuum esse Baptisma cum forma consueta collatum a ministro de ss. Trinitate non recte sentiente. Praeterea **c.** omnino recessit a doctrina s. Basilii [2], quam in textu objecto manifeste prae oculis habuit; denique **d.** sibi ipsi contradixit, quum alibi aperte doceat, non remitti peccata nisi baptizatum fuerit „in nomine P. et F. et S. s." [3] — Hinc:

2⁰. Admodum *probabilis est sententia* multorum, locum intellegendum esse *de professione fidei a baptizando emittenda*, ita ut s. doctor dixerit: si baptizandus, recte sentiens de ss. Trinitate, solum Filium aut solum Spiritum s. explicite profiteretur, nihil noceret; contra si, corde non recte credens, ore totam ss. Trinitatem confiteretur, Baptismum infructuose reciperet.

NICOLAUS PP. I, saec. IX ad Bulgaros rescripsit: „A quo- **189**
dam judaeo [4], nescitis utrum christiano an pagano, multos in

[1] *De Spir. s.*, l. I, 3, 42—44. — [2] *De Spir. s.* cp. 12. — [3] *De myst.* c. 4, n⁰ 20; cfr. *Libr. VIII in Luc.* n⁰ 67. — [4] Vox „judaeus" nomen non religionis, sed negotiationis est, ait SASSE, *De Sacr.* I, p. 214.

patria vestra baptizatos esse asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Illi profecto si in nomine ss. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Act. apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut exponit s. Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos; sed primum utrum christianus an paganus ipse judaeus exstiterit, vel si postmodum fuerit factus christianus, investigandum est; quamvis non praetereundum esse credamus, quod b. de Baptismo dicat Augustinus: Jam satis, inquit, ostendimus ad Baptismum, qui verbis evangelicis consecratur. non pertinere cujusquam dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu s. aliter sentiat, quam doctrina coelestis insinuat" [1]. — Jam:

1°. Imprimis ex ipso epistolae tenore conficitur, pontificem, etsi ex officio responderit, nihil definivisse. Certo certius nihil definivit de Baptismi forma, quam si revera attigit, incidenter tantum tetigit. Neque verbis pontificis nova autoritas accessit, ex eo quod recepta sunt in *Decretum Gratiani*, nam collectio illa qua talis publicam auctoritatem numquam habuit. — Hoc praestituto:

2°. Duplex datur responsio probabilis. Alii [2], aestimantes pontificem revera de forma Baptismi agere, dicunt, eum verbis obscurioribus b. Ambrosii deceptum, in errorem incidisse. — Alii [3] autumant, pontificem formam Baptismi ne incidenter quidem tetigisse, sed dixisse: si judaeus ille revera baptizare voluit in nomine ss. Trinitatis aut in nomine Jesu, i. e. *si habuit necessariam intentionem*, constat non esse denuo baptizandum. Sed circa hujusmodi judaeum dubitari potest, utrum ritum cum debita intentione, an forte per modum superstitionis aut sortilegii peregerit. Hinc debetis inquirere, num christia-

[1] C. 104; cfr. LABBE, *Coll. conc.* VIII, p. 548. — [2] Ita v. g. M. Cano, Bellarminus, Bened. XIV, apud HEINER, *Opera inedita*, p. 200, Billuart, Hergenröther (*Antijanus*, p. 55), Oswald, De Smet (o. c. n° 231). — [3] Ita Pesch, Sasse, Billot, Mannens.

nus fuerit vel saltem in religionem christianam inclinaverit; tunc enim legitimam intentionem praesumere poteritis. Ceterum solus error in fide, vel circa ipsam Trinitatem, Baptismum non reddit invalidum. — Sane si pontifex inquisitionem circa formam prolatam consulere voluisset, potius dixisset: debetis rogare testes, quid judaeus dixerit. Et notatu dignum est, Nicolaum in eodem decreto ad quaestionem, num rebaptizandi essent qui a graeco quodam, pseudopresbytero, abluti fuerant, simpliciter respondisse: „si nomine summae ac individuae Trinitatis baptizati fuere" non sunt rebaptizandi [1].

S. BERNARDUS, interrogatus de Baptismo in casu necessitatis a laico collato cum forma: „Baptizo te in nomine Dei et sanctae ac verae crucis", respondit: „Sine praejudicio sanius sapientis, ego vere hunc baptizatum puto, nec sonum vocis veritati fidei et pietati intentionis praejudicare potuisse. .... Legimus enim in Act. apost. non modo in nomine P. et F. et S. s., verum et in nomine domini J. C. aliquos baptizatos" [2]. 190

Supposita genuinitate epistolae, de qua nonnulli propter solam doctrinam contentam dubitarunt, dicendum est, s. doctorem privatam opinionem exprimendo modum excessisse. Quod autem hac in re non loquebatur ut testis traditionis, ex ipsis verbis patet.

CAPUT II.

De Baptismi effectibus et necessitate [3].

Art. I.

DE BAPTISMI EFFECTIBUS.

Protestantes effectum Baptismi valde minuunt, nec enim impressionem characteris admittunt, nec Baptismum ut veram causam instrumentalem regenerationis agnoscunt [4]. 191

[1] Cap. 15; LABBE, l. c. p. 523. — [2] Ep. 403, MIGNE, 182. — [3] Cfr. *S. Th.* III, 69. — [4] *Cat. heidelb. Qu. 72:* „Is dan het uiterlijk waterbad de afwassching der zonde

Ab alia parte conc. trid. proscribere debuit plures assertiones haereticorum saec. XVI, qui effectum Baptismi suo modo exaggerabant. Siquidem anathemate plectuntur dicentes: **a.** „baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere quantumcumque peccet, nisi nolit credere"; **b.** „baptizatos solius fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae"; **c.** „baptizatos liberos esse ab omnibus s. ecclesiae praeceptis"; **d.** „vota omnia, quae post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factae, irrita esse"; **e.** „peccata omnia, quae post Baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti Baptismi vel dimitti vel venialia fieri" [1]. — Quae omnia aut obsoleta sunt, aut speciali refutatione non indigent, aut alibi aptius refelluntur. Unum, etsi proprie hujus loci non sit, omittere nolo, n.p. protestantes generatim, et in specie nostrates, etsi meritum bonorum operum non agnoscant, minime docere baptizatos ab implenda lege Dei liberos esse [2].

Quum de effectu secundario, n.p. *charactere*, supra actum sit [3], hoc loco de solo effectu primario, qui nomine gratiae comprehendi solet, ex professo dicemus.

192 *Doctrinam catholicam* habes in *Decreto ad Armenos"* [4], et praesertim in *conc. trid.*: „Si quis per J. C. d. n. gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat,

zelve? — Neen, want alleen het bloed van J. C. en de h. Geest reinigt ons van alle zonden. *Qu. 73:* Waarom noemt dan de h. Geest den doop het bad der wedergeboorte en de afwassching der zonden? — God spreekt alzoo niet zonder groote oorzaak, n.l.... omdat hij ons door dit goddelijk pand en waarteeken wil verzekeren, dat wij zoo waarachtig van onze zonden geestelijk gewasschen zijn, als wij uitwendig met water gewasschen worden." — Dr. BAVINCK: „De doop kan niet anders dan de weldaden, die door het geloof ontvangen zijn, beteekenen en verzegelen en daardoor het geloof versterken" (*Gereef. Dogmatiek*, IV, p. 271).

[1] Sess. 7, *de Bapt.* can. 6—10. — [2] Cfr. *Cat. heidelb.*, q. 86 seq. — [3] N⁰ 79 seq. — [4] DENZ. 696.

aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, a.s. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, qui innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem haec s. Synodus fatetur et sentit, quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per C. J. gratiam repugnantibus, non valet"[1].

Incisum „ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur" directe respicit errorem Lutheri, fomitem peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, remorari animam ab ingressu coeli [2]; nihilominus omnino supponit et includit remissionem totius poenae temporalis, quae ceteroquin alibi a concilio aperte edicitur [3].

PROP. 1. **Effectus Baptismi est regeneratio spiritualis, seu nativitas hominis ad vitam supernaturalem, comprehendens infusionem gratiae sanctificantis primae, cum plena remissione omnis peccati et totius poenae.** — *De fide* est ex conc. trid. l. c. 193

Pars *prima*, n. p. hominem per Baptismum *iterum nasci*, et quidem spiritualiter, seu ad *vitam supernaturalem*, probatur:

1°. Ex *s. Scriptura*. — „Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.... Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex Spiritu spiritus est"[4]. Ultima verba explicant, quaenam vita per novam nativitatem acquiratur: qui natus est ex carne caro est, i. e. non habet nisi vitam naturalem, qui vero per aquam iterum nascitur ex Spiritu, spiritus est, i. e. habet vitam spiritualem seu supernaturalem, per quam participare potest de regno

[1] *Sess.* 5 can. 5; cfr. *Sess.* 6 *de justif.* cap. 7. — [2] Cfr. DENZ. 743. — [3] *Sess.* 6, *de justif.* cap. 14. — [4] *Jo.* 3, 3—6.

Dei supernaturali. — „Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s., quem effudit in nos abunde per J. C. salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae" [1]. — Huc etiam pertinet illud: „Quicumque baptizati estis, Christum induistis" [2]; nam Christum induere nihil aliud est, quam recipere ea dona, quibus incepimus vivere secundum Christum.

2⁰. Ex *Traditione.* — TERTULLIANUS: „Nos pisciculi secundum *ἰχθύν* nostrum J. C. in aqua nascimur. Ita restituitur homo Deo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat [Adae]. Recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum" [3]. Textus ss. Cyrilli, Chrysost., Leonis vide supra [4].

Pars *secunda,* regenerationem spiritualem importare *infusionem gratiae sanctificantis primae,* aequivalenter continetur in praedictis; constat enim ex tract. *de Gratia* causam formalem vitae supernaturalis in homine esse gratiam sanctificantem. Constat adhuc gratiae sanctificanti semper conjungi virtutes et dona Spiritus s. [5].

194 Pars *tertia,* scil. regenerationem importare *remissionem omnis peccati,* originalis et personalis, mortalis et venialis, probatur:

[1] *Tit.* 3, 3—7. — [2] *Gal.* 3, 27; cfr. *Rom.* 6, 4. — [3] *De bapt.* c. 1 et 5. — Huc etiam pertinet, quod in inscriptione saec. IV vel V, Augustoduni inventa, christiani dicantur: „genus divinum coelestis Piscis": *ἰχθύος ο[ὐρανιου θε]ῖον γένος. Kirchenlex.* 1, p. 1735. — [4] N⁰ 49. — [5] Saec. XII et deinceps nonnulli theologi, non satis distinguentes inter habitum et actum putarunt *infantibus* in Baptismo peccatum quidem remitti, sed non infundi gratiam et virtutes (cfr. Innoc. III, *Decret.* l. III, t. 42, c. 3; *S. Th.* III, 69, 6). Doctrina contraria, quam *conc. vienn.* (DENZ. 483) ut probabiliorem et traditioni magis consonam eligendam duxit, post conc. trid. saltem certa est. Cfr. VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol.* II, p. 289 et 319.

1°. Ex *s. Scriptura*. — „Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum" [1]. — „Baptizare et ablue peccata tua" [2]. — „Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et haec quidem fuistis, sed abluti estis" [3], cet. — „Mundans eam [ecclesiam] lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata" [4].

2°. Ex *Traditione*. — S. GREG. NYSS.: „Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis et generationis causa" [5]. — S. AUGUSTINUS laudat Baptisma, „quod contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur; et tamen activa quoque peccata quaecumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit." Et mox Baptismum vocat „magnam indulgentiam, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus, et ingeneratus et additus" [6].

Pars *quarta*. n.p. regenerationem includere *remissionem* 195
totius poenae temporalis (nam remissio poenae aeternae speciali mentione non indiget):

1°. In *Scriptura* saltem insinuatur. Quum enim Baptismus dicatur *mors et sepultura* veteris hominis [7], *renovatio* et *regeneratio*, lavacrum nullam *„maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi"* relinquens, satis significatur, baptizatum ita accipere vitam gratiae, ut nihil omnino de peccato remaneat.

2°. Ex *Traditione* probatur. — *Ep. s. Barnabae* tributa de christianis dicit: „Accepta remissione peccatorum, et spe ha-

---

[1] *Act.* 2, 38. — [2] *Act.* 22, 16. — [3] *I Cor.* 6, 9—11; cfr. *Rom.* 6, 4, 7—11; 8, 1. — [4] *Eph.* 5, 26—27. — [5] *Or. in s. bapt.* — [6] *Enchir.* c. 17, n° 64. — [7] Cfr. *Rom.* 6, 4; *Col.* 2, 12.

bita in nomen Domini, facti sumus novi, iterum ab integro creati" [1]. — S. CHRYSOSTOMUS: Baptismus „non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat, sed ita id praestat, ac si denuo geniti essemus. Etenim nos denuo creat et format. Non enim vas simpliciter abstergit, sed totum conflat denuo. Nam quae absterguntur, etiamsi accurate mundentur, qualitatis vestigia et sordium reliquias retinent; quae vero in conflatorio immittuntur et a flamma renovantur, omnem deponentia maculam, ex camino educta, eundem, quem prorsus nova, splendorem emittunt. Quemadmodum si quis auream statuam, tempore, fumo, pulvere, rubigine foedatam denuo conflaverit, sic et naturam nostram Deus, peccati rubigine foedatam, multoque affectam delictorum fumo, denuo conflavit, et in aquas ceu in conflatorium injiciens et pro igne Spiritus gratiam immittens, hinc renovatos cum solaribus radiis splendore decertantes educit" [2]. — S. AUGUSTINUS: „Si continuo consequatur [post Baptismum] ab hac vita migratio, non erit omnino quod hominem obnoxium teneat, solutis omnibus quae tenebant. Nihil habet remorae, quominus ad regna coelorum mox migret" [3].

196 **Scholion 1.** *Quaenam sit gratia sacramentalis Baptismi.* — Quaeres, qua ratione in effectu Baptismi verificetur distinctio gratiae sanctificantis et sacramentalis [4]? Jam ad *gratiam sanctificantem* referendae sunt tum remissio maculae seu culpae mortalis (simul cum poena aeterna), tum sanctificatio hominis proprie dicta, per quam redditur filius Dei adoptivus; nam haec duo sunt effectus formales gratiae sanctificantis qua talis. Contra remissio omnis culpae venialis et totius poenae temporalis, quae infusionem gratiae sanctificantis haud necessario comitantur, habent rationem *gratiae sacramentalis*. Praeterea ad gratiam sacramentalem pertinent *auxilia actualia*, quibus baptizati per totam vitam suam adjuvantur ad vota Baptismi

[1] C. 16, 8. — [2] *Cat. 1 ad illumin.* n[3] 3. — [3] *De pecc. mer. et remiss.* l. II, c. 28, n[0] 46. — [4] Cfr. n[0] **64** seq.

implenda. Sed haec res diversimode intellegi potest. Multi cum Suarez [1] putant, baptizatis dari auxilia *abundantiora*, quam iis qui vitam supernaturalem per accidens sine Baptismo accipiunt. Sed quum major illa auxiliorum abundantia potius praesumitur quam probatur, melius forte diceretur, *omnes gratias actuales, quae in baptizatis primam gratiam habitualem de facto consequuntur*, sive abundantiores sint sive non, inter effectus sacramenti computandas esse. Sane, quum ipsa prima gratiae habitualis infusio per se ad Baptismum spectet, omnia ejus consectaria eodem jure ad Baptismum videntur referenda. Nec obstat quod ii, qui per accidens sine sacramento justificantur, hujusmodi auxiliis non carebunt. Nihil enim impedit, eum, qui fructum praecipuum sacramenti sine sacramento assecutus est, etiam fructus accessorios sine sacramento obtinere.

Scholion 2. *De poenalitatibus remanentibus.* — Quotidiana **197** experientia constat, *concupiscentiam, mortem*, vitae *calamitates* etiam in baptizatis remanere. Qua in re duo consideranda, n. p. primo: hos defectus, etsi de facto in poenam primi peccati inducti sint, reapse causari ex principiis naturae humanae sibi relictae, i. e. donis praeternaturalibus destitutae [2]; secundo: ordinem reparationis a Deo libere electum habere, ut dona supernaturalia per peccatum amissa nobis jam in hac vita ex meritis Christi restituantur, non vero praeternaturalis nobilitatio naturae, protoparentibus quondam concessa [3].

Nihilominus praedictae infirmitates pro baptizatis non amplius habent rationem poenae, sed defectus naturalis tantum; hinc mutato aliquatenus nomine *poenalitates* vocari solent.

Nec desunt *rationes convenientiae*, quare Deus eas relin-

---

[1] „Probabile est, ratione hujus sacramenti dari aliqua auxilia actualia majora, quam ipsi gratiae (sanctificanti) per se debeantur" (*De Sacr.* disp. 26, s. 2). Provocant etiam ad s. THOMAM, *S. Th.*, III, **69**, 5 ad 2 et 3. — [2] Cfr. tract. *de Deo creat.* n° **198** seq. et n° **265** seq. — [3] Cfr. tract. *de Deo redempt.* n° **153**.

quere voluit, n.p. **a.** ut Christo capiti nostro, qui corpus passibile et mortale habuit, conformemur; **b.** ut exercendarum virtutum et augendae gloriae nostrae occasiones habeamus; **c.** ut pura intentione, et non propter praesentis vitae commoda, Baptismum petamus [1]. — Ceterum „poenalitates praesentis vitae virtute Baptismi auferentur a justis in resurrectione"[2].

198 **Scholion 3.** *Quid character baptismalis efficiat.* — Ex Scriptura et traditione constat, homines per Baptismum *aggregari ecclesiae* [3], unde Baptismus janua ecclesiae vocari consuevit. Quamvis autem nemo sit membrum vivum et perfectum ecclesiae nisi gratiam sanctificantem acceperit[4], proprie dicta aggregatio ad ecclesiam, qua quis fit membrum simpliciter, non pertinet ad gratiam sed ad characterem, quo homo incipit participare de sacerdotio Christi late dicto, et ita deputatur ad cultum Dei secundum ritum a Christo institutum, i. e. secundum ritum ecclesiae catholicae, et imprimis ad reliqua sacramenta valide suscipienda [5].

Porro ex eo, quod character, qui in omni Baptismo valide collato imprimitur et indelebiliter permanet, est causa aggregans ecclesiae, sequitur:

199 1°. Etiam eos, *qui apud haereticos aut schismaticos baptizantur, fieri membra ecclesiae* catholicae, aut actu (infantes), aut saltem jure et debito (adulti). Dico: „saltem *jure et debito*," etsi enim haeresis aut schisma aliquem actu sejungere possint ab ecclesia, non possunt auferre ipsum characterem, ontologicam consecrationem hominis ad religionem Christi, vi cujus ille irrevocabiliter obligatus exsistit ad professionem et communionem catholicam [6].

---

[1] Cfr. *S. Th.* **69**, 3. — [2] L. c. — [3] *Mt.* **28**, 19: „*μαθητεύσατε..... βαπτίζοντες* = discipulos facite baptizando; *Act.* **2**, 41; *I Cor.* **12**, 13; cfr. tract. *de Eccles.* n° **151**. — [4] Cfr. *de Eccles.* n° **74**. — [5] Cfr. supra n° **87**, **89**. — [6] Cfr. de his tract. *de Eccles.* n° **151** seq.

Dices: suavis Dei providentia non patitur, ut homo ratione utens citra suam voluntatem ad cultum catholicum deputetur; atqui adultus, qui sectae adhaerendo baptizatur, hujusmodi deputationem nullo modo vult.

Major concedendus est; minor negandus. Nemo valide baptizatur, nisi intentionem habeat recipiendi sacramentum Christi; atqui sacramentum Christi natura sua importat characterem consecrantem ad cultum catholicum. Igitur quicumque vult suscipere sacramentum Christi, eo ipso acceptat deputationem ad cultum christianum, qui reapse non est alius quam cultus catholicus. — Nihilominus qui inter haereticos baptizantur simul ostendunt, se nolle aggregationem ad catholicam, quum sectae adhaereant! Distinguendi sunt casus. Qui bona fide haereticis jungitur, revera vult aggregari ad veram Christi ecclesiam, et ita nulla est difficultas. Si vero ageretur de haeretico formali, observa, aliud esse: velle recipere in animam characterem deputantem ad catholicam, aliud: velle actu adhaerere catholicae. Haereticus formalis Baptismum suscipiens hoc nolet, illud ut plurimum simpliciter volet, et ita jure debitoque pertinebit ad ecclesiam. Quodsi quis reapse ipsam receptionem characteris, ad catholicam deputantis, absolute et efficaciter excluderet, Baptismum invalide reciperet, defectu intentionis requisitae [1].

Constat itaque quemlibet extra ecclesiam baptizatum, saltem de jure pertinere ad catholicam, unde quamprimum veram Christi ecclesiam cognovit, sese ei actu aggregare in conscientia tenetur.

2⁰. Sequitur, *omnem hominem, qui Baptisma sciens et* **200**
volens suscepit, subjacere jurisdictioni ecclesiae, unde etiam haeretici et schismatici in tantum legibus ecclesiasticis subsunt, in quantum pastores ecclesiae eos ligare intendunt. Manifestum autum est, bonam fidem a peccato formali legis violatae excusare. — Ceterum observa, veram causam inductivam

[1] Cfr. supra n⁰ 112.

obligationis ad vitam catholicam ducendam non esse decretum hominis Baptisma suscipiendi, sed ipsum Baptismum susceptum seu accuratius characterem a Deo in Baptismate impressum, uti statim ex professo dicemus. Voluntas sacramentum suscipiendi non fuit nisi conditio, sine qua Baptismus et character non fuissent; non quasi Deus eum adulto non-volenti imprimere non posset, sed quia cum magna reverentia de homine disponit.

200a 3°. Sequitur, etiam *eos, qui in infantia baptizati sunt,* cum adoleverint, *absque ulteriori ratihabitione, legibus Christi et ecclesiae subesse,* proinde (secluso utique casu ignorantiae invincibilis) peccare, si ea non observant, et consequenter corrigi posse omnibus poenis, quas ecclesia infligere jus habet [1].

Supposita validitate paedobaptismi, assertum huc redit: hujusmodi homines per characterem baptismalem ecclesiae aggregati exsistunt, et quum character iis indelebiliter insit, jurisdictioni ecclesiasticae irrevocabiliter subsunt. Possunt subjectionem suam invincibiliter ignorare, et bona fide extra ecclesiam vagari, sed quamprimum factum Baptismi sui et veritatem ecclesiae catholicae cognoverunt, vi solius Baptismi et absque propriae voluntatis consensu, formaliter obligantur ad observantiam mandatorum Christi et ecclesiae [2].

[1] Cfr. *Conc. trid., Sess. 7, de Bapt.* can. 14: „S. q. d., parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderint suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, a. s." — Canon statutus est contra Erasmum. — [2] Aliud est *legi subesse: materialiter, objective, in actu primo* lege obligari, aliud *formaliter, subjective, in actu secundo,* i. e. sub peccato *formali,* ad observantiam ejusdem legis teneri. Nemo formaliter obligatur, nisi legem *cognoscat,* et idem est utrum exsistentiam legis an propriam subjectionem ad eam ignoret. At ignorantia, utut invincibilis, subditum non eximit a lege, non aufert obli-

Obligatio non satis explicatur ex eo, quod hujusmodi homines, si infantes baptizati non essent, adhuc obligarentur Baptismum suscipere et ecclesiam ingredi; nam aliud est lege divina teneri ad amplectendam veram religionem, aliud hujus religionis legibus jam obstringi. Judaeus, qui veritatem ecclesiae cognovit, peccat si eam non ingreditur, sed interim non peccat leges ecclesiasticas negligendo, quia iis nondum subest.

Iterum non satis explicatur ex promissione nomine infantis a patrinis facta, nam si infans insciis parentibus, nullo patrino adhibito, baptizatus esset a ministro haeretico, igitur absque omni promissione, adhuc ad vitam catholicam obligatus exsisteret.

Sed res optime explicatur ex charactere baptismali, nam hunc characterem imprimendo ipse Deus, cui omnis voluntas subest, irrevocabiliter deputavit et consecravit infantem ad religionem catholicam. Nec obstat, quod hac ratione homo oneratur obligationibus, quas ipse non suscepit; ac si consensus voluntatis necessarium praesuppositum verae obligationis esset. Minime; dantur quidem obligationes, quae liberum hominis consensum supponunt, n.p. eae quae ex contractu oriuntur, aut consequuntur statum vel officium libere electum, sed plurimae aliae sola lege, i. e. voluntate superioris imponuntur. Nonne absque omni consensu praevio teneor ad colendum Deum, ad justitiam sectandam, ad leges patriae servandas?

PROP. 2. **Baptismus cum obice susceptus, sublato obice, reviviscit** [1]. — Certum est. 201

gationem objectivam et materialem, vi cujus actus legi contrarius est objective malus, et ubi agitur de lege irritante, invalidus. Catholicus legem consanguinitatis inculpabiliter ignorans, non peccat ducendo consanguineam in tertio gradu, sed nihilominus invalide contrahit; non-baptizatus in eodem casu valide nuberet. Nihil prohibet invitare non-baptizatum ad manducandas carnes in die abstinentiae, sed peccarem si ad eamdem rem inducerem catholicum, legem abstinentiae pro tali die inculpabiliter ignorantem.

[1] Cfr. *S. Th.* 69, 10.

Prop. *probatur.* 1°. Ex *Traditione*, imprimis ex s. Augustino contra donatistas docente: Baptismum in haeresi vel schismate, aut generatim ficte susceptum, post resipiscentiam „incipere prodesse ad salutem," „valere ad salutem," „ad dimittenda peccata," cet. Sufficiat effatum generale: „Ipse [Deus] sanctificat sacramentum suum, ut homini sive antequam baptizatur, sive cum baptizatur, sive *postea quandoque ad se veraciter converso*, idipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem, nisi converteretur, valeret" [1].

2°. *Ratione theologica.* Duo constant; primo: eos, qui Baptismum ficte susceperunt, justificari adhuc posse; secundo: peccatum originale et peccata ante Baptismum commissa post evangelium promulgatum non posse remitti nisi per Baptismum re aut voto susceptum. Atqui remissio per novum Baptismum, proinde etiam per votum novi Baptismi, penitus excluditur, quia Baptismus iterari nequit. Restat igitur, ut remoto obice remittantur virtute Baptismi antea suscepti, a. v. ut Baptisma reviviscere possit.

Corollarium. Quando obex, qui affluxum gratiae baptismalis cohibuerat, removetur per *sacramentum poenitentiae*, duo sacramenta eodem tempore simul operantur, et utrumque proprium effectum habet, non secus ac si diversis momentis vim suam exercerent. Poenitentia aufert peccata post Baptismum commissa, quibus et ipse obex formalis Baptismi qua talis annumerandus est; Baptismus tollit peccatum originale et peccata ante Baptismum commissa. Inferes, ad ipsius Baptismi effectum poenitentiam concurrere tamquam causa per accidens, n.p. ut removens obstaculum [2].

202 **Scholion.** *De reviviscentia Baptismi, quantum ad remissionem poenae temporalis.* — Nulla datur ratio reviviscentiam Baptismi ad solum effectum praecipuum, infusionem gratiae

[1] *De bapt.* VI, **25**, 47; cfr. I, **12**, 18; III, **13**, 18; IV, **5**, 7. — [2] *S. Th.* l. c. ad 2.

sanctificantis, restringendi; contra omnino praesumendum est, justificationem, quae fit virtute Baptismi, semper esse veram regenerationem, plenam totius reatus remissionem includentem.

Hinc autem infertur, dari etiam reviviscentiam partialem seu *quoad solos effectus accessorios*. Pone adultum baptizari simpliciter quidem dispositum, sed ita ut nonnulla venialia ei ne virtualiter quidem displiceant: habet obicem secundum quid; impossibile enim est remitti, sive quoad culpam sive quoad poenam, peccata quibus voluntas adhuc adhaeret. Porro haec venialia virtute Baptismi perfecte, i. e. quoad culpam et poenam, remittentur quamprimum subjectum in statu gratiae exsistens sufficientem displicentiam de iis habuerit.

Hinc etiam explicatur, quare patres tridentini, praeeunte Augustino, absque ulla restrictione docere potuerint, nihil prorsus baptizatos ab ingressu coeli remorari [1], i. e. omnes qui, gratia baptismali accepta, et nullo postea peccato admisso, moriuntur, statim transmitti ad coelestem gloriam. Supposito enim quod baptizatus de quibusdam venialibus ante Baptismum commissis, numquam poenituerit ante mortem, certe ea detestabitur in primo momento post mortem, et ita sublato obice partiali adhuc reviviscet Baptismus ad perfectam remissionem hujusmodi peccatorum.

Art. II.

DE BAPTISMI NECESSITATE.

Praesens articulus duas quaestiones comprehendit: 1^0 qualis sit Baptismi necessitas; 2^0 num Baptismus aliqua ratione suppleri possit.

§ 1. De necessitate sacramenti Baptismi [2].

Praenotanda de necessitate medii et praecepti. **203**

1^0. *Necessitas praecepti* consistit in sola obligatione morali,

[1] Cfr. *Sess.* 5, can. 5. — [2] Cfr. *S. Th.* III, 69, 1—2.

per legem inducta. Hinc **a.** solos adultos afficit, quippe qui soli obligationis moralis capaces exsistunt; **b.** semper desinit, quamprimum habeatur causa excusans a peccato formali: ignorantia inculpabilis aut impotentia. Igitur in necessariis necessitate praecepti tantum, sola omissio graviter culpabilis salutem impedit, numquam vero omissio inculpabilis.

2⁰. *Necessitas medii* habetur ex eo, quod res (praecisa etiam obligatione morali) est causa positive conducens ad salutem ita, ut sine ea salus obtineri nequeat. Hinc: **a.** absentia rei necessariae necessitate medii etiam infantes impedire potest; **b.** assecutio salutis nemini fit possibilis ex eo tantum, quod absque sua culpa prohibeatur ab usu illius, quod est necessarium necessitate medii.

Necessitas medii alia est intrinseca, alia extrinseca.

Intrinseca, si res *ex natura sua* ita confert ad finem, ut sine illa finis obtineri nequeat; et haec necessitas est *absoluta*, ita ut (manente eodem ordine rerum) numquam possit alia ratione suppleri.

Extrinseca, si res non natura sua, sed tantum *ex positiva ordinatione Dei* exsistit medium necessarium ad salutem. Haec necessitas per se non est absoluta, quia voluntas Dei habere potest, ut qui ignorantia vel impotentia ab usu medii per se praescripti impediantur, per modum exceptionis aliis mediis ad salutem pervenire queant. Quod si reapse contingit, medium per se statutum, et communiter requisitum, vocatur necessarium necessitate medii *relative* aut *hypothetice*, et de facte habet rationem *unici medii ordinarii*. Igitur in casu necessitatis medii relativae, finis absque illo medio adhuc obtineri potest, si duo concurrant, n.p. impotentia utendi medio ordinario, et applicatio alterius medii pro hujusmodi adjunctis relicti.

Facile intelleges, illud quod ad salutem requiritur necessitate medii, etiam necessarium esse necessitate praecepti, sive positivi sive connaturalis; nam qui obligat ad finem, eo ipso obligat ad media necessaria.

Errores. 1°. *Pelagiani*, non admittendo peccatum originale, 204
pueros in remissionem alicujus peccati baptizandos esse negabant. Docebant, Baptismum necessarium esse ad regnum coelorum ingrediendum, non vero ad vitam aeternam consequendam.

2°. *Protestantes* universi negant, Baptismum *adultis* esse medium necessarium ad salutem; Baptismus enim nihil aliud est quam sigillum declaratorium et confirmatorium remissionis, regenerationis et incorporationis in ecclesiam Christi, jam antea per fidem acceptarum [1]. Remanet igitur sola utilitas et necessitas praecepti.

Pro *infantibus Lutherani*, quum doceant eos per Baptismum aut saltem in Baptismo regenerari, necessitatem medii agnoscunt, saltem pro adjunctis ordinariis, nam plures addunt in casu necessitatis liberos christianorum per peculiarem dispensationem divinam salvari. — *Calvinistae* necessitatem medii ad regenerationem et salutem etiam pro infantibus omnino negant. Docent de filiis fidelium, eo ipso quod ex parentibus christianis nascuntur, judicio charitatis praesumendum esse, quod ad foedus gratiae pertineant, et regenerationem una cum germine seu habitu fidei a Spiritu s. receperint. Hinc Baptismus iis dari potest et debet, tum quia ut membra praesumpta foederis jus habent, ut sacramentum Christi iis non subtrahatur, tum quia Spiritus s., qui inconscios regenerare et potentia credendi donare potuit, iisdem inconsciis potentiam credendi augere potest [2]. — *Baptistae* infantes valide baptizari posse negant.

---

[1] Dr. BAVINCK: „Er is geen enkele genade die niet door het woord en alleen door het sacrament wordt uitgedeeld.... De doopgenade bestaat en kan nergens anders in bestaan dan in declaratio en confirmatio" (*Geref. Dogmatiek*, IV, p. 278, cfr. p. 292). — [2] BAVINCK: „Ook voor kinderen gaat deze regel door. Want gelijk zij onbewust door den h. Geest wedergeboren en met het geloofsvermogen begiftigd kunnen worden, zoo kunnen zij ook door dienzelfden h. Geest bui-

3⁰. *Modernistae* necessitatem Baptismi ex sola lege ecclesiastica repetunt et usum baptizandi infantes vocant evolutionem disciplinarem, quae fuisset una ex causis ut sacramentum resolveretur in duo, Baptismum scil. et Poenitentiam [1].

205 PROP. **Sacramentum Baptismi omnibus, tam parvulis quam adultis, necessarium est ad salutem, necessitate medii relativa.**

Agi de necessitate medii *extrinseca*, per se patet; intellegendam esse necessitatem non absolutam, sed *relativam*, infra ex professo ostendetur, et hoc loco ideo tantum additur, ut sciatur sufficere argumenta, quae probent necessitatem saltem relativam.

Prop., intellecta de necessitate relativa et post evangelium satis promulgatum, constat ex conc. trid.: „Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei..., post evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei" [2]. In hoc textu manifeste indicatur necessitas *medii*.

206 *Probatur*. 1⁰. Ex *s. Scriptura:* „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne caro est; quod natum est ex Spiritu spiritus est" [3]. Parum refert, utrum „regnum coelorum" primario intellexeris de regno Dei inchoato in terris (ecclesia), an de regno consummato in coelis, nam sensus totalis semper

ten hun weten in dat geloofsvermogen versterkt worden" (L. c. p. 292). Attamen protestantes liberaliores hanc confortationem potentiae credendi non videntur admittere; cfr. e. g. DOEDES, *Leer der Zaligheid*, p. 342; Dr. P. L. MULLER, *Handboek d. Dogmatiek*, p. 253.

[1] Cfr. Decr. *Lamentabili*, prop. 42 et 43. — [2] *Sess.* 7, *de Bapt.* can. 5; *Sess.* 6, cap. 4; cfr. *Sess.* 5, can 4. — [3] *Jo* 3, 5—6.

est: nemo primum jure, deinde re coelestem gloriam possidebit, nisi, cet. Assignari verum medium, et quidem medium universis necessarium saltem per se, ostendit ratio addita: qui baptizatus non est, non habet vitam supernaturalem, proinde caret conditione intrinsece necessaria ad salutem. Dixi: „universis necessarium *saltem per se*"; dummodo enim aliunde probetur, vitam supernaturalem per accidens adhuc obtineri posse sine lavacro aquae, textus facile patitur hunc sensum: Baptismus est unicum medium ordinarium, unicum medium per se conducens ad gloriam coelestem.

2⁰. Ex *Traditione*. — TERTULLIANUS: „Praescribitur nemini sine Baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Nisi natus quis ex aqua fuerit non habet vitam" [1]. — ORIGENES: „Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum ablui deberent" [2]. — S. AMBROSIUS, exponens verba Domini „Nisi quis", cet. scribit: „Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua necessitate praeventum" [3]. — S. AUGUSTINUS: „Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam praedicationem venit et totam condemnat ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse" [4]. — Ceterum antiquissimae ecclesiae tam alte persuasum erat de necessitate Baptismi, ut Hermas [5] putarit, ipsos justos V. T. in limbo baptizatos esse, ut ad regnum Dei intrare possent!

Scholion. *Quandonam necessitas Baptismi inceperit.* — 207

[1] *De Bapt.* 12. — [2] *In Ep. ad Rom.* l. V, n⁰ 9. — [3] *De Abraham*, l. II, c. 11. — [4] *Ep. 166 ad Hieron.* n⁰ 21. — [5] *Past.* Sim. 9, c. 16.

Responsum generale in promptu est, et habetur ex ipso Tridentino: prima justificatio *„post evangelium promulgatum"* sine Baptismo aut ejus voto fieri nequit [1]. Jam solemnis promulgatio legis evangelicae facta est in die pentecostes, unde ex tunc Baptisma coepit esse medium necessarium pro quibusdam; non tamen, ut omnino videtur, pro omnibus ubique terrarum, nam promulgatio Jerosolymis facta non valuit ligare gentes, antequam apud ipsas sufficienter diffundi et intimari potuerat. Itaque sententia valde communis habet, necessitatem Baptismi pro diversis gentibus diversis temporibus incepisse. Porro ad quaestionem, quandonam evangelium satis promulgatum fuerit *pro toto orbe,* ita ut, remedio naturae penitus abrogato, lex Baptismi universaliter obligare coeperit, diversimodo respondetur.

Sententia *communior* cum Suarez [2] tenet, hujusmodi promulgationem saltem jam a multis saeculis factam esse; quinimo juxta multos jam ante finem saeculi primi perfecta erat.

Nonnulli [3] tamen opinantur, forte etiamnum dari tribus quibus evangelium non satis promulgatum est, quae proinde circa media salutis adhuc versantur in eadem conditione, in qua erant universae gentes ante Christi adventum. Quinimo insinuant, etiam infideles negativos degentes in regionibus, ubi evangelium certo certius promulgatum est, parvulis suis adhuc opitulari posse per sacramentum legis naturae. Provocant ad s. BERNARDUM: „Ex eo tempore tantum cuique coepit antiqua observatio non valere, et non baptizatus quisque novi praecepti reus exsistere, ex quo praeceptum ipsum inexcusabiliter ad ejus potuit pervenire notitiam" [4].

Magisterium ecclesiasticum opiniones benigniores numquam proscripsit; at qui promulgationem non solum apud singulas

---

[1] *Sess.* 6, cap. 4. — [2] *De legib.* l. X, c. 4. — [3] PERRONE, *De bapt.* n° 135; ANT. FISCHER, *De salute infidelium* (1886) p. 57; E. DUBLANCHY, *De axiomate: Extra ecclesiam non est salus* (1895), p. 203; TANQUEREY, *De bapt.* n° 39. — [4] *Tract. de Bapt.* (Ep. 177 ad Hugonem) c. 2, n° 6.

gentes, sed etiam ad singula individua requirunt, non satis distinguere videntur inter promulgationem sufficientem et actualem notitiam singulorum.

§ 2. De iis, quae vicem sacramenti supplere possunt.

Docendo primam justificationem „sine lavacro regeneratio- 208
nis *aut ejus voto*" fieri non posse, conc. trid. aperte profitetur, necessitatem Baptismi non esse absolutam. Porro doctrina catholica habet, duplici via extraordinaria effectum praecipuum Baptismi, n.p. gratiam justificationis et salutem aeternam obtineri posse sine lavacro aquae, scil:

1⁰. per *actum perfectae charitatis cum voto Baptismi*, et

2⁰. per *martyrium*.

Quum autem ea, quae alicujus rei vicem supplere possunt, aliquo modo ad genus hujus rei reducantur, et ita sub uno nomine quasi-generico cum illa comprehendi queant, non inconvenienter factum est, ut tum perfecta charitas cum voto Baptismi, tum martyrium „baptismi" nomen acceperint. Et hac ratione tria baptismata numerari solent: *Baptismus fluminis* seu aquae, qui solus sacramentum est; *baptismus flaminis* i. e. Spiritus s., et *baptismus sanguinis* seu martyrium, qui quantum ad nonnullos effectus locum sacramenti supplent [1].

PROP. 1. **Baptismus flaminis supplet vices Baptismi** 209
fluminis.

Certum est ex conc. trid., quod hanc doctrinam aperte supponit, necnon ex damnatione prop. Baji: „Charitas per-

[1] Tres baptismos: *aquae*, *Spiritus* et *sanguinis* jam distinguebat auctor libri *De Rebaptismate*, coaevus s. Cypriani. Nomen *baptismus flaminis*, seu Spiritus, desumptum videtur ex *Mt.* 3, 11. „Ipse vos baptizabit in Spiritu s. et igni", i. e. igne seu charitate Spiritus s. Nomen *baptismus sanguinis* desumptum est ex *Mc.* 10, 38: „Potestis... baptismo, quo ego baptizor, baptizari?"

fecta et sincera... tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum" [1].

Probatur. 1°. Ex *s. Scriptura*, ubi ipse Christus, qui certe Baptismi sui rationem habuit, absolute docet charitati perfectae infallibiliter respondere amicitiam Dei, seu gratiam sanctificantem: „Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.... Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus" [2]. Jam ab una parte nemo sincere diligit Deum, nisi sermonem Christi observet quantum potest; quum igitur sermo seu lex Christi susceptionem Baptismi exigat, nullus sciens et prudens Baptismum negligens Deum diligit. Ab alia parte, qui ita animo comparatus est, ut omnem sermonem Christi observare velit, proinde Baptismum suscipere cupit, sed hic et nunc non potest, absque dubio perfectam charitatem habere potest; quam si revera habet, non excluditur a promissione: „Qui diligit me, diligetur a Patre meo". — Efficaciam charitatis cum voto Baptismi confirmat historia Cornelii c. s., qui Deum ex toto corde suo quaerentes, Spiritum s. acceperunt antequam baptizarentur [3].

210 2°. Ex *Traditione.* — Liber *De rebaptismate*: „Atque hoc non erit dubium, in Spiritu s. homines posse sine aqua baptizari, sicut animadvertis baptizatos hos [Cornelium cum domo sua] priusquam aqua baptizarentur" [4]. — S. AMBROSIUS bene sperabat de salute Valentiniani II, qui catechumenus interfectus fuerat: „Audio vos dolere, quod non acceperit sacramenta Baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas et petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut et antequam in Italiam venisset, initiaretur, et pro-

[1] Cfr. DENZ. 1031 seq. — [2] *Jo.* **14**, 21, 23; cfr. *Lc.* **10**, 27—28; *Ezech.* **18**, 21, 27, 30—32. — [3] *Act.* **10**, 2, 44—48. — [4] C. 5.

xime baptizari se a me velle significavit... Non habet ergo gratiam quam desideravit, non habet quam poposcit? Certe, quia poposcit accepit. Et unde istud est? Justus, quacumque morte praeventus fuerit, anima ejus in requie erit. Solve igitur, Pater sancte, munus servo tuo... Qui habuit spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam" [1]. — S. AUGUSTINUS: „Invenio non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Sed tunc impletur invisibiliter, cum ministerium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit" [2].

3°. *Ratione theologica.* In praesenti ordine actus perfectae charitatis natura sua est dispositio exigens infusionem gratiae sanctificantis; non quod gratiam de condigno mereatur, sed quia, supposita voluntate Dei sanctificandi omnes homines, impossibile est, ut Deus non convertatur ad animam ipsum ex motu gratiae actualis perfecte quaerentem. Quum autem lex positiva non mutet rerum naturas, institutio Baptismi non potuit minuere vim perfectae charitatis in negotio justificationis. Igitur etiam post institutum Baptisma infusio gratiae infallibiliter sequitur actum perfectae charitatis, quoties adest. Dico: *quoties adest*, nam lex Baptismi effecit, ut in posterum nullus esset actus perfectae charitatis, quin adjunctum haberet aut includeret desiderium suscipiendi Baptisma.

Corollaria. 1°. Baptismus flaminis supplet lavacrum aquae 211
quantum ad *infusionem gratiae sanctificantis*, proinde quan-

[1] *De obitu Valent.* n° 51—52. — [2] *De Bapt.* IV, 22, 29. Negari nequit, s. doctorem postea (*Tract. 13 in Jo.* n° 7, cfr. n° 6; *De Anima*, I, 9, 10—11) baptismo flaminis minus favere sed nimium esset dicere, eum sententiam suam retractasse. Exemplum boni latronis aperte retractavit (*Retract.* I, 26; II, 18, 55); quare nihil adjecit de ipsa sententia, si eam corrigere voluisset?

tum ad remissionem peccati originalis, peccatorum mortalium et poenae aeternae; haec enim a gratia habituali separari nequeunt. At *non necessario* delet *omnem culpam venialem et omnem poenam temporalem*, quae major vel minor remanere potest, prout charitas remissior vel intensior fuerit. Deinde *non imprimit characterem*, unde subjectum non aggregat ecclesiae, quamvis eum de anima ecclesiae participare faciat. Per se patet, baptismum flaminis effectum suum producere *ex opere operantis*.

212 2°. Baptismus flaminis, quamvis essentialiter consistat in actu perfectae charitatis, saepe vocatur *votum Baptismi*, et hac ratione conc. trid. docet, justificationem sine Baptismo aut ejus voto fieri non posse. Sciendum autem est, concilium hac in re secutum esse usum loquendi scholarum, quae votum Baptismi intellegebant non nudum, sed tale, „quod procedit ex fide per dilectionem operante" [1].

213 3°. Communis sententia est, sufficere votum Baptismi *implicitum*, quod scil. contineatur in seria voluntate observandi omnia, quae Deus jusserit. Quo posito quaeres, quare desiderium Baptismi *explicite memorari* soleat, quum perfecta charitas necessario contineat votum, omnia Dei praecepta aequaliter implendi. Ratio videtur esse duplex. Primo Baptismus explicite memoratur ut significetur, in N. L. solum actum perfectae charitatis non nisi per accidens justificare, quatenus scil. Baptismus hic et nunc convenienter suscipi nondum potest. Deinde votum suscipiendi Baptismum reapse aequivalet voto observandi universam legem christianam. Quum enim Baptismus sit janua ecclesiae, ille qui baptizari desiderat, eo ipso profitetur se velle ingredi ecclesiam, ut fidem ejus teneat, cultui et sacramentis participet, legibus obtemperet.

214 4°. Saepe dicitur, baptismum flaminis supplere lavacrum aquae *in casu necessitatis*, at haec assertio non ita intelle-

[1] *S. Th.* III, 68, 2.

genda est, ac si perfecta charitas in solo periculo mortis aut saltem in sola stricta impossibilitate suscipiendi Baptismum justificaret; justificat semper quoties adest. Quum autem extra mortis periculum lex Baptismi adultum non ita stricte obliget, ut Baptismus non possit ex causis rationabilibus aliquantulum differri, nihil prohibet, quominus catechumenus, Baptismum opportuno tempore, i. e. quamprimum digne et congruenter potest, suscipere cupiens, jam antea justificetur. Quia tamen pro hujusmodi catechumeno remanet gravis obligatio data opportunitate Baptismum suscipiendi, apprime verum est, extra casum verae necessitatis neminem ad salutem aeternam pervenire sine lavacro aquae. Et ita salvatur prop. sacramentum Baptismi omnibus ad salutem necessarium est, necessitate medii relativa.

PROP. 2. **Baptismus sanguinis tum pro adultis, tum pro parvulis, supplet vices Baptismi fluminis** [1]. Certum est. 215

Martyrium definiri potest: *perpessio cruciatus mortiferi extrinsece illati, propter causam Christi.* Dicitur: „cruciatus *mortiferi*", i. e. talis, qui de se sive naturaliter mortem inducat, etiamsi mors non statim sequatur, aut per miraculum nullatenus sequeretur. „Propter *causam Christi*", i. e. vel propter personam Domini, vel propter religionem aut virtutem christianam. Haec duo constituunt martyrium *objectivum*, quod sufficit ut *infantes* et perpetuo amentes martyres dicantur. Ut vero habeatur martyrium etiam *subjectivum*, quod est actus virtutis, insuper requiritur, ut subjectum plagam mortiferam *voluntarie* (voluntate saltem habituali), proinde absque resistentia (quamtumvis licita) acceptet. Porro ubi agitur de *adultis*, solum martyrium subjectivum verum martyrem facit. Rationem internam, quare ex voluntate Dei martyrium mere objectivum parvulis prosit, adultis non prosit,

[1] *S. Th.* III, **66**, 12; **87**, 1 ad 2; cfr. II, II, **124**, et *Ned. Kath. Stemmen*, jg. 22 (Dec. 1900), n° 50—51.

habes ex iis, quae supra [1] de capacitate infantium ad sacramenta suscipienda diximus.

216 *Probatur.* 1°. Ex *s. Scriptura*, ubi Christus absolute promittit: „Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam" [2]; et: „Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam" [3].

2°. Ex *Traditione*, primo *theoretica*. TERTULLIANUS: „Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scil. Hic est Baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat, et perditum reddit" [4]. — S. CYRILLUS HIER.: „Si quis Baptisma non recipiat, salutem non habet, solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum recipiunt" [5]. — Deinde maxime traditione *practica*, qua ecclesia ab antiquissimis temporibus ss. Innocentes ut martyres coluit. Dico: „ut martyres," i. e. formaliter propter martyrium. Esto igitur multos ex innocentibus jam antea in circumcisione sanctificatos fuisse (quod tamen de omnibus haud constat, imo improbabile est), ecclesia in iis honorat coronam seu gloriam coelestem ex martyrio adeptam. Quum autem gloria coelestis respondeat gratiae sanctificanti, quam subjectum in momento mortis habuit, cultus, qualis de facto ss. Innocentibus defertur, probat fidem ecclesiae, illos infantes martyrio suo accepisse gratiam sanctificantem, sive primam sive secundam.

3°. *Ratione convenientiae.* Quum omnia sacramenta gratiam conferant in virtute passionis Christi, certe conveniens est, ut martyrium, quod est realis imitatio passionis Domini, per quam homo Christo patienti quam maxime configuratur, vim habeat applicandi merita passionis Christi.

217 *Corollaria.* 1°. Baptismus sanguinis supplet vices lavacri aquae tum quoad *infusionem gratiae sanctificantis* et effectus

[1] N° 137. — [2] *Mt.* 10, 39, cfr. 16, 28. — [3] *Luc.* 9, 24, cfr. *Jo.* 12, 25. — [4] *De bapt. c.* 16. — [5] *Cat.* 3, n° 10.

a gratia inseparabiles, tum etiam quoad *remissionem omnis culpae et poenae*, quod praesertim constat ex adagio communiter recepto: injuriam facit martyri, qui orat pro martyre [1]. Quinimo secundum s. Thomam, baptismus sanguinis praeeminentiam habet super baptismos flaminis et fluminis quantum ad rem sacramenti, quae in eo amplior conceditur [2]. At *non imprimit characterem*, unde martyr, post plagam letalem acceptam adhuc superstes, baptizari deberet.

2°. Martyrium effectus suos habet *quasi ex opere operato*. 218
Certe infantes ex opere operantis sanctificari non possunt; et nulla est ratio probabilis martyrio respectu infantium tribuendi efficaciam, quam non haberet in adultis, praesertim quia titulus privilegiorum martyrii, realis imitatio Christi patientis, multo perfectius verificatur in adultis voluntarie morientibus, quam in parvulis. Praeterea si in adultis effectus esset ex opere operantis tantum, non satis explicaretur, quare tota poena semper remittatur [3]. Dicitur autem valere „*quasi* ex opere operato," quia, etsi gratia detur ratione operis externi qua talis, ratione ipsius mortis perpessae, qua martyr Christo conformatur, martyrium active sumptum seu illatio plagae mortiferae non est medium a Christo institutum ad conferendam gratiam.

3°. *Dispositiones* quod attinet, certum est in adulto pecca- 219
tore, praeter voluntariam mortis acceptationem, requiri *attritionem;* nemo enim justificari potest, nisi voluntatem mortaliter malam retractaverit. Sed facile vides, ipsam voluntatem moriendi pro Christo, si actualis aut virtualis est, hujusmodi retractationem jam continere, unde solus casus, quo quis sui jam non compos pro Christo necaretur cum mera habituali acceptatione mortis, difficultatem faceret. Pie credi potest,

[1] Cfr. s. AUGUST., sermo 159, c. 1; *Decretal.* l. III, t. 41, c. 6. — [2] Cfr. *S. Th.* 66, 12, ad 1; *In IV Sent.* d. 4, q. 3, a. 3, qu. 4. — [3] Cfr. *In IV Sent.* l. c. qu. 3, ad 1.

suavem Dei providentiam cauturam esse, ne etiam in tali casu necessaria dispositio deficiat; at si umquam deficeret retractatio peccati, martyrium effectu suo frustraretur.

Immerito ut videtur plures theologi requirunt *charitatem perfectam*, nam si martyrium effectum habet quasi ex opere operato, sufficere debet ea dispositio, quae obicem aufert, n. p. attritio [1].

Nec in contrarium faciunt verba s. PAULI: „Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest" [2]; nam sensus ex contextu est: qui bona sua pauperibus distribuit, imo se ipsum flammis aliisve vitae periculis exponit ad subveniendum proximo, sed non est in statu gratiae, opus meritorium non habet. Ceterum si casum acceptationis mere habitualis excipias, vix aberit in martyre perfecta charitas; quamvis gradus seu intensitas multum variare potest. Verba siquidem Domini: „Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis" [3], non dicunt, martyrium necessario provenire ex summo fervore charitatis, sed non dari inter opera externa splendidius documentum amoris quam martyrium. Numquid omnes martyres intensitate charitatis b. Virgini pares fuerunt?

220 4°. Martyrium non tantum non-baptizatis, sed *omnibus* quasi ex opere operato prodest; unde hoc modo baptizatis gratiam sanctificantem aut (si in peccatis sint) restituet, aut (si justi sint) augebit. Ab alia parte efficacia praedicta non aufert nec minuit in adultis *meritum* martyrii, i. e. efficaciam ex opere operantis.

221 5°. Quaeres, quomodo doctrina de efficacia martyrii quasi ex opere operato cohaereat cum conc. trid., quod absolute

[1] S. Thomas, qui (*S. Th.* III, **66**, 12 ad 2) charitatem perfectam exigere videtur, postea (**87**, 1 ad 2) solam absentiam obicis requirit. — [2] *I Cor.* **13**, 3; cfr. CORNELY, in h. l. — [3] *Jo.* **15**, 13.

docet, primam justificationem post evangelium promulgatum sine Baptismo aut ejus voto fieri non posse? Sed facile respondetur, concilium assignare voluisse media a Deo ordinata ad justificationem, tum ordinarium n.p. Baptismum fluminis, tum extraordinarium n.p. baptismum flaminis, et ita non excludendo sed praetereundo tacuisse martyrium, quod *ex privilegio* quidem peculiari justificat, sed quum necessario supponat malitiam tyranni persequentis, nullo modo vocari potest medium a Deo volitum seu ordinatum ad justificandos homines.

Scholion. *De sententiis quorundam catholicorum, infantes* 222
absque Baptismo salvare conantium. — Dogma catholicum est, infantes cum peccato originali decendentes supernaturali beatitudine in aeternum privari, quamvis ceteroquin de eorum statu non ita constet, nihilque prohibere videatur, quominus ab omni poena positiva et tristitia liberi, naturali quadam felicitate frui dicantur [1]. Quum autem humanae sapientiae satis durum et voluntati Dei salvificae minus consentaneum videatur, permultos infantes absque ulla culpa personali a coelesti gloria excludi, nonnulli theologi misericordia moti viam quaesierunt, illos infantes a labe originali liberandi sine Baptismo (aut martyrio).

a. Secundum card. Cajetanum „in casu necessitatis ad salutem puerorum sufficere videtur *Baptismus in voto parentum, praecipue cum aliquo exteriori signo.* Si haec opinio vera esset, praeter Baptismum daretur aliud remedium, utut subsidiarium, stabili lege institutum ad salvandos infantes; quod componi nequit cum doctrina de necessitate Baptismi, qualis de facto in revelatione continetur. Conjectura praedicta jussu Pii V ex commentariis Cajetani [2] expuncta fuit.

[1] Cfr. tract. *De Deo Creatore*, n⁰ **271** seq. — [2] *In S. Th.* III, **68**, 1 et 2; cfr. PALLAVICINI, *Hist. du Conc. de Trente*, l. IX. cp. 8; *Zeits. f. k. Theol.* (Oeniponte), 1915, p. 452. — Minus recte cl. VACANDARD (*Dict. de Théol. cath.* II, p. 774) s. Bernardo tribuit doctrinam, infantes sine Baptismo

b. Durandus, Gerson cum paucis aliis putarunt, saltem *aliquando* ardentes parentum preces pro filiis suis exaudiri, eosque hac via *per modum specialis privilegii* sine Baptismo salvari. — Concedendum est, Deum hujusmodi privilegium concedere posse etiam de potentia ordinata, sed eum id reapse nonnumquam concedere, omnino gratis asseritur. Ecclesia parentes hortatur orare, ut foetus ad Baptismum perveniant, non vero ut sine Baptismo salventur.

c. Dr. Henr. Klee († 1840) autumavit, infantes, dum laxentur nexus animae cum corpore, usum rationis accipere, Deum suumque statum cognoscere et *actum perfectae charitatis elicere posse* [1]. — Usus rationis ante separationem animae a corpore miraculum esset; in primo momento separationis a corpore anima jam non est in via.

d. Dr. Herm. Schell, herbipolensis, probabile habuit, infantes sine Baptismo morientes salvari *per speciem quandam incompletam baptismi sanguinis*. Quia parvuli, sicut ipse Christus, absque culpa personali moriuntur in expiationem peccati Adae, eorum mors est realis imitatio mortis Domini, et ita cunctis parvulis, non secus ac martyribus ipsa mors est quasi-sacramentum [2]. — Praemitto, parvulos praematura morte abreptos alio plane sensu quam Christus mori in expiationem veteris peccati. Christus peccato nihil communicans se ipsum immolavit ad satisfaciendum pro aliis; parvuli peccato Adae participantes poenam ejus subeunt. Sed summa erroris est falsa notio martyrii. Essentia martyrii non est mors perpessa qua talis, sed mors perpessa propter causam Christi. Atqui ex eo quod infantes moriuntur in poenam peccati antiqui, quod generatione contraxerunt, nullo modo

salvari posse fide parentum. S. doctor habet, infantes salvari per Baptismum in fide parentum collatum. Ad quaestionem, num post evangelium promulgatum sine Baptismo adhuc salvari queant, respondet: „Penes Deum est, non meum definire" (*Tract. de Bapt. ad Hugonem*, c. 2 n^{0} 6 et 9).

[1] *Kath. Dogmatik*, Ed. 4 (1861), p. 643 seq. — [2] *Kathol. Dogmatik*, T. III, p. 478.

conficitur eos mori propter causam Christi; neque enim verum est quod dicit Schell, principem mortis in quolibet infante, quem occidit, Christum persequi [1].

Manet igitur effatum AUGUSTINI: „Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes antequam baptizentur morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus" [2].

Corollarium. Hac occasione quaeres, quid judicandum sit 223
de conjectura cl. Gutberlet, dicentis, parvulis sine Baptismo morientibus, gratiam sanctificantem quidem non infundi, sed iis propter dolores et mortem dimitti peccatum originale, ita ut reducantur ad innocentiam naturae purae, perfectaque beatitudine naturali frui queant [3]. — Putamus: **a.** peccatum originale non obstare, quominus infantes eadem felicitate naturali donentur, quam in statu naturae purae habuissent. — **b.** Remissionem peccati originalis absque infusione gratiae esse impossibilem. Peccatum originale consistit in privatione gratiae sanctificantis, nobis imputabili ex nostra connexione cum Adam [4]. Quum igitur connexio cujuslibet infantis cum Adam auferri nequeat, carentia gratiae, quamdiu perdurat, necessario habet rationem privationis imputabilis, a. v. habet

[1] ... „von dem Todesfürsten, der in jedem Kinde Evas, das er knickt, ehe es sich zum bewusztem Leben öffnet, seinen Ueberwinder, den Weibessamen und Schlangentreter zu morden trachtet" (l. c.). — [2] *De anima*, III, 9, 12. — [3] „Die Tilgung der Erbsünde solcher Kinder durch Eingieszung der heiligmachenden Gnade ist allerdings mit der Nothwendigkeit der Taufe, wie sie die Kirche in Theorie und Praxis festhält, nicht vereinbar. Aber etwas anders wäre es, wenn der gütige Gott in Anbetracht der oft herzzerreiszenden Leiden sterbender Kinder und ihrer qualvollen Todesnoth ihnen die Erbsünde erliesze und sie in den Stand unschuldiger Geschöpfe versetzte. Nur so könnten sie einer vollkommenen Glückseligkeit theilhaftig werden" (HEINRICH-GUTBERLET, *Dogm. Theol.* T. VII, p. 295). — [4] Cfr. tract. *De Deo Creat.* n^{0} **244**.

rationem peccati. Et ita infantes absque Baptismo morientes, in aeternum manent „filii irae," i. e. privati eo amore (gratuito = donis supernaturalibus), quem per se, n.p. vi primitivae ordinationis accipere deberent, et quem reapse acciperent, si Adam non peccasset.

CAPUT III.

De Baptismi ministro et subjecto.

Art. I.

DE BAPTISMI MINISTRO [1].

224 Distinguendus est *minister necessitatis*, qui urgente periculo privatim, i. e. sine sacris caeremoniis baptizat; et minister *solemnitatis*, qui ut minister publicus ecclesiae solemniter Baptismum confert.

Quo posito doctrina catholica habet, quemlibet hominem semper valide, et in casu necessitatis etiam licite baptizare, utique privatim; ministrum solemnitatis iterum esse duplicem, n. p. ordinarium, qui est episcopus aut presbyter competente jurisdictione instructus, et extraordinarium, qui est diaconus ex justa causa ad hoc delegatus[2]. — Ex eo autem, quod omnis homo semper valide baptizat, statim sequitur in reliquis agi de *debito ordine et convenientia*, ex jure divino servandis.

225 I. *Quilibet homo semper valide, et in casu necessitatis etiam licite baptizat.* — Est *de fide* ex conc. lateran. IV: „Sacramentum Baptismi tam parvulis quam adultis, in forma ecclesiae a quocumque rite collatum, proficit ad salutem" [3]. — *Probatur* ex Traditione. TERTULLIANUS: „Baptismus ab omnibus exerceri potest. Sufficiat [o laice] in necessitatibus

[1] Cfr. *S. Th.* III, 67. — [2] *Rit. rom.* Rubr. *de ministro bapt.* n° 15. — [3] DENZ. 430; cfr. 696.

utaris, sicubi aut loci aut temporis aut personae conditio compellit" [1]. S. AUGUSTINUS: „Nequaquam dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicumque et a quibuscumque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione et cum aliqua fide suscepissent" [2]. S. HIERONYMUS: „Si necessitas cogit, scimus licere laicis [baptizare]" [3]. Ceterum quum de valore Baptismi ab haereticis collati multum disputatum sit, mirum videri non potest, quosdam antiquos etiam de Baptismate a non-christiano ministrato dubitasse aut minus recte sensisse. Aliqui satis energice mulieres excludunt [4], sed intellegi possunt de mulieribus absque necessitate vel etiam solemniter baptizare praesumentibus. — *Confirmatur* ratione convenientiae: „Ad misericordiam ejus, qui vult omnes homines salvos fieri pertinet, ut in his quae sunt de necessitate salutis homo de facili remedium inveniat. Et ideo institutum est, ut minister Baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum Baptismi homo salutis suae dispendium patiatur" [5].

II. *Minister ordinarius solemnitatis est episcopus et presbyter competente jurisdictione instructus.* Ut quis ex officio, i. e. *tamquam minister publicus ecclesiae, licite* baptizet, requiruntur tum *character ordinis*, qui est deputatio ad sacra ministranda, tum *jurisdictio* sive auctorizatio, nam sacramenta certis hominibus dare, et in specie nova membra in gremium ecclesiae recipere ad munus proprii pastoris pertinet. 226

Jam utraque haec conditio plenissime verificatur in *episcopo*, qui plenitudine sacerdotii gaudet, et solus ex jure divino jurisdictionem ordinariam in gregem suum habet. Sane primario ad episcopos, apostolorum successores, spectant verba: „Docete omnes gentes, baptizantes eos", cet. Hinc s. IGNATIUS M.: „Non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare" [6]. TERTULLIANUS: „Dandi [Baptisma] jus

[1] *De bapt.* c. 17. — [2] *De bapt.* VII, 53, 102. — [3] *Dial. adv. Lucif.* n⁰ 9. — [4] TERTULL. *De bapt.* 17; s. EPIPHANIUS, *Haeres.* 79, 4. — [5] *S. Th.* l. c. 3, c. — [6] *Smyrn.* 8, 2.

habet summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter ecclesiae honorem" [1]. S. HIERONYMUS: „Inde venit, ut sine chrismate et episcopi jussione neque presbyter neque diaconus jus habeat baptizandi" [2].

Verum traditio ecclesiae practica et theoretica docet, etiam *characterem presbyteralem* sufficere ut quis, auctorizatione episcopi munitus, sit minister ordinarius Baptismi. Dicitur: „minister *ordinarius*", n. p. talis qui non solum per modum exceptionis et ex quadam necessitate solemniter baptizat, sed qui id faciat tamquam minister ad hoc consecratus et proprio suo officio fungens. — Constat, apostolos saepe ministrationem Baptismi adjutoribus suis reliquisse [3]; et in antiqua ecclesia Baptismus frequenter a presbyteris conferebatur, praesente et veluti praesidente episcopo, qui suis manibus aliquos baptizabat et omnibus baptizatis confirmationem et s. Eucharistiam dabat [4]. Patres saepius presbyteros quoad collationem Baptismi episcopis aequiparant, eosque una cum episcopis opponunt diaconis: s. CYPRIANUS: „Intellegimus non nisi ecclesiae praepositis et in evangelica lege ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare; nec posse quemquam contra episcopos et sacerdotes usurpare sibi aliquid quod non est sui juris et potestatis" [5]. *Constit. Apost.*: „Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus, nisi tantum episcopis et presbyteris, ministrantibus diaconis" [6]. INNOCENTIUS I: „Presbyteris sive extra episcopum, sive praesente episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum" [7].

---

[1] *De bapt.* 17. — [2] *Dial. adv. Lucif.* n° 9. — [3] *Act.* **10,** 48; **19,** 5—6, *I Cor.* **1,** 17. — [4] Cfr. ERMONI, l. c., p. 30; BAREILLE, in *Dict. de Théol. cath.* II, p. 186; DUCHESNE, *Orig. du Culte*, Ed. 3, p. 337; *Can. Hippol.* 120—136. — [5] *Ep. 73 ad Jubajan.* n° 7 seq. — [6] L. III, c. 11. — [7] *Ep. 25 ad Decent. Eugub.* n° 3, DENZ. 98.

GELASIUS I: „Diaconi absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis longius constitutis necessitas extrema compellat" [1].

Antiquitus presbyteri non nisi ex delegata auctorizatione episcopi baptizabant, sed postquam institutum parochorum ab ecclesia inventum est, *proprius parochus* gaudet jurisdictione ordinaria ad baptizandum, et ita non secus ac episcopus quemlibet presbyterum delegare potest, etiam sine ulla speciali causa, quia ex parte Ordinis presbyter est minister ordinarius hujus sacramenti.

III. *Minister extraordinarius solemnitatis est diaconus, justa* 227
de causa ad hoc delegatus. — Quum diaconi ordinentur ad ministrandum et assistendum majoribus, episcopis scil. et presbyteris, facile patet non pertinere ad diaconum, ut quasi ex proprio officio Baptismum tradat: s. EPIPHANIUS: „Diaconis nullum in ecclesiastico ordine sacramentum perficere conceditur" [2]. Ab alia parte ex *Act. apostol.* conficitur, etiam diaconos baptizasse [3], et textus modo allati ostendunt in antiqua ecclesia diaconis commissum fuisse, ut deficiente episcopo et presbytero Baptismum darent; non utique stricte privatim, quod urgente necessitate cuilibet laico licebat, sed cum quadam solemnitate. Hinc conficitur, eos qui, jure proprio baptizant, n. p. episcopum et parochum, ex causa sufficiente diacono committere posse, ut aliquando solemniter baptizet, secundum C. J. C.: „Extraordinarius Baptismi sollemnis minister est diaconus; qui tamen sua potestate ne utatur sine loci ordinarii vel parochi licentia, justa de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur" [4].

Scholion. *De Patrinis* [5]. — Ex consuetudine antiquissima, 228
cujus jam meminit Tertullianus [6], in Baptismo solemni adhibendus est patrinus, qui baptizatum ex s. fonte levet et

[1] *Ep. ad episc. Luc.* c. 7. — [2] *Haer.* 79, 4. — [3] *Act.* 8. — [4] Cfr. can. 741. — [5] Cfr. CORBLET, *Histoire*, cet. II, p. 172. — [6] *De bapt.* 18; cfr. *Cod. Jur. Can.* can. 762.

curam ejus spiritualem in se suscipiat. Rationem instituti habes ex s. THOMA: „Spiritualis regeneratio, quae fit per Baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali; unde et in spirituali generatione requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum [baptizatum], quasi novitium in fide, de his quae pertinent ad fidem et vitam christianam.... Ubi [baptizati] nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt [patrini] ab hac cura dispensari, praesumendo ut a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere" [1].

Art. II.

DE BAPTISMI SUBJECTO.

Subjectum Baptismi potest esse aut homo *adultus*, aut *parvulus*; sed de adultis pauca admodum restant dicenda.

229 **De adultis.** — Quilibet adultus ex lege divina *tenetur Baptismum suscipere*, non tantum in mortis periculo, sed *quamprimum digne et congruenter fieri potest* [2]. Sane homo obligatur per totam vitam suam Deum colere secundum ritum ab eo institutum; item per totam vitam suam indiget mediis gratiae, quorum dispensationem Deus ecclesiae suae commisit. Igitur quamprimum moraliter fieri potest, per Baptismi susceptionem ecclesiam ingredi debet. — Hinc s. Patres [3] acerbe reprobaverunt abusum, qui saec. IV satis invaluerat, praesertim apud nobiliores, Baptismum differendi donec defervescerent passiones, imo fere usque ad finem vitae [4].

[1] *S. Th.* III, **67**, 7 et 8. — [2] Cfr. *S. Th.* III, **68**, 3. — [3] Cfr. v. g. s. BASILIUS, *Hom. 13 ad s. bapt.*; s. GREG. NYSS. *Contra differentes Baptismum*; s. GREG. NAZIAN. *Orat.* 40; s. CHRYSOST. *Hom. 1 ad Illumin.* — [4] Cfr.

Dicitur autem: „quamprimum moraliter, i. e. *digne et convenienter* fieri potest". Nisi enim periculum sit in mora, adultus antequam baptizetur, fidem catholicam ediscere et tirocinium quoddam vitae christianae agere debet; neminem siquidem ad Baptismum admittere licet, cujus voluntas et propositum diligenter explorata non fuerint. Quantum autem temporis ad hos fines requiratur, imprimis ab adjunctis pendet, et certe mathematice definiri nequit. Praeterea antiqua ecclesia, rationibus ordinis et convenientiae ducta, adultos extra casum necessitatis non nisi in festis paschatis et pentecostes ad Baptismum admittebat[1]. Quae praxis etiam hodie a *Rit. rom.* et a *Cod. Jur. Can.* commendatur[2]. Vides legem Baptismi ex ipsius ecclesiae mente latitudinem quandam admittere, unde non culpandus videretur catechumenus, jam satis instructus et probatus, qui propter causas rationabiles Baptismum suum nonnihil differri cuperet. Inferes pro praxi, neque necessarium neque consultum esse, ut iis qui in gremium ecclesiae recipi desiderant, stadium instructionis et praeparationis nimis acceleretur. In damnum siquidem animarum vergere putamus benignitatem paucorum, qui extra-

---

CORBLET, *Hist.* I, p. 490. — Quamvis usus magnam vitae partem in catechumenatu transigendi per se malus fuerit et morum licentiae latam portam aperuerit (s. AUGUSTINUS, *Confess.* I, 11: „sonat undique in auribus nostris: sine illum, faciat quod vult, nondum enim baptizatus est."), facile intellegitur, nonnullos speciosis rationibus deceptos consuetudinem jam vigentem bona fide sequi potuisse. Hinc explicatur tunc temporis ét pios parentes nonnumquam contentos fuisse, si filios suos catechumenis adscribendos curassent (s. AUGUST. l. c.), ét bonos viros quandoque Baptismum ultra mensuram distulisse, meliorem semper praeparationem praestolando.

[1] Orientales etiam in festo Epiphaniae baptizabant, sed rom. pontifices introductionem hujus praxis in terris occidentalibus aegre ferebant, et pro viribus impediebant. Cfr. DUCHESNE, *Origines du Culte*, p. 293. — [2] *Rit. rom.*, Rubric. *de tempore bapt.* et *de bapt. adultorum*; *Cod. Jur. Can.* can. 772.

neos post praeparationem valde superficialem ad sacramentum admittunt, dicentes: praxim catholicam sectando veri catholici fiunt!

230 Ad Baptismum *valide* suscipiendum nihil requiritur praeter *intentionem* saltem habitualem. Et quum ea quae vi et metu, usum rationis non tollente, obtinentur, sint voluntaria simpliciter, quamvis involuntaria secundum quid, sequitur consensum vi extortum, dummodo sit verus internus consensus, ad valorem Baptismi sufficere [1]. Vix opus est addere, neminem per vim et injuriam ad Baptismum compellendum esse.

Ad susceptionem *licitam et fructuosam* requiruntur *fides, spes* et *attritio*, de qua latius dici solet in tract. *de sacramento Poenitentiae*.

231 **De parvulis.** — *Anabaptistae* [2], consequenter applicando doctrinam reformatorum de sola fide etiam in sacramentis justificante, posuerunt parvulos, eo quod actum fidei habere nequeunt, nec licite nec valide baptizari posse. Sit itaque:

PROP. **Infantes valide et licite baptizantur** [3].

Vox „*licite* baptizantur" non significat quoslibet infantes semper licite baptizari, sed ipsam infantilem aetatem per se non obstare, quominus licite tingantur.

Dogma fidei est ex conc. trid.: „Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, ... a. s." [4].

Probatur. 1°. *S. Scriptura* nullibi explicite paedo-Baptismum memorat, sed argumentum conjecturale deduci potest ex iis

[1] Cfr. *conc. tolet.* IV, c. 57, HEFELE, *Conciliengesch.* III², p. 85 et INNOC. III, DENZ. 411. — [2] Anabaptistarum capita fuerunt in Germania Thomas Münzer († 1525), in patria nostra Menno Simons (natus in Witmarsum prope Franeker, † c. 1560), a quo Mennonitae audiunt. — [3] Cfr. *S. Th.* III, **68**, 9. — [4] *Sess.* **5**, can. 4; cfr. *Sess.* **7**, *de Bapt.* can. 12—14.

locis, ubi integrae familiae baptizatae dicuntur: *Act.* **16**, 15, 33; *I Cor.* **1**, 16. — Ab alia parte immerito dicitur, Scripturam, exigendo fidem ante Baptismum, eo ipso parvulos a Baptismo excludere; nam verba: „Docete omnes gentes, baptizantes eos", et: „qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit" [1], in quantum edicunt solis credentibus Baptismum ministrari posse, ex ipso contextu optime coarctari possunt ad adultos. Sane Christus, apostolos mittens ad regnum suum inter gentes diffundendum, et officia gentium erga apostolorum praedicationem memorans, primario et directe solos adultos respicere debuit.

2°. *Traditio* rem aperte demonstrat. S. IRENAEUS: „Omnes venit per seipsum salvare [Christus]; omnes inquam qui per eum renascuntur in Deum, infantes et parvulos et pueros" [2]. TERTULLIANUS minus opportunum judicabat baptizare infantes, sed ipsa sua oppositione praxim jam exsistentem testatur [3]. ORIGENES: „Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare" [4]. S. CYPRIANUS nomine conc. carthag. a. 253 scribit ad Fidum, qui parvulos non ante octavum a nativitate diem baptizandos judicaverat: „In hoc, quod tu putabas esse faciendum, nemo consentit, sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam denegandam" [5]. Denique s. AUGUSTINUS de paedobaptismo dicit: „Hoc ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide suscepit" [6]; praeterea ex praxi ecclesiae infantes baptizandi validissimum desumpsit argumentum contra pelagianos, peccatum originale negantes [7].

3°. *Ratio theologica* thesim confirmat. Duo constant: neminem absque gratia regenerationis salvari posse, et non dari aliud medium quo infantes regenerari queant praeter Baptismum. Igitur nisi concederetur, Baptismum parvulis applicari

[1] *Mt.* **28**, 19; *Mc.* **16**, 16. — [2] *Adv. haer. II*, **22**, 4. — [3] *De bapt.* 18. — [4] *In Ep. ad Rom.* l. V, n° 9; cfr. supra n° **206**. — [5] *Ep. 64 ad Fid.* n° 2. — [6] *Sermo 167*, n° 2. — [7] Cfr. v. g. *De civ.* **21**, 14, 16; *Tract. in Jo.* **41**, 5; **80**, 3.

posse, saltem in casu necessitatis, dicendum foret, Christum infantes a gratia et salute penitus exclusisse. Id autem neque cum voluntate salvifica componi potest, neque cum verbis Christi: „Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum coelorum" [1].

Aliunde rationi consentaneum est, ut infantes, qui absque proprio consensu, sola generatione, peccatum originale ex primo Adam contrahunt, absque propria cooperatione per secundum Adam regenerari queant.

232 *Corollarium.* Infantes saepe dicuntur *baptizari in fide ecclesiae* aut parentum; non quasi fides parentum per modum vicariae cujusdam dispositionis infantem idoneum redderet ad sacramentum valide et cum fructu suscipiendum, sed sensus est: sicut adulti propria sua fide ad Baptismum ducuntur, ita fides aliena, parentum, patrini, ministri, uno verbo fides ecclesiae causa est, cur infantibus Baptismus ministretur. Et hoc tantum sensu dici potest, in infantibus fidem per ecclesiam suppleri.

233 **Scholion 1.** *Num infans in utero baptizari possit.* — Quaestio practica est pro casibus in quibus periculum est, ut infans vivus edatur. Veteres scholastici omnes responderunt negative, sed unica vera ratio erat, quod putabant, infantes in utero aqua ablui non posse. Hinc quaestio, num infans in utero positus sit baptizandus, apud ipsos proprie significabat: num corpus matris abluendum sit ad baptizandum puerum in utero clausum [2]. Et in hinc sensum historicum intellegenda est antiqua rubrica *Rit. Rom.*: „Nemo in utero matris clausus baptizari debet" [3]; quam ceteroquin editio typica Pii p.p. XI ita reformavit: „Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit, ut rite editus baptizari possit" [4].

[1] *Mt.* 18, 14; 19, 14; cfr. *Mc.* 10, 14; *Luc.* 18, 16. — [2] Cfr. *S. Th.* 68, 11. — [3] *De baptiz. parvulis*; cfr. CORBLET, *Hist.* cet. I, p. 401. — [4] Cfr. etiam *C. J. C.*, can. 746, § 1.

Ex quo autem ars obstetricia medium invenit ad corpus infantis in utero delitescentis aqua tangendum, theologi affirmative respondere coeperunt. Quae doctrina hodie communis est, et merito: nam rationes quae, praeter impossibilitatem ablutionis perficiendae, in contrarium afferebantur, admodum infirmae sunt. — Dicebatur: „nemo renascitur nisi primo nascatur." Sed Baptismus vocatur regeneratio seu iterata generatio per oppositionem ad generationem, qua quis naturam humanam peccato originali infectam accepit; haec autem accipitur non per generationem ex utero, sed per generationem in utero seu conceptionem. — Dicebatur adhuc: infans in utero nondum est viator! Foetus conceptus homo est, et in termino non est; dicant quaeso quid esse possit nisi viator! Numquid s. Joannes bapt. et b. Virgo sanctificati fuere antequam essent viatores?

Nihilominus Baptismus in utero *practice dubii valoris* est habendus, nam s. Cong. Conc. die 16 Martii 1897 edixit, foetum post ortum denuo sub conditione rebaptizandum esse, etiam „si in aliquo casu particulari medicus vere peritus et probus testetur, aquam sine dubio caput infantis in utero attigisse"[1]. Ratio, ut opinor, est, quia non obstante testimonio medici ut supra, semper remanet rationabile dubium, num *vera ablutio* locum habuerit. Hinc secundum C. J. C.[2] et Rit. Rom.[3]: „foetus in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione baptizari debet".

Scholion 2. *Quo jure parentes teneantur, infantes suos* **234** *ante usum rationis ad s. fontem deferre.* — Eos jure divino teneri si vita infantis periclitetur, indubium est. At secluso mortis periculo, vera obligatio *juris divini* probari nequit, quum ab una parte praeceptum speciale desideretur et ab alia parte pueri, quamdiu ratione carent, gratia Baptismi actualiter uti nequeant. Nihilominus spectato solo jure divino,

[1] Cfr. *Ephem. liturg.* 1897, p. 628. — [2] Can. 746 § 5. — [3] Tit. II, cap. 1, n^{0} 20.

convenientissimum est, infantes mox baptizari, tum ut omne periculum sine Baptismo moriendi praecludatur, tum ut quamprimum aurora rationis lucere inceperit, lumen infusum cum externa instructione concurrat ad veritatem fidei connaturaliter capiendam.

Quum autem per plura saecula universalis lex ecclesiastica de pueris mox baptizandis non exstiterit, mirum non est praxim antiquitus nonnihil variasse [1]. In pluribus ecclesiis etiam infantes baptizandi extra casum periculi ad dies solemnes paschatis et pentecostes reservabantur; imo s. Greg. naz., cui tamen hac in re nemo alius patrum consentit, opportunum judicabat, Baptismum infantium bene valentium ad tertium fere annum differre [2].

Postea tamen *ecclesia*, partim consuetudine vim legis obtinente, partim specialibus praeceptis salubriter sancivit, ut infantes „*quamprimum* fieri potest" baptizentur [3]. Hinc LEO XIII „abusum s. Baptismatis in hebdomadas, in menses, imo et in annos pueris differendi" proscripsit tamquam „iniquum, ecclesiasticis sanctionibus contrarium, detestabilem, in Deum simul impium ac in homines" [4]. — *Conc.* autem *provinc. ultraject.* legem universalem quamprimum baptizandi magis determinavit jubendo „ut recentes nati *numquam tardius tertia a nativitate die* ad ecclesiam deferantur baptizandi" [5].

235 **Scholion 3.** *Num filios non-christianorum invitis parentibus baptizare liceat* [6]. — Quaestio est de *infantibus*, nam

[1] Cfr. CORBLET, *Hist.* I, p. 493; CHARDON, *Hist. de Bapt.* p. II, c. 6 (in MIGNE, *Curs. complet.* XX, p. 103); KRAUS, *Realencycl. d. christl. Alterth.* in voce: *Kindertaufe*. — [2] *Orat.* 40, n° 28. — [3] Cfr. *Rit. Rom. De sacram. bapt.* cap. 1, n° 39; *C. J. C.* can. 770: „Infantes quamprimum baptizentur et parochi ac concionatores frequenter fideles de hoc gravi eorum obligatione commoneant". — [4] *Ep. ad episc. Anglonen. et Tursien.* 13 Aug. 1899, cfr. *Eph. liturg.* 1899, p. 660. — [5] P. 132. — [6] Cfr. *S. Th.* II, II, 10, 12; III, 68, 60; BEN. XIV, Ep. *Postremo mense*, 8 Febr. 1747, apud DENZ. 1480 seq.

quamprimum filius rationis usu gaudet, in iis quae sunt de necessitate salutis sui juris est, unde si tunc Baptismum petit, baptizari potest et debet, nisi adjuncta dilationem suadeant. Praeterea quaestio tantum est de infantibus *sub potestate parentum adhuc constitutis*, vel sub ea reversuris.

Porro ad solutionem hujus quaestionis considerandum est, curam et regimen puerorum de jure naturali spectare ad parentes, et quidem exclusive, ita ut jus parentum laedat quicumque se huic regimini immiscet, nisi in casu exceptionali bonum necessarium infantis id exigat. Assertio principalis probatione non indiget, restrictio inde fluit, quod bonum necessarium infantis juri paterno praevalet.

Jam secluso mortis periculo Baptismus non est bonum infanti necessarium; quamdiu enim usu rationis caret, gratia Baptismi uti nequit, adultus vero ipse sibi Baptismum procurare potest, si eum aestimare didicerit. Quodsi religionem Christi aestimare non discat, quid proderit Baptismus in infantia susceptus? Igitur *qui extra mortis periculum hujusmodi infantem baptizaret*, injuriam faceret parentibus, proinde *peccaret*. Nec putes, ecclesiam hujusmodi immixtionem legitimare posse. Non potest, quia in parentes non baptizatos jurisdictionem non habet; accepit quidem munus docendi et baptizandi omnes gentes, sed servato debito ordine et jure naturali. Hinc teste s. THOMA, „ecclesiae usus numquam habuit, quod judaeorum filii invitis parentibus baptizarentur" [1].

Verum ubi infans *in periculum mortis inciderit*, Baptismus ei fit bonum stricte necessarium, quia sine illo finem suum ultimum obtinere nequit. Hinc in iis adjunctis necessitas infantis jus parentum elidit. Quinimo, quum omnes obligemur pro viribus succurrere proximo in extrema necessitate versanti, *quicumque moraliter* (i. e. sine proportionato incommodo vel scandalo) *potest hujusmodi infantem baptizare tenetur* [2]. Res

[1] L. c. II, II, **10**, 12, c. — [2] Quale periculum requiratur, ut Baptismus licite conferri *possit* vide *C. J. C.* (can. 750, § 1.) et *Rit. Rom.* (l. c. n° 24), ubi habetur: „Infans infidelium, etiam

illustratur exemplo. Finge puerum exsistere in loco, ubi vita ejus multum periclitetur, v. g. ambulando super caniculum mox explosurum; finge patrem periculum ignorare, aut etiam bona fide non aestimare; nonne infantem e loco auferre possum, et suppositis supponendis debeo, invito etiam et contradicente patre? Atqui si ita est, ubi puer periclitatur vita temporali, quare aliter esset si periclitetur vita aeterna.

236 Quaeres, *quid faciendum sit, si infans* sive in mortis periculo licite, sive extra periculum illicite *baptizatus jam fuerit?* — Suscepto Baptismo, puer, per ipsum characterem irrevocabiliter deputatus ad cultum christianum, membrum ecclesiae factus est. Quum igitur jurisdictioni ecclesiae jam subjaceat, ecclesia curare potest et, in quantum adjuncta ferunt, curare debet, ut in religione catholica instruatur et educetur. Quod si institutio catholica impossibilis est, quamdiu puer remanet sub disciplina parentum, per se eorum ditioni subtrahendus est. Dico „per se", nam primo ecclesia non tenetur operam dare rei impossibili, deinde posito etiam, quod subtractio sit possibilis, adhuc omitti posset et deberet, si ex adjunctis in grave damnum rei catholicae cederet; nam bonum publicum ecclesiae bono privato illius infantis praevalet. Cave tamen, ne hujusmodi subtractionem per se injustam reputes. Positis siquidem Baptismo et simul impossibilitate institutionis catholicae in domo paterna, habetur collisio jurium, n.p. juris ecclesiae et juris paterni. Atqui in collisione jurium jus altioris ordinis praevalet et alterum eliditur. Manifestum autem est jus ecclesiae, quum respiciat finem altissimum, cui omnes alii fines subordinantur, prae jure paterno altius esse.

Quum omnes baptizati jurisdictioni ecclesiae subjiciantur, *spectato solo jure*, non eadem est quaestio de baptizandis filiis infidelium ac de filiis haereticorum et schismaticorum;

---

invitis parentibus, licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat".

ast *pro praxi* ecclesia sapienter sancivit; „Circa Baptismum infantium duorum haereticorum aut schismaticorum, aut duorum catholicorum qui in apostasiam vel haeresim vel schisma prolapsi sint, generatim serventur normae in superiore canone [de infantibus infidelium] constitutae" [1].

EPILOGUS. *De origine liturgiae baptismalis* [2]. 237

Etsi explicatio caeremoniarum ad dogmaticam non pertineat, subjicere placet brevem notationem historicam pro intellegentia *Ordinis baptismi*, qualis in *Rit. rom.* habetur.

Totus ritus baptismalis, etiam caeremoniae et orationes in parvulis adhiberi solitae, ab origine compositus fuit pro adultis.

Notum est, antiquis ecclesiae saeculis eos qui fidem suscipere desiderabant, primo adscriptos fuisse inter catechumenos [3]. Jam prima pars ritus nostri usque ad orationem: „Deus patrum nostrorum" (inclusive) originarie erat ritus quo quis inter catechumenos cooptabatur: *Ordo ad faciendum catechumenum* (vel *christianum*, utique sensu latiori).

Catechumeni (latine *audientes)* jam aliqua ratione ad ecclesiam pertinebant; in publicis conventibus jure suo admittebantur; sed plerumque in loco separato a fidelibus (baptizatis); post lectionem et homiliam a diacono solemniter dimittebantur (missa catechumenorum).

Initio quadragesimae catechumeni, de quorum sinceritate 238
et vita christiana satis constare videbatur, transibant ad classem *competentium, electorum, illuminandorum*, i. e. eorum, qui destinabuntur ad Baptismum in sabbato sancto recipiendum [4].

[1] Cfr. *C. J. C.* can. 751 et *Rit. Rom.* l. c. n^{0} 25. — [2] Cfr. DUCHESNE, *Origines du culte*, Ed. 3, p. 295 seq.; J. MAYER *Geschichte des Katechumenats* (1868). — [3] Voces *Catechumenus* et *catechesis* derivantur a verbo *κατηχέω* = viva voce docere. — [4] Hinc vides quo sensu saepe distinguantur duae classes catechumenorum n.p. *Catechumeni simpliciter dicti* et *Competentes*. Perperam multi quatuor classes distinguebant, quorum errorem correxit cl. Funk; cfr. *Abhandl.* t. I, p. 209.

Tempore quadragesimae habebantur frequentes competentium conventus, tum ad vitam et mores eorum accuratius examinandos, tum ad eos exorcismis, orationibus, instructionibus praeparandos. A fine autem saec. V, quum institutum catechumenatus jam dilaberetur, conventus eorum qui ad Baptisma praeparabuntur, vocari coeperunt *scrutinia*, quae saec. VII in ecclesia romana septem erant numero.

Jam in singulis scrutiniis (excepto ultimo) post collectam missae competentes, monente diacono, se prosternebant ad orandum, completam orationem alta voce concludebant et, iterum invitante diacono, seipsos signo crucis signabant. Deinde clericus quidam primo viros, dein mulieres exorcizabat. Completo hoc exorcismo omnes iterum procumbebant, orabant, se signabant ut supra; quo facto secundus clericus accedebat ad novos exorcismos celebrandos. Haec omnia etiam tertio repetebantur. Denique veniebat sacerdos ad cunctos signandos, et manu imposita orationem super eos fundendam. Tum demum missa prosequebatur. — Atqui haec omnia invenies in hodierno *Ordine Baptismi adultorum*, incipiendo a verbis „*Ora electe*", usque ad orationem „*Aeternam ac justissimam*" inclusive [1]. Unum exorcismum, signationem baptizandi et orationem „*Aeternam*", cet. in *Ordine Bapt. parvulorum* servatas reperies.

239 *Scrutinium tertium* prae ceteris solemne erat, nam post exorcismos ut supra, cantato graduali, habebatur *traditio symboli* et *orationis*. Symbolum scil. apostolorum et oratio dominica (quae quoad formam inter arcana olim recensebantur) competentibus lente recitabantur et explicabantur. Electi formulas „Credo" et „Pater" memoriae mandare debebant, ut eas sabbato sancto, antequam baptizarentur, alta voce coram ecclesia recitarent: *redditio symboli* et *orationis*. — Vides recitationem symboli et orationis, secundum ritum ho-

[1] Nisi quod olim electi non praecise orationem dominicam recitabant.

diernum a sacerdote et baptizando vel ejus patrino peragendam, ex caeremoniis *traditionis* et *redditionis* ut supra esse relictam.

Ultimus exorcismus, qui sequitur „Pater noster" desumptus est ex scrutinio septimo, quod ipso sabbato sancto ante Baptismi solemnitatem habebatur.

Reliquae caeremoniae ab *„Effeta"* usque in finem etiam antiquitus collationem Baptismi comitabantur.

Unctio chrismatis in vertice cum oratione *„Deus omnipotens"* respicere videtur sacramentum Confirmationis [1]. Alii putant hanc chrismationem presbyteralem adhiberi coepisse, quando Confirmatio a Baptismate tempore separabatur [2]. Alii ejus originem inde reputant, quod Romae et Alexandriae unctio Confirmationis (quae uberrima erat) a presbytero inchoabatur et mox consummabatur ab episcopo, frontem chrismate in modum crucis consignante et simul manum imponente [3]. Quum igitur postea Confirmatio a Baptismate sejungeretur, unctio presbyteralis, quae primum fuerat inchoatio vel praeparatio Confirmationis, remansit tamquam caeremonia Baptismi, vel potius tamquam sacramentale, quo presbyter Deum orat, ut fructum Confirmationis anticipando quodammodo suppleat ad conservationem gratiae baptismalis [4]. Alii tamen autumant unctionem chrismatis esse et semper fuisse caeremoniam propriam Baptismi absque ulla relatione ad Confirmationem (quae ex eorum opinione primitus absque chrismatione conferebatur). Significaret igitur participationem sacerdotii et regalis dignitatis Christi, quam in Baptismate consequimur [5]. 240

[1] Cfr. hanc orationem cum oratione quam recitat episcopus quando versus confirmandos manus extendit. — [2] *Kirchenlex.* in voce *Taufe*, T. XI, p. 1275; HEINRICH-GUTBERLET, *Dogm. Theol.* IX, p. 361. — [3] DUCHESNE, *Origines du Culte*, p. 337. — [4] Cfr. *S. Th.* III, 71, 3 ad 4. — [5] Cfr. Galtier apud *A. de Smet, Tract. de Sacr. in Gen.* cet. n^{0} 341 et 369 seq.

SECTIO III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS [1].

CAPUT UNICUM.

241 „In vita spirituali primum est spiritualis generatio per Baptismum, secundum est spirituale augmentum perducens ad robur perfectum per sacramentum Confirmationis. Perfectio autem spiritualis roboris in hoc proprie consistit, quod homo fidem Christi confiteri audeat coram quibuscumque, nec inde retrahatur propter confusionem aliquam vel terrorem" [2].

Nomen *Confirmationis*, quod ab effectu hujus sacramenti sumptum est, fundamentum habet in Scriptura [3], et a saec. V in usu ecclesiastico inolevit [4]. Consonat nomen neerlandicum *vormsel*, quod derivatur a verbo *vormen*, antiquitus *vermen*, *fermen (firmen)* = firmare, confirmare = firmum reddere (neerlandice: ferm maken) [5].

Antiqui imprimis adhibebant nomina: *impositio manus* (*ἐπίθεσις χειρῶν*; *χειροθεσία*) et *unctio* seu *chrisma*.

Alia nomina sunt *perfectio*, *consummatio* (*τελείωσις*, *βεβαίωσις*),

[1] Cfr. *S. Th.* III, 72 et commentatores; card. BELLARMINUS, de *Confirmatione*; C. WITASSE, [alius Oratorianus], *Tract. de Confirmatione*, 1738, apud MIGNE, *Curs. Compl.* XXI; B. NEPEFNY, *Die Firmung*, 1869; L. JANSSENS, *La Confirmation*, 1888; M. HEIMBUCHER, *Die Firmung*, 1889, CHARDON, *Hist. d. Sacrements* l. I. s. 2, apud MIGNE, l. c. XX; G. BICKELL, *Die Firmung bei den Nestorianern*, in *Zeits. f. kath. Theol.* I (1887); DÖLGER, *Das Sakrament der Firmung historisch-dogmatisch dargestellt*, 1906; J. B. UMBERG, *Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung. Eine biblisch-dogmatische Studie*, 1920; *Dict. de Théol. Cath.* t. II, in voce *Chrême; Dict. Apolog.* in voce *Confirmation*. — [2] S. THOMAS, *S. c. G.* IV, 58, 60. — [3] *II Cor.* 1, 21; „Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo et qui unxit nos...." — [4] Quantum scimus primo occurrit in *conc. arausic. I* (441) can. 2; cfr. tamen s. AMBROS. *De Myst.* 7, 42. — [5] Cfr. VERWIJS-VERDAM, *Middelned. Woordenboek*, T. VIII, in voce: *vermen*. — Secundum Kilianum derivatur per metathesin a verbo antiquato vromen = firmum reddere.

quibus habitudo hujus sacramenti ad Baptismum significatur [1]; *signaculum* vel *sigillum* (σφραγίς), et apud graecos recentiores: *τό μύρον*.

Definiri potest: *sacramentum, quo baptizatis confertur Spiritus s. ad fidem strenue profitendam.*

Dicemus de *exsistentia* Confirmationis ut verum sacramentum, de ejus *partibus, effectu, ministro, subjecto.*

Art. I.

DE CONFIRMATIONIS EXSISTENTIA.

Reformatores Confirmationi dignitatem sacramenti abjudi- 242
carunt. *Lutherus* eam ut caeremoniam ecclesiasticam habuit. *Calvinus* docuit, Dominum quidem voluisse ut apostoli per manus impositionem charismata Spiritus s., i. e. gratias gratis datas, in populum fidelem diffunderent, sed hunc ritum cessantibus charismatibus, ut otiosum finire potuisse vel etiam debuisse. Sed ecclesia eum retinuit, ut solemnitate quadam vestiret publicam catechesim, qua adolescentes in infantia baptizati fidei suae rationem coram episcopo exponere solebant. „Posterior autem aetas factitiam nescio quam confirmationem pro Dei sacramento posuit", et ita dimidiam efficaciam a Baptismo abstulit [2].

Doctrinam catholicam definivit conc. trid.: „S. q. d. Con-

[1] Cfr. *Eph. Theol. Lovan,* 1924, p. 505. — [2] *Instit.* IV, 19, 4; *Antidot. conc. trid.* in s. VII. Quae de publica catechesi adolescentium dicuntur, speciem quandam veritatis habent ex eo, quod episcopi saepius occasione Confirmationis administrandae s. visitationem instituebant. Ceterum facile vides, praetensae huic veteris ecclesiae catechesi apud protestantes respondere illam caeremoniam (germanice: *Confirmation,* neerlandice: *Belijdenis*), qua juvenes fidem suam coram ecclesia profitentur, et qua peracta membra perfecta (neerlandice: *lidmaten*) ecclesiae habentur; cfr. DOUWES en FEITH, *Kerk. Wetboek,* Ed. 3, p. 3).

firmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram ecclesia exponebant, a. s." [1].

243 PROP. **Confirmatio est verum N. L. sacramentum, distinctum a Baptismo.** — Dogma fidei est.

Probatur. — 1°. Ex *s. Scriptura*. „Cum vero credidissent [Samaritani] Philippo evangelizanti, in nomine J. C. baptizabantur viri ac mulieres.... Cum autem audissent apostoli qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui cum venissent oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum s.; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum s. Cum autem vidisset Simon, quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus s., obtulit eis pecuniam", cet. [2]. — „Factum est autem, ut Paulus veniret Ephesum et inveniret quosdam discipulos, dixitque ad eos: si Spiritum s. accepistis credentes". Cum autem baptisma Joannis tantum accepissent, post instructionem „baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus s. super eos, et loquebantur linguis et prophetabant" [3].

244 Habes igitur *ritum externum* (manus impositionem et orationem) a ritu baptismali distinctum, et qui jam baptizatis applicatur, saltem aliquando alio tempore et ab alio ministro, habes insuper *effectum supernaturalem* (effusionem Spiritus s.), qui ipsi ritui tribuitur. Unde si ostensum fuerit, *primo* hunc effectum importare gratiam sanctificantem, et *secundo* agi de ritu perenniter instituto, nihil deerit ad rationem veri sacramenti.

[1] *Sess. 7, de Confirm.* can. 1. — [2] *Act.* 8, 12—18. — [3] *Act.* 19, 1—6.

Ad *primum*. Dona mirabilia, quae charismata vocari solent, in exordio ecclesiae saepe, non semper [1], comitabantur et exterius manifestabant infusionem Spiritus s. per manus impositionem operatam, sed falsum est nomine „Spiritus s." unice vel saltem principaliter intellegi posse charismata; quoties enim in s. Scriptura simpliciter et absolute dicitur dari, accipi, venire, haberi Spiritum s., semper primario et praecipue intellegitur interior sanctificatio per Spiritum s., a.v. dona gratiae sanctificantis et virtutum [2]. Praeterea omnibus Christi fidelibus promissus erat Spiritus s. ad abundantem sanctificationem [3]; quum igitur postea legitur, baptizatis infundi Spiritum s., primario ad effectum praesignificatum infundi credendus est.

Ad *secundum*. Quum uberior effusio Spiritus s. cunctis fidelibus, non coaevis apostolorum tantum, promissus esset, illico praesumendum est ritum, qui ad communicandum Spiritum s. adhibetur, perenniter institutum esse. Deinde sensus obvius textuum supra laudatorum hic est, effusionem Spiritus s. per manus impositionem pertinere ad perfectam initiationem christianorum [4], proinde esse rem ordinariam, stabili ratione institutam. Ceterum quid perenniter institutum sit in ecclesia, quid non, ex traditione potissimum constare debet.

Simul vides, merito reprobatum esse in decreto *Lamentabili* prop. 44: „Nihil probat ritum sacramenti Confirmationis usurpatum fuisse ab apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, Baptismi scil. et Confirmationis, haud spectat ad historiam Christianismi primitivi".

[1] *I Cor.* 12, 19—30: „Numquid omnes prophetae; numquid omnes doctores; numquid omnes virtutes; numquid omnes gratiam habent curationum; numquid omnes linguis loquuntur; numquid omnes interpretantur?" — [2] *Jo.* 7, 37—39; *Rom.* 5, 5; *I Cor.* 2, 12; 3, 16; *Gal.* 5, 22; *I Thess.* 4, 8. — [3] *Jo* 7, 37—39; cfr. 14, 16; 15, 26; 16, 7; *Act.* 2, 17, 38. — [4] Quod confirmatur ex *Hebr.* 6, 1—2 ubi doctrina de impositione manuum una cum doctrina de Baptismo „ad inchoationem Christi" refertur.

245 2°. Ex *Traditione.* — Sacramentum nostrum insinuant s. THEOPHILUS ANTIOCH. scribens: „Certe nulla alia ex re christianorum nomen traximus, quam quod divino oleo perfundimur" [1]; THEODOTUS, qui in ritu initiationis gnosticorum manus impositionem; s. IRENAEUS, qui apud eosdem opobalsami unctionem memorant, quas illi haeretici ab ecclesia catholica retinuisse videntur [2]; CLEMENS ALEX., qui refert, s. Joannem ap. juveni cuidam non solum Baptisma dedisse, sed etiam in perfectum tutamen „sigillum Domini" praebuisse [3]; quum etiam alibi „beatum sigillum" in eodem censu cum „benedicto Baptismate" numeret [4]. — Sequuntur testimonia magis diserta.

246 TERTULLIANUS postquam dixit, hominem in aqua Baptismi „emundari" et „Spiritui s. praeparari", prosequitur: „Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione.... Carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo et ipsius Baptismi carnalis actus quod in aqua mergimur, spiritalis effectus quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum s." [5]. Alibi de rom. ecclesia dicit, quod fidem „aqua signat, s. Spiritu vestit, Eucharistia pascit" [6].

S. HIPPOLYTUS, verba Susannae „afferte mihi oleum" mystice exponens dicit: „Quid est hoc oleum, nisi sit virtus Spiritus s., quibus post lavacrum veluti chrismate unguntur credentes" [7].

S. CYPRIANUS, narratis iis quae supra ex *Act.* 8 deprompsimus addit: Quod „nunc quoque apud nos geritur, ut qui in ecclesia baptizantur praepositis ecclesiae offerantur, et per

---

[1] *Ad Autolic.* l. I, c. 12. — [2] CLEM. ALEX., *Excerpta ex Theodoto*, 22; s. IRENAEUS, *Adv. haer.* I, 31, 3—4; cfr. PROBST, *Sakram.* p. 160; SCHANZ, *Lehre v. d. h. Sacram.* p. 287. — [3] *Quis dives*, 42. — [4] *Strom.* l. II, c. 3. — [5] *De bapt.* 7—8; cfr. *De resurr.* 8. — [6] *Praescript.* 36. — [7] *In Daniel*, I, 16 (ED. BONWETSCH, p. 26).

nostram orationem et manus impositionem Spiritum s. consequantur et signaculo dominico consummentur" [1]. — Alibi scribit: „Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto chrismate i. e. unctione esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit" [2].

S. CORNELIUS papa de Novatiano in infirmitate baptizato scribit: „Neque postquam liberatus est a morbo reliqua percepit, quae juxta ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab episcopo consignatus est; hoc autem signaculo minime percepto quo tandem modo Spiritum s. potuit accipere?" [3].

FIRMILIANUS CAESAREEN.: „Omnis potestas et gratia in ecclesia constituta est, ubi praesident majores natu, qui et baptizandi et manum imponendi et ordinandi possident potestatem" [4].

S. CYRILLUS HIER. integram catechesim conscripsit de s. chrismate, de quo v.g. dicit: „Quod quidem symbolice fronti aliisque sensibus tuis illinitur. Ac dum unguento visibili corpus inungitur sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur" [5].

S. AMBROSIUS: „Ascendisti [post Baptismum] ad sacerdotem; considera quid secutum sit. Nonne illud quod ait David: Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aäron . . . Accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum s. timoris: et serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus dominus, et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis" [6].

S. CHRYSOSTOMUS: „Philippus unus erat ex septem [diaconis], ideo cum baptizabat Spiritum s. baptizatis non dabat, neque enim potestatem habebat. Igitur haec erat apostolorum praerogativa; unde et coryphaeos, non alios, hoc facere videmus" [7].

---

[1] *Ep. 73 ad Jubaj.* n⁰ 9. — [2] *Ep. 70 ad. Januar.* n⁰ 2. — [3] Apud EUSEB., *H. E.* VI, 43. — [4] *Inter Epp. Cypriani,* Ep. 75, n⁰ 7. — [5] *Cat. mystag.* 3, 3. — [6] *De myst.* 6, 29; 7, 42. — [7] *In Act. apost.* hom. 18, n⁰ 3.

S. HIERONYMUS docet, „hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a majoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem Spiritus s. manus impositurus excurrat" [1].

S. AUGUSTINUS: „Sacramentum chrismatis, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus .... Discerne igitur visibile sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, ab invisibili unctione caritatis, quae propria bonorum est" [2]. — Alibi postquam dixit, Christum, non apostolos dedisse Spiritum s., prosequitur: „Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant ... Quem morem in suis praepositis nunc servat ecclesia" [3].

247 *Corollarium.* Quia Confirmatio verum sacramentum est, a Christo institutum esse debet; sed quum Scriptura factum institutionis sileat, dici nequit, qua occasione aut quo tempore institutum sit. S. THOMAS [4] opinatur, „quod Christus hoc sacramentum instituit non exhibendo, sed promittendo secundum illud: „Si non abiero Paraclitus non veniet ad vos", cet.; plures probabiliter assignant tempus post resurrectionem, quando Dominus per quadraginta dies conversabatur cum apostolis, „loquens de regno Dei" [5]. — Quodsi in *Cat. conc. trid.* Fabianus pontifex testatur, Christum in ultima coena confectionem chrismatis apostolos docuisse, sciendum est, hanc auctoritatem, sicut plures aliae (Clementis, Melchiadis), quae ibi afferuntur, ex falsis decretalibus esse desumptam [6].

Art. II.

DE CONFIRMATIONIS PARTIBUS.

248 I. **Ritus praescriptus.** *Pontificale rom.* haec habet: Episcopus „extensis versus confirmandos manibus" dicit orationem

[1] *Adv. Lucif.* n⁰ 9. — [2] *C. litt. Petil.* II, 104, n⁰ 239. — [3] *De Trin.* XV, **26,** 46. — [4] *S. Th.* **72,** 1 ad 1. — [5] *Act.* **1,** 3. — [6] *Cat. conc., trid.* p. II, c. 3, n⁰ 10, cfr. n⁰ 3, 5, 6, 7.

„Omnipotens Deus", cet., postea „summitate pollicis dextrae manus, chrismate intincta, dicit: *N. signo te signo crucis*, quod dum dicit producit pollice signum crucis in frontem illius, deinde prosequitur: *Et confirmo te chrismate salutis in nomine P. et F. et S. s.*" cet. — At in *Appendice* editionis typicae rubrica paulo explicitior est; legitur enim: „dum hoc dicit, *imposita manu dextera super caput* confirmandi, producit pollice signum crucis," cet. [1].

Euchologium graecorum ita habet: „Post hanc orationem ungit baptizatum sacro myro, faciens signum crucis in frontem et oculos et nares et os et duas aures et pectus et manus et pedes dicens: *Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου, ἀμήν* [2]. Et nihil ultra.

Etiam aliae ecclesiae orientales praeter frontem plures alias partes ungunt, numquam tamen frontem omittunt.

II. **Quaestio theoretica,** in quo praecise consistat materia 249
et forma *essentialis* Confirmationis, ab aliis aliter solvitur: praecipua breviter referam [3].

1⁰. Alii (Sirmondus, Habert, cet.), considerantes in *Act. apost.* solam manus impositionem cum oratione memorari, putarunt ritum essentialem Confirmationis adaequate inveniri in *praevia illa extensione manuum* versus omnes confirmandos simul et *correspondente oratione*, qua Spiritus s. invocatur.

Haec autem opinio, quatenus asserit, ritum descriptum etiam hodie vel solum essentialem esse, vel saltem ad essentiam pertinere, certo falsa est. Ut enim alia praetereamus, *s. Cong. de prop. Fide* die 6 Augusti 1840 declaravit, „non esse repetendam sub conditione Confirmationem", in qua illa manuum protensio praetermissa fuerat. Praeterea graeci hanc caeremoniam non habent et nihilominus certo valide confirmant.

[1] *Pontif. rom.* Ed. typica (1888) P. I, p. 3 et *Append.* p. 63. — [2] *Euchol.* (Romae 1873) p. 158. — [3] Cfr. HACKELBERG-LANDAU, *Archäol.-liturg. Unters. über Materie u. Form der Firmung* (1898).

250 2°. Alii (Tapper, Estius, Mayer [1]) posuerunt, *tum* solam manus impositionem cum oratione ut supra (aut alia aequivalente), *tum* solam chrismationem cum forma correspondente per se ad valorem sufficere. — Dicunt: ab una parte apostoli solam manus impositionem adhibuerunt; et nonnulli veteres scriptores aut solam manus impositionem memorant, aut chrismationem a manus impositione omnino sejungere, imo hanc solam (cum crucis efformatione nuda manu facta) episcopo tribuere videntur [2]. Ab alia parte, aiunt, graeci et ecclesia latina sequioris aetatis solam chrismationem requirere videntur.

Porro si haec sententia ita intellegatur, ut quilibet episcopus salvo sacramenti valore aut manus impositionem aut chrismationem eligere semper possit, certo rejicienda est. Quod si ita sumatur ut, praesupposita generica tantum determinatione ritus per Christum, ponat, ecclesiam pro diversitate loci et temporis materiam et formam diversimode specificasse, et ita secundum legitimam specificationem ecclesiae diversis temporibus diversa fuisse ad valorem sacramenti requisita, eam improbabilem dicere non auderem. Et ita nuper opinatus est A. de Smet [3], qui nitens disquisitionibus historicis p. Galtier [4] docet, primitus materiam Confirmationis fuisse solam impositionem manus, formam vero orationem invocatoriam Spiritus s., qualis etiam nostris diebus habetur sub praevia extensione manuum versus omnes confirmandos. Impositioni manus inde a fine saeculi II adjecta est, ut ritus secundarius, consignatio frontis confirmandi, sed absque unctione,

[1] *Gesch. des Katechumenats* (1868), p. 179 seq. — [2] Cfr. TERTULL. *De bapt.* 7—8; s. AMBROS. *De myst.* 6, 29; 7, 42; *Lib. de Sacram.* II, 24; III, 8; *Can. Hippol.* 133—140; *Conc. Arausic. I*, can. 2 (HEFELE, *Conciliengesch.* II², p. 292); *Conc. Arelat.* can. 27 (l. c. p. 302). — [3] *Tract. dogm. mor. de Sacr. in gen., bapt. et conf.* n° 368 seq. — [4] *La consignation à Carthage et à Rome*, in *Rech. de Science relig.* 1911, p. 350 et *La Consignation dans les Églises d' Occident* in *Rev. d' hist. ecclés.* 1912, p. 257; cfr. etiam p. 450 et 467.

quae saltem in Occidente ante saeculum IV in Confirmatione non obtinuit. Inde vero a saeculo IV (auctore Silvestro papa?) invaluit chrismatio, i. e. consignatio confirmandi cum s. chrismate, cui deinceps accessit forma propria. Et auctoritas ecclesiae signum sacramentale ita immutavit, ut prima manus impositio cum sua oratione quae originarie erat ritus essentialis, jam facta sit mere caeremonialis, chrismatio autem (aut per se sola, aut cum illa manus impositione, quam continet) cum forma correspondente evaserit essentialis.

3°. Denique sententia communior habet: 251

A. *materiam* essentialem esse et semper fuisse *chrismationem simul cum manus impositione;* quod tamen ita intellegendum est, ut non requiratur alia manus impositio praeter eam, *quae in chrismatione* frontis, ipsa immediate manu episcopi facta, *per se continetur.* Unde ab hac sententia reapse non discrepant illi, qui solam chrismationem, sed manu episcopi in frontem factam, disertis verbis requirunt[1]. — Observa tamen aliud esse, non requiri per se aliam manus impositionem praeter eam, quae chrismatione continetur, aliud in nullis adjunctis ad essentiam pertinere potuisse manus impositionem a chrismatione distinctam eique praeviam.

a. *Chrismationem* ad essentiam sacramenti pertinere *probatur* ex eo, quod ab antiquis temporibus omnes fere patres unctionem memorant, et ita quidem ut ei effectum attribuant. Plures, imprimis orientales, sacramentum nostrum diserte „sacramentum chrismatis," vel „unctionis", aut simpliciter „chrisma" vocant. Item omnia ritualia etiam vetustissima unctionem aut solam diserte injungunt aut simul cum manus impositione praescribunt. *Decret. ad Armenos* habet: „Se-

[1] Ita v. g. s. Thomas, qui *S. Th.* III, 72, 2 et 9 et in opusc. *De eccl. sacramentis* solius chrismationis in fronte meminit, sed alibi (*In IV Sent.* d. 24, q. 1, a. 3, ad 1; *S. Th.* III, 84, 4 c.; *S. c. G.* IV, 60) etiam manus impositionem requirit.

cundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo et balsamo" [1].

Neque certum est, apostolos, solam manus impositionem adhibuisse; conjicere licet in *Act.* partem pro toto nominatam esse, et ritum ex manus impositione et chrismatione compositum primitus nomen habuisse ab elemento magis conspicuo, quod erat impositio manus.

Quinimo attenta antiquissima traditione, quae chrismationem aperte testatur, haec conjectura positiva probabilis est; undenam enim unctio ita universaliter jam tunc obtinuisset, nisi ab apostolis accepta esset? Praeterea plures probabiliter opinantur, unctionem etiam in Scriptura insinuari: „Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris" et: „Vos unctionem habetis a sancto.... unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis" [2]. Concedendum tamen est, hos textus convenienter omnino de sola invisibili unctione Spiritus s. intellegi posse.

252 Unctionem faciendam esse *in formam crucis*, habes ex s. Cypriano, qui dicit baptizatos manus impositione et „signaculo dominico" consummari; unde intelleguntur Tertullianus: „manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum s.", s. Cornelius, s. Ambrosius, ipse iterum Tertullianus, cet., qui „consignationem", „signaculum", „signaculum frontium" memorant [3].

253 Semper adhibitam fuisse materiam *benedictam*, insinuat Tertullianus: „Egressi de lavacro perungimur benedicta unc-

[1] Cfr. DENZ. 697. — [2] *II Cor.* **1**, 21—22; *I Jo.* **2**, 20; 27. — Non desunt qui sentiunt, apostolos ex privilegio sola manus impositione Spiritum s. dedisse, aut eos tunc tantum unctionem adhibuisse, quando solam gratiam sine donis exterius apparentibus communicabant (cfr. *S. Th.* III, **72**, 2 ad 1); quae sunt merae conjecturae. — [3] Cfr. supra n° **246** et TERTULL., *Adv. Marcion.* III, 22.

tione", et apertius dicunt s. Cyrillus hier.: „Sanctum unguentum non amplius commune unguentum est post invocationem" [1], et s. Basilius: „Consecramus aquam baptismatis et oleum unctionis. Ex quibus scriptis? Nonne ex tacita secretaque traditione?" [2]. *Canon. Hipp.* „oleum *εὐχαριστίας*" [3], *Testam. d. n. J. C.* „oleum, super quod gratiarum actio recitata fuit", memorant [4]. Innocentius I explicite meminit chrismatis, „quod ab episcopo fuerit consecratum" [5].

b. Etiam *manus impositionem* ad essentiam pertinere, *probatur* tum testimonio Scripturae, tum multiplicibus effatis patrum latinorum, qui manus impositioni non secus quam unctioni, imo magis quam unctioni, effectum sacramentalem tribuunt. Nec obstat, quod patres graeci fere universi [6], et multae auctoritates latinae sequioris aetatis eam taceant; dato enim non aliam requiri manus impositionem praeter eam, quae in ipsa chrismatione continetur, res satis facile explicatur; et simul habes rationem quare theologi concorditer exigunt, ut chrismatio ipsa manu episcopi, non instrumento, perficiatur. — Ceterum ecclesiam latinam posteriorem solam chrismationem diserte nominando, semper intellexisse talem unctionem, quae fiat per manus impositionem, constat ex s. Beda, Rabano Mauro, Ratramno, Amalario, Hugone victorino [7], Innocentio III [8], confessione fidei Michaelis palaeologi [9], cet. **254**

Hinc etiam explicari potest *Decr. pro Armenis*, quod laudata historia *Act.* 8 prosequitur: „loco autem illius manus impositionis datur in ecclesia confirmatio" [10]. Sensus enim non

---

[1] *Cat. mystag.* 3, 3. — [2] *De Spir. s.* c. 27. n° 66. — [3] N° 133. — [4] Ed. Rahmani, p. 129. — [5] Cfr. DENZ. 98. — [6] Nihilominus Firmilianus caesareens. aperte manus impositionem memorat, s. Chrysost. eam saltem insinuat; cfr. supra n° 246. Etiam *Testamentum d. n. J. C.* (l. c. p. 131) et *Const. apost.* (III, 14; VIII, 28) eam diserte habent. — [7] Locos vide apud SASSE, *De Sacr.* I, p. 274. — [8] *Decretal.* l. I, t. 4, c. 4; t. 15. c. 1. — [9] DENZ. 465. — [10] DENZ. 697.

est ritui apostolico alium ritum esse substitutum, sed eundem ritum, qui primitus manus impositio dicebatur, postea Confirmationem esse vocatum.

255 **B.** De *forma* Confirmationis in Scriptura nihil habetur, nisi quod apostoli dicuntur orasse pro iis, quibus manus imponebant. Ex hoc textu atque ex effatis patrum, qui orationem episcopi memorant, nonnulli probare voluerunt, formam primitus deprecativam fuisse; quod saltem non constat, nam quaelibet forma, etiam assertoria, latiori sensu oratio dici potest.

Dato autem quod chrismatio cum impositione manus, quam includit, sit vera materia Confirmationis, consequens est, formam essentialem contineri *verbis, quae chrismationem comitantur;* igitur apud latinos verbis: „Signo te.... Spiritus s.", apud graecos verbis: „*Σφραγὶς*" cet.

Forma graecorum primo memoratur [1] circa medium saec. V; in ecclesia latina Innocentius I († 417) ad Decentium ep. eugubinum scribit: „Verba [Confirmationis] dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere" [2].

Formae graeca et latina quoad summam sententiae conveniunt; utraque enim edicit: confirmari, roborari, proinde augeri gratiam baptismalem. Graeci dicunt: [hac unctione tibi datur] „sigillum doni Spiritus s."; atqui donum i. e. gratiam Spiritus s. sigillare nihil aliud est, quam eam habenti confirmare, firmiorem et stabiliorem reddere, utique augendo [3]. Siquidem obsignare foedus vel amicitiam idem est ac eam firmiorem reddere. Latini diserte dicunt: hac crucis signatione

[1] Scil. in vulgato can. 7 conc. Cp. I, qui tamen non est hujus concilii, sed videtur esse excerptum ex epist. ecclesiae Cp. ad Matyrium ep. antiochenum. Cfr. HEFELE, *Conciliengesch.* II², p. 26—28. — [2] Cfr. DENZ. 98. — [3] Hinc RAJEWSKY, in *Euchol. der Orthodox-Kathol. Kirche*, vertit: „Besiegelung der Gabe des h. Geistes".

confirmaris (in gratia accepta) per unctionem Spiritus s., nam „chrisma salutis" metaphorice unctionem s. Spiritus significat.

Tum in ecclesiis orientalibus, tum in antiqua ecclesia latina 256
(n. p. ante saec. XII) etiam aliae formae obtinuerunt, quae tamen plerumque clarius obscurius eandem sententiae summam exprimebant [1]. Difficultatem faciunt formae *Sacrament. Gelasiani* et antiqui *Ms. Bellovac.*: „Signum Christi in vitam aeternam"; et magis adhuc formae *Sacram. Gregoriani* et *Ordinis romani VII:* „In nomine P. et F. et S. s.; pax tibi" [2]. Supposito autem quod hae formae reapse ita adhibitae fuerint, dicendum puto, eas non fuisse formas adaequatas, sed partiales tantum. Quum chrismationi seu consignationi, quam verba praedicta comitabantur, praecederet manus impositio cum oratione Spiritum s. diserte invocante, haec oratio in illis adjunctis ut pars potior formae consideranda est. Quemadmodum enim sola chrismatio (manus impositionem includens) ad valorem sacramenti sufficit, quando ei forma satis significativa adjungitur, ita praevia manus impositio cum oratione correspondente ad valorem necessaria est, quando verba

[1] Exempla sint: *Test. d. n. J. C.* (p. 131): „Ungendo ungo te in Deo omnipotente, in Christo Jesu et in Spiritu s., ut sis operarius habens fidem perfectam et vas ipsi gratum." — *Jacobitae*: „Chrismate sancto, suavitate odoris Christi, signaculo verae fidei, complemento doni Spiritus s. signatur N. in nomine P. et F. et S. s." — *Maronitae*: „Chrismate Christi Dei, suavi verae fidei odore, sigillo et complemento gratiae Spiritus s. obsignatur N. servus Dei in nomine P." cet. — *Coptae:* „In nomine P. et F. et S. s.; unctio gratiae Spiritus s. Amen" (apud HEINRICH-GUTBERLET, *Dogm. Theol.* IX p. 402—3). Antiquum *Rituale pictaviense:* „Signet te Deus sigillo fidei suae in consignatione fidei, in nomine P. et F. S. s.". Alias vide apud MARTÈNE, *De ant. eccles. ritibus*, l. I, c. 2, a. 4. (Ed. Rotomagi 1700, I, p. 249 seq.) — [2] Cfr. MARTÈNE, l. c., p. 250, 251; MABILLON, *Mus. ital.* II, p. 83; DUCHESNE, *Orig. du Culte*, p. 315. — De *Sacramentariis* et *Ordin. rom.* vide DUCHESNE, l. c. p. 120 et 146.

chrismationem comitantia, per se sumpta, effectum sacramenti non satis significant [1].

Theologi qui tenent, materias et formas omnium sacramentorum in specie infima a Christo esse determinatas, diversas formas historicas inter se comparant, ut ita elementa essentialia discernant. Consultius videtur admittere, saltem formam Confirmationis non nisi generice a Christo determinatam esse, et ita ad valorem sacramenti in qualibet ecclesia propriam formam esse observandam. Sane si Christus, non dico singula verba, sed saltem sententiam stricte determinatam praescripsisset, undenam tanta differentia?

257 III. **Quaestio practica.** Post varietatem opinionum supra expositam, opportunum videtur breviter comprehendere ea, quae *hodie in ecclesia latina requiruntur, ut sacramentum Confirmationis certo valide ministretur.*

Porro ut omne dubium de valore sacramenti excludatur, requiritur:

1°. Ex parte *materiae remotae:* chrisma, i. e. oleum olivarum, admixto balsamo, ab episcopo speciali benedictione consecratum.

Admixtionem balsami et benedictionem *specialem* episcopi necessarias esse ad valorem non est omnino certum; item non improbabile videtur, benedictionem ex speciali delegatione summi pontificis fieri posse a presbytero [2]. Graeci praeter balsamum multas alias substantias odoriferas oleo admiscent [3]. — Probabile videtur, speciales determinationes de compositione et benedictione chrismatis esse ab ecclesia.

2°. Ex parte *materiae proximae*: unctio chrismatis in formam crucis facta in fronte per ipsam manum episcopi impositam.

[1] Forsan eodem modo explicari posset ritus, quem exhibent *Can. Hippol.* 136—140. — [2] Cfr. LÖFFLER, *Die Weihe der h. Oele, hist. u. liturg. beleuchtet,* in *Der Katholik,* 1885. — [3] *Euchologium* (Ed. Rom. 1873), p. 327.

Usus habet, ut episcopi, dum pollice frontem cruce signant, reliquam manum capiti confirmandi imponant; sed moraliter certum est, extensionem et tactum reliquae manus non esse de valore, sed ipsam signationem in frontem pollice factam sufficientem manus impositionem continere [1].

3°. Ex parte *formae*: verba: „Signo te.... Spiritus sancti". — Sententiae siquidem theologorum, qui putant nonnulla verba sine valoris dispendio posse omitti, practica probabilitate carent.

Art. III.

DE CONFIRMATIONIS EFFECTIBUS.

Effectus hujus sacramenti sunt *character* [2], de quo jam satis dictum est in prima sectione, et *gratia* [3].

1°. Sacramentum Confirmationis confert *augmentum gratiae* 258
sanctificantis. Sane tum Scriptura tum traditio Confirmationem exhibent ut complementum et consummationem ejus, quod in Baptismate coeptum est. Quum igitur in Baptismo gratia s. Spiritus jam accipiatur, remanet, fructum Confirmationis esse abundantiorem infusionem gratiae et donorum s. Spiritus. Copiosior gratiae inusio exprimitur tum per pinguedinem olei, quo perungimur, tum per impositionem manus, quae copiosum gratiae effectum significare solet [4], tum denique per verba formae, ut supra jam diximus.

Quodsi quidam patres antiqui dicunt, in Baptismo peccata quidem remitti, sed non infundi s. Spiritum [5], modus loquendi

[1] Cfr. BENED. XIV, Encycl. *Ex quo primum*, (1 Martii 1756) § 52; s. ALPHONS. *Theol. mor.* l. VI, n° 164; LEHMKUHL, *Theol. mor.* II, n° 92—94. — [2] *S. Th.* 72, 5—6. — [3] L. c., 7. Cfr. UMBERG, *Der Moderne Katholik und die Firmungsgnade*, in *Stimmen*, 1911, T. 80, p. 524 et *Zeits. f. k. Theol.* 1915 p. 675. — [4] Cfr. *S. Th.* III, 84, 4, c. — [5] V. g. TERTULL., *de Bapt.* 6.

satis explicatur ex Scriptura, quae saepius ablutionem peccatorum Baptismo, Spiritum s. Confirmationi tribuit [1]. Nihilominus certe non ita intellegendi sunt, ac si in Baptismo nulla daretur s. Spiritus gratia. Nonne Scriptura regenerationem baptismalem s. Spiritui tribuit tamquam causae principali; nonne s. Paulus docet, Christum ecclesiam suam sanctificare per lavacrum aquae [2]? Igitur sensus est, non dari in Baptismo Spiritum s. ea plenitudine et ubertate, quae faciat christianum perfectum.

259 2°. Porro augmentum gratiae et donorum s. Spiritus, quatenus dantur in Confirmatione, ordinantur „ad robur spirituale, quod competit perfectae aetati" [3], n.p. *ad hoc ut* confirmatus, omni timore excusso, *fidem suam audacter profiteatur coram hominibus*, tum in adjunctis ordinariis: viriliter ferendo opprobrium Christi, quod a vita vere christiana vix umquam exsulat [4]; tum in adjunctis plus minusve extraordinariis: persecutiones et mortem propter causam Christi subeundo. Huc spectant tum balsamum, quod fragrantia sua bonum odorem Christi symbolizat [5]; tum consignatio frontis, significans quod confirmatus nomen Christi manifeste et absque metu et verecundia confiteri debeat [6]; tum denique caeremonia alapae [7], qua docemur nos milites Christi fieri, ad vim et injurias non inferendas sed perferendas.

Gratiam Confirmationis reapse ordinari ad fidem intrepide confitendam coram hominibus, *probatur* ex eo, quod Spiritus s. in die pentecostes apostolis inprimis contulit virtutem, qua facti sunt testes impavidi nominis Christi [8]. Siquidem Spiritus s., non solis apostolis sed cunctis Christi fidelibus promissus,

---

[1] *Act.* 2, 38; 22, 16; *Heb.* 10, 22 et *Act.* 8, 15—16; 19, 5—6. — [2] *Jo.* 3, 5; *Eph.* 5, 26. — [3] *S. Th.* III, 72, 2 c. — [4] *II Tim.* 3, 12: „Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur". — [5] Cfr. *II Cor.* 2, 15. — [6] *S. Th.* l. c., 9. — [7] Cfr. *Der Katholik*, 1869, I, p. 55. — [8] Cfr. *Act.* 1, 8; *Luc.* 24, 49.

omnibus servata proportione ad eundem finem confertur, quamvis mensura valde dissimili. Hinc *Decr. ad Armenos*: „Datur [in Confirmatione] Spiritus s. ad robur, sicut datus est apostolis in die pentecostes, ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen" [1].

3⁰. Quum autem homo ad fidem ore et opere profitendam multis indigeat, per totum vitae decursum, gratiis actualibus, deputatio ad militiam Christi, in charactere Confirmationis subjectata, nobis est titulus perpetuus ad *auxilia actualia, opportuno tempore accipienda.*

Scholion. *De initerabilitate Confirmationis.* — Ratione **260**
characteris sacramentum Confirmationis, semel valide collatum, repeti nequit, etiam si fuerit per episcopum haereticum aut schismaticum ministratum.

Facile intelleges eos antiquos, qui Baptismum extra ecclesiam collatum invalidum habuerunt [2], de Confirmatione non mitius judicasse. Statim sequitur in nonnullis ecclesiis particularibus olim obtinuisse usum, Confirmationem haereticorum et schismaticorum repetendi; sed modum excesserunt quidam eruditi asserendo, universam ecclesiam veterem hanc consuetudinem esse secutam [3].

Sane s. STEPHANUS usum ecclesiae rom. testatur dicens: „Si quis a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam" [4]. Haec autem manus impositio „in poenitentiam", quidquid s. Cyprianus de ea judicaverit, non est Confirmatio

[1] Cfr. DENZ. 698. — [2] Cfr. supra n⁰ **124** seq. — [3] Legi meretur SALTET, *Les Réordinations* (1906), ubi etiam de Confirmationis reiteratione agitur (sed cfr. KERN in *Zeits. f. k. Th.* 1907, p. 507 et *Rev. Bened.* 1907, p. 562) et M. JUGIE in *Échos d' Orient*, t. IX, (1906) p. 65; *Lubeck, Die Wiederfirmung in der griechisch-russischen Kirche*, in *Der Katholik*, 1915, II, p. 198. — [4] DENZ. 46.

sed reconciliatio cum ecclesia. De eadem reconciliatione postea scribit INNOC. I: „Arianos conversos ad Dominum sub imagine poenitentiae ac s. Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus" [1]. S. AUGUSTINUS absolute docet, Confirmationem haereticorum esse validam [2]; idem saltem de Confirmatione Donastistarum testantur s. OPTATUS MILEV. [3] et s. AVITUS VIENNENS. [4] (fl. c. 500). THEODORETUS dicit sancitum esse, ut revertentes ex Novatianis inungantur, quia Novatiani baptizatis s. chrisma non praebebant [5]. Gregorius Barhebraeus refert decretum Joannis, patriarch. Jacobitarum jubentis, ut baptizati ab haereticis in reconciliatione chrismate consignentur, si chrismate perfecti nondum sint [6]. S. GREGORIUS M. refert: „Ab antiqua patrum institutione didicimus, ut quilibet apud haeresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad s. ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris ecclesiae revocentur. Unde arianos per impositionem manus occidens, per unctionem s. chrismatis oriens reformat; monophysitas vero et alios ex sola vera confessione recipit" [7].

Hinc ad minus certum est, neque in occidente, neque in oriente confirmationem quorumlibet haereticorum repetitam fuisse.

Ceterum plures textus veram difficultatem faciunt. Sed considerandum est: a. Minime constat, terminos „manus impositio

---

[1] *Ep. 24 ad Alexandrum.* — Dicitur „sub *imagine* poenitentiae," quia homines in haeresi nutriti, ad ecclesiam redeuntes, non subjiciebantur poenitentiae diuturnae ac laboriosae, qua reconciliabantur ii, qui in ecclesia baptizati, postea defecerant. — [2] *De bapt.* V, 20, 27; *c. litt. Petil.* II, 104, 239. — Textus: „Manus autem impositio non sicuti Baptismus repeti non potest, quid est enim aliud nisi oratio super hominem" (*De bapt.* III, **16,** 21), non agit de sacramento Confirmationis. — [3] *De schism. Donatist.* VII, **4.** — [4] *Ep. 24 ad Steph.* (MIGNE, P. L. 59, p. 240). — [5] *Haeret. fabul.* III, 5 (apud SÀSSE, *De Sacr.* I, p. 292). — [6] Cfr. MAI, *Script. vet. nov collect.* T. X, 2, p. 12. — [7] *Epp.* l. XI, Ep. 67.

ad accipiendum s. Spiritum" et „unctio s. chrismatis," ubi in receptione haereticorum occurrunt, semper significare sacramentum Confirmationis; siquidem possibile, imo multorum judicio probabile est, his vocibus saltem aliquando designari caeremoniam, ritui confirmatorio similem, ad symbolizandum in reconciliatione demum infundi *gratiam* sacramentorum, antea cum obice susceptorum. — **b.** In quantum textus revera habent iterationem Confirmationis respicere possunt aut haereticos, qui legitimum confirmandi ritum non observabant, aut haereticos, quorum Baptisma habebatur invalidum. Supra enim diximus a multis, praesertim orientalibus, rejectum fuisse Baptisma haereticorum circa ss. Trinitatem errantium, quia apud eos intentio necessaria desiderari videbatur[1]. Manifestum autem est, invaliditatem Baptismi consequi nullitatem Confirmationis.

Plura invenies v. g. apud Witasse[2], Wirceburgenses[3], Sasse[4], cet.

Corollarium. — Est sententia communis Confirmationem cum obice susceptam, sublato obice, *reviviscere*. Deducitur ex initerabilitate hujus sacramenti. Nam si non revivisceret, confirmatus in statu peccati mortalis nunquam gratiae specialis Confirmationis particeps fieret: quod divinae providentiae repugnare videtur.

Art. IV.

DE CONFIRMATIONIS MINISTRO[5].

I. *Ordinarius Confirmationis minister est solus episcopus.* **261**
— Est *de fide* ex conc. trid.: „S. q. d., s. Confirmationis

[1] Cfr. supra n° **127.** — [2] *De Confirm.* p. 2, q. 2, a. 6. — [3] Tom. V, *de Confirm.* n° 209. — [4] *De Sacr.* I, p. 289. — [5] Cfr. *S. Th.* III, **72,** 11; cfr. Fr. Gillmann, *Zur Lehre der Scholastik von Spender der Firmung und des Weihesakramentes,* 1920.

ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, a. s."[1]. *Probatur:* tum **a.** ex *s. Scriptura*, ubi soli apostoli manus imponunt ad s. Spiritum communicandum; tum **b.** ex *Traditione*, ubi saepe dicitur Confirmationem per episcopos, aut etiam per solos episcopos conferri. Ita s. Cyprianus, s. Cornelius, Firmilianus, s. Chrysostomus, s. Hieronymus, s. Augustinus[2]. Unus addatur s. INNOCENTIUS I: „De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteris sive extra episcopum, sive praesente episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum paracletum"[3]. Confirmatur **c.** *ratione congruentiae*: per Confirmationem aliquis fit christianus perfectus et miles Christi; atqui conveniens est, ut consummatio initiationis christianae per summos sacerdotes, et conscriptio ad militiam christianam per veros duces perficiatur[4].

Porro res ita intellegenda est, ut per se, i. e. salva exceptione statim tradenda, solus episcopus *valide* confirmare possit. Etsi autem quilibet episcopus (i. e. habens characterem episcopalem) quosvis baptizatos valide confirmare possit, ad ministrationem legitimam et licitam etiam jurisdictio requiritur.

262 II. *Extraordinarius minister Confirmationis est presbyter, cui vel jure communi vel peculiari Sedis apostolicae indulto ea facultas concessa sit*[5]. — *Certum* est, quamvis olim plures scholastici dubitaverint, aut contrarium asseruerint. *Probatur* ex *Traditione practica* ecclesiae. **a.** In *Oriente* diu ante Photium, imo ut videtur jam a saec. V (nam omnes sectae conveniunt), usus invaluit, ut presbyteri simul cum Baptismo

[1] *Sess.* **7**, *de Conf.* can. 3; cfr. *Sess.* **23**, cap. 4 et can. 7; et DENZ. 906 et 697. — [2] Cfr. supra n° **246**. — [3] *Cfr.* DENZ. 98. — [4] *Cfr. S. Th.* l. c. et *S. c. G.* IV, **60**. — [5] *Codex Jur. Can.* can. 782.

etiam Confirmationem darent. Qua via haec consuetudo, quae certe non fuit primitiva, incoeperit, non ita liquet; num ab initio legitima ac rata fuerit, disputari potest; sed quum concilia lugdun. II et florentinum (ubi de unione Orientalium agebatur) nihil in eam animadverterint, quum Sedes apostolica validitatem sacramenti nostri apud orientales, sive catholicos sive schismaticos, qui etiam hodie eandem praxim sequuntur, aperte agnoscat [1], sequitur, presbyterum, accedente legitima consuetudine, ac proinde consensu saltem legali summi Pontificis, Confirmationem ministrare posse. — **b.** Incipiendo (quantum scimus) a s. Gregorio M. [2] *plurimi summi pontifices* presbyteris, praesertim missionariis, facultatem confirmandi dederunt [3]; quod etiam hodie observari solet, quoties necessitas postulaverit. Atqui haereticalis impudentiae esset, Sedi apostolicae abjudicare potestatem, qua permulti papae saepissime usi sunt. — Confirmatur **c.** ex *conc. trid.*, quod post Decr. ad Armenos canoni supra laudato, petentibus patribus [4], consulto adjecit vocem „ordinarius." Siquidem declarando solum episcopum esse ministrum ordinarium, aperte adsignificavit, dari etiam extraordinarium.

Observandum autem est, presbyteros confirmantes semper adhibere, etiam apud orientales, chrisma ab episcopo confectum; neque constare videtur de ullo casu, in quo etiam consecratio chrismatis presbytero fuisset commissa.

Scholion. *Quomodo ministerium extraordinarium presbyteri* **263**

[1] Quod Confirmatio presbyterorum *schismaticorum* valida habetur, „ubicumque facultas [confirmandi] non fuit expresse revocata," constat ex *Decr. s. Officii*, 15 Jan. 1766, in *Conc. rec. coll. lac.* VI, p. 569. — [2] *Epp.* l. IV, ep. 26; cfr. ep. 9. — [3] Cfr. PALLAVICINI, *Hist. du Conc. de Trente*, l. IX; c. 7, n° 11: BENED. XIV, *De Syn.* l. VII, c. 7, n° 6; ubi patet, etiam Hadrianum VI, qui doctor privatus censuerat Confirmationem presbytero delegari non posse (*In IV Sent.* d. 7, a. 3) ejusmodi delegationem dedisse. — [4] PALLAVICINI, l. c. et THEINER, *Acta Conc. trid.* I, p. 430, 445, 447.

explicandum sit[1]. — Tria constant: confirmare est actus ordinis; character presbyteralis per se solus non sufficit ad (valide) confirmandum; character presbyteralis per delegationem pontificis mutari aut augeri nequit. Hinc difficulter explicatur, quomodo commissio papae, quae est actus jurisdictionis, efficere possit, ut presbyter fiat minister validae Confirmationis. Solutio probabilior haec est. Ad ministrandum sacramentum Confirmationis ex jure divino requiritur quaedam *dignitas excellens* in ecclesia. Episcopus ratione sui characteris hanc dignitatem habet internam et indelebilem. Presbyter ex charactere suo eam habet aliquo modo, sed deficienter. „Aliquo modo", nam presbyteri cum gaudeant potestate in corpus Christi verum (s. Eucharistiam), quo fideles pascuntur, sunt veri pastores in ecclesia; „deficienter", nam quum potestatem in corpus Domini communicare nequeant, non sunt nisi pastores subalterni[2]. Porro summus pontifex, qui habet plenitudinem totius jurisdictionis in ecclesiam, deputatione sua presbytero praebet extrinsecum augmentum dignitatis, et ita presbyter *primario ex suo charactere*, deinde *per modum cujusdam supplementi etiam ex deputatione papae*, habet *sufficientem dignitatem* ad confirmandum.

Supposita doctrina, quod character sacramentorum non tribuat nisi potentiam moralem[3], haec explicatio videtur sufficiens. Simul vides, quare soli presbyteri, non vero diaconi aut inferiores clerici a summo pontifice delegari queant; deest enim in iis sacerdotium, quod est veluti substantia verae dignitatis in ecclesia.

Disputant theologi, num *spectato solo jure divino*, delegatio *episcopi* sufficeret ad valide confirmandum; sed „quidquid est de hac difficili et valde implexa controversia, omnibus in

[1] Cfr. SUAREZ, *In III partem*, disp. 36, s. 2; LEHMKUHL in *Z. f. kath. Theol.*, 1882, p. 567; PRAXMARER, in *Der Katholik*, 1884, I, p. 271. — [2] Cfr. S. THOMAS, *In IV Sent.* d. 7, q. 3, a. 1, sol. 3. — [3] Supra n^{0} **89.**

confesso est, irritam *nunc* fore Confirmationem a simplici *presbytero latino* ex sola episcopi delegatione collatam, quia Sedes apostolica id juris sibi unice reservavit" [1].

Art. V.

DE CONFIRMATIONIS SUBJECTO [2].

I. Omnis homo baptizatus Confirmationem *valide* suscipere potest. 264

II. Ad susceptionem legitimam, aut saltem *convenientem*, observanda est norma et praxis ecclesiastica.

Usus antiquus habuit, ut Confirmatio immediate sequeretur Baptismum etiam in infantibus; et ita adhuc faciunt orientales. Commendatur ex eo, quod hac ratione efficacius praecavetur, ne aliqui christiani Confirmationem suscipere negligant, ipsique infantes praematura morte abrepti ex ea augmentum gloriae accipiunt. Etsi autem infantes gratia hujus sacramenti nondum indigeant, eam absque dubio recipere possunt, quum aetas corporalis animae non praejudicet, nec quidquam impediat, quominus ad pugnam, postea gerendam, statim armentur.

In ecclesia latina a saec. XIII praevaluit usus Confirmationem differendi, donec baptizati *usum rationis acceperint et rudimenta fidei edocti fuerint*. Quae praxis certe conveniens, imo convenientior est; nam quum infantes hoc sacramento nondum egeant, tum reverentia sacramenti, tum spes uberioris fructus suadent, ut exspectetur, donec subjectum congruentem dispositionem afferre possit. Nihilominus lex universalis, Con-

[1] BENED. XIV, *De Syn.* l. VII, c. 8, n° 7. — [2] Cfr. *S. Th.* III, **72**, 8, 10.

firmationem infantium prohibens, non exsistit, imo episcopi laudabiliter infantes consignant, qui aut in periculo mortis exsistunt, aut secus propter longam episcopi absentiam, sacramento nostro etiam post annos discretionis diutius carerent[1]. Et hac ratione nonnulli episcopi hispani, quando locos dissitos visitant, cunctos infantes confirmare dicuntur.

Quum pugna pro fide Christi adversus respectum humanum non statim completo septennio incipere soleat, quum praeterea ratio habenda sit oneris episcoporum, qui non possunt singulis aut alternis annis totam suam diocesim ambire, aetas qua pueri ad Confirmationem vocandi sunt, latitudinem quamdam patitur[2]. Attamen ex *Cod. Jur. Can.*[3] satis patet, mentem ecclesiae esse, ut praecisis specialibus causis sacramentum Confirmationis post annos discretionis *non diutius* differatur.

III. In adultis ad susceptionem licitam et *fructuosam* requiritur status gratiae (convenientius per sacramentalem confessionem obtinendus) et cognitio rudimentorum fidei[4].

265 IV. De *obligatione* Confirmationis suscipiendae haec. Sacramentum nostrum non est medium stricte necessarium ad salutem, et speciale praeceptum divinum probari nequit. Attamen qui perpenderit, Christum sacramentum, certe non superfluum, instituendo absque dubio ejus usum voluisse, et simul aestimaverit maxima fidei pericula, nostris praesertim diebus undique imminentia, facile sibi persuadebit, eos qui, cum ad Confirmationem accedere commode possunt, id facere praetermittunt, spectato solo jure divino a gravis peccati reatu *vix*

---

[1] Cfr. *Codex jur. can.* can. 788. — [2] Cfr. *Cat. conc. trid.* p. 2, c. 3, n^{0} 18; *Conc. prov. ultraj.*, t. IV, c. 3. — [3] Can. 788. — [4] *Pontif. rom.*, Rubr. de Confirm.; *Conc. prov. ultraj.*, l. c.

excusari [1]. Ceterum jus novum ecclesiae habet: „Nemini licet, oblata occasione, illud [sacramentum Confirmationis] negligere; parochi curent, ut fideles ad illud opportuno tempore accedant"[2].

SECTIO IV.

DE SACRAMENTO SS. EUCHARISTIAE [3].

„Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, **266** sacramentum Eucharistiae instituit, in quo divitias divini sui

---

[1] Cfr. *Conc. prov.* l. c. — [2] *Codex jur. can.* can. 787. — [3] Ex innumeris scriptis, quae ss. Eucharistiam tractant, pauca hoc loco notamus; plura in decursu tractatus laudata invenies. CARD. BELLARMINUS, *De sacram. Eucharistiae*, lib. VI; CARD. DE LUGO, *De vener. sacr. Eucharistiae*, disp. 22; CARD. DU PERRON, *Traité du s. sacrem. de l' Eucharistie*, et: *Réfutation des objections tirées de s. Augustin* Paris, 1633; *La Perpétuité de la foi de l'Eglise cath. touchant l'Eucharistie*, t. I—III ed. NICOLE et ARNAULD, 1669 seq.; t. IV—V ed. RENAUDOT, 1711 seq.; L. ZEELANDER, *Vaste gronden van h. kath. geloove wegens het h. Sacrament des Autaers*, 6 vol. Gandae, 1740 seq.; CARD. WISEMAN, *Lectures on the real presence*, 1836, (*On the principal doctrines*, lect. 14—16) gallice reddidit NETTEMENT, 1843; germanice BRÜHL, 1844; CARD. FRANZELIN, *Tract. de ss. Euch. sacramento et sacrificio*. Ed. 5; M. ROSSET, *De sanct. ac divin. Eucharistiae mysterio*, Camberii 1876; BÉGUINOT, *La très sainte Eucharistie, expos. de la foi des 12 premiers siècles;* 2 vol., Paris, 1903; J. CORBLET, *Hist. dogm. liturg., archéol. de l' Eucharistie;* 2 vol., Paris, 1885; CHARDON, *Hist. d. Sacrements*, l. I, s. 3 apud MIGNE, *Curs. Compl.* t. XX; M. J. SCHEEBEN, *Myst. d. Christenthums*, Ed. 2. 1898, cap. VI; V. ERMONI, *L'Eucharistie dans l' Église primitive*, Ed. 2. 1904; STRUCKMANN, *Die Gegenwart Christi in die h. Eucharistie nach den Schriftl. Quellen der Vor-Nicaenischen Zeit*, 1905; L. LABAUCHE, *Lettres sur la st. Eucharistie*, Paris, 1912; D. COHALAN, *De Sanctissima Eucharistia*, Dublin, 1913; E. HUGON, *La st. Eucharistie*, Paris, 1916;

erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum" [1].

Perfecto memoriale dulcissimum mirabilium Christi, et ipsum cunctorum mirabilium caput.

Nonne inter omnia magnalia quae fecit Deus noster, misericors et miserator, eminent incarnatio Verbi, conversatio Christi in terris, sacrificium crucis? Atqui horum omnium memoriale perenne est ss. Eucharistia, nec nuda tantum memoria, sed veluti extensio et continuatio.

Sicut olim Verbum Patris sub velo humanitatis in terra apparuit, vitamque absconditam duxit in domo Joseph, ita Verbum incarnatum, Deus et Homo, sub speciebus eucharisticis latens, vere nobiscum habitat in tabernaculis ecclesiae, vitam agens absconditam sed vere divinam.

Sicut Christus in decursu vitae publicae urbes et vicos Palaestinae pertransiit benefaciendo, ita Christus eucharisticus, panis vivus et vitalis, singulorum fidelium pectora visitat in s. communione, uberrimos praesentiae suae fructus impertiens.

Denique sicut olim Christus moriendo in cruce, seipsum semel obtulit in sacrificium cruentum ad aeternam redemptionem promerendam, ita quotidie seipsum immolat in altari, ut numquam deficiat populo electo hostia laudis, ut magnum illud redemptionis sacrificium cunctis generationibus praesens sistatur et salutaris ejus fructus quotidie applicetur.

„Et ideo hoc sacramentum est memoriale totius dilectionis suae et quasi compendium quoddam omnium beneficiorum suorum" [2].

„Quid hoc sacramentó mirabilius? in ipso namque panis

A. LEPICIER, *Tract. de ss. Eucharistia*, 2 vol., Paris 1916; C. GUTBERLET, *Das h. Sakr. des Altars*, Ratisb. 1919; M. DE LA TAILLE, *Mysterium Fidei. De Augustissimo Corporis et Sanguinis Christi sacrificio atque sacramento elucidationes*, Paris, 1921.

[1] Cfr. *Conc. trid. Sess.* 13, cap. 2. — [2] S. BONAVENT., *De instit. novit.*, p. I, c.p. II.

et vinum in Christi corpus et sanguinem substantialiter convertuntur!"

„Quid hoc convivio pretiosius? in quo nobis Christus sumendus proponitur verus Deus!" [1].

Quid hoc sacrificio sublimius? in quo incarnatus Dei Filius, „in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in mysterio sacrae oblationis immolatur!" [2].

Nomen. Etsi venerabile sacramentum corporis et sanguinis **267** Domini multis nominibus veniat, theologis prae ceteris solemne est nomen antiquissimum [3] *Εὐχαριστία = gratiarum actio.* Ratio *historica* nominis est gratiarum actio, quam Christus institutioni [4], dehinc ecclesia a priscis temporibus confectioni hujus sacramenti praemisit. Et *convenienter* omnino vetustissima consuetudo nomen, ab oratione praevia desumptum, ad ipsum sacramentum ejusque celebrationem significanda consecravit, nam celebratio hujus mysterii est optima gratiarum actio, quam Deo rependere possumus; quinimo nusquam ecclesia dignas pro benificiis creationis et redemptionis gratias Deo ageret, nisi hoc sacrosanctum mysterium celebraret!

Divisio. Sacramentum Eucharistiae duplici praesertim ex **268** capite a reliquis sacramentis differt, primo quia in eo materia, antequam homini applicatur, substantialiter mutatur (unde etiam confectio hujus sacramenti ab ejus administratione et usu distinguitur), deinde quia confectio hujus sacramenti simul est oblatio veri sacrificii. Igitur in ss. Eucharistia praeter rationem sacramenti, etiam considerandae sunt tum mirabilis illa materiae mutatio, tum ratio sacrificii. Hinc universa materia in tres partes recidit, quarum prima aget de *mysterio realis praesentiae,* secunda de *Eucharistia ut est sacramentum,* tertia de eadem *Eucharistia ut est sacrificium.*

[1] S. THOM. *Opusc. de ss. Sacram.* — [2] S. GREG. M., *Dial.* IV, 58. — [3] Cfr. v. g. *Didachè,* **9,** 5; 14; s. IGNAT. M. *Philad.* **4**; *Smyrn. 7,* **8**; s. JUSTINUS, *Apol. I,* c. 66. — [4] Cfr. *Mt.* **26,** 26; *Mc.* **14,** 22; *Luc.* **22,** 19; *I Cor.* **11,** 24.

CAPUT I.

De mysterio realis praesentiae.

269 **Errores.** I. Circa ss. Eucharistiam erraverunt *Docetae, Manichaei,* alii; deinde saec. IX *Scotus Erigena,* de quo tamen non liquet, utrum realem praesentiam impugnaverit. Saec. XI tum transsubstantiationem tum ipsam realem praesentiam negavit *Berengarius* turonensis, sed post multas tergiversationes errores suos retractavit. Saec. XII in patria nostra *Tanchelmus,* in Gallia meridionali *Petrobrusiani* et *Henriciani.* saec. XIII *Albigenses,* saec. XIV *Flagellantes* mysterium nostrum impugnarunt. Eodem saeculo *Wiclef* saltem transsubstantiationem et forte etiam realem praesentiam negavit.

270 II. Inter reformatores: 1°. **Lutherus** realem praesentiam semper admisit, imo adversus Carlostadium (Andr. Bodenstein) aliosque acriter propugnavit [1]. Attamen exclusa transsubstantiatione docebat: a. substantiam panis ac vini, „rem terrestrem", et corpus Domini, „rem coelestem", „unione sacramentali", copulatas simul adesse in Eucharistia, proinde cor-

[1] Memorabilia sunt quae Lutherus a. 1524 „an die Christen zu Strassburg" scripsit: „Das bekenne ich, dass wo dr. Karlstadt oder Jemand anders vor fünf Jahren mich hätte mögen berichten, dass im Sacrament nichts denn Brot und Wein wäre, der hätte mir einen grossen Dienst gethan. Ich habe wohl so grosse Anfechtungen da gelitten, und mich gerungen und gewunden, dass ich gerne heraus gewesen wäre, weil ich wohl sahe, dass ich damit dem Papstthumb hätte den grössten puff können geben. Ich habe auch zween [n.p. Rhode et Sylvanum, batavos,] gehabt, die geschickter davon zu mir geschrieben haben dann dr. Karlstadt, und nicht also die Worte gemartert haben nach eigenem Dunken. Aber ich bin gefangen, kann nicht heraus; der Text [verba institutionis] ist zu gewaltig da, und will sich mit Worten nich lassen aus dem Sinn reissen" (DE WETTE, *Luther's Briefe,* II, p. 577).

pus Christi ibi esse in pane, cum pane, sub pane: *consubstantiatio*, aut impanatio in sensu latiori [1]. b. Corpus Christi non nisi in vero *convivio*, a *pluribus simul* ad instar ultimae coenae celebrato, et tunc quidem in *solo momento sumptionis* praesens esse. Hac ratione tum missam privatam (i. e. eam, in qua solus sacerdos sacramentaliter communicat), tum universum cultum ss. Eucharistiae proscripsit. Denique c. ad explicandam realem praesentiam asserebat, humanitatem Christi vi unionis hypostaticae realiter participare idiomata divinae naturae, proinde ubique praesens esse: *ubiquismus*. — Et ita quoad substantiam remanserunt dogmata Lutheranorum.

Apprime verum est, ea quae sub b. et c. relata sunt non cohaerere: veritas dimidiata absque inconsequentiis sustineri non potuit.

2⁰. *Zwingli*, Oecolampadius (Hüszgen), Carlostadius (An- 271
dreas Bodenstein), cet., qui **sacramentarii** a Luthero dicebantur, praeter transsubstantiationem etiam realem praesentiam respuerunt. Docebant scil. panem et vinum Eucharistiae nihil aliud esse quam signa aut *symbola corporis* Domini, proinde fideles *spiritualiter* tantum Christum manducare, quatenus celebrando coenam profitentur, se credere in Christum et confidere in mortem ipsius.

Omnes sacramentarii [2] verba institutionis: „Hoc est corpus

[1] Nam in sensu stricto *impanatio* est theoria, secundum quam Christus sibi hypostatice uniret naturam panis et vini, sicut olim Verbum Patris hypostatice sibi univit naturam humanam; incarnatio, impanatio. Hanc doctrinam, quam nonnulli immerito tribuerunt Ruperto tuitiensi (cfr. DOYEN, *Die Eucharistielehre Rupert's van Deutz*), ineunte saec. XIV per modum hypotheseos proposuerat Wilhelmus parisiensis, reclamantibus episcopo et academia. Eadem theoria saepius tribuitur Andr. Osiandro, theologo lutherano, † 1552. Cfr. *Kirchenlex.* in voce: *Impanation*. — [2] Ratio nominis est, quod in Eucharistia nihil agnoscunt praeter sacramentum, i. e. *signum* gratiae; ZWINGLI: „Sacrament in ein Zeichen eins

meum" tropice intellegebant; Oecolampadius vocem „corpus" interpretabatur *„signum corporis"*; Zwingli, quem alii communius sequuntur, asserebat vocem „est" positam esse pro *„significat"*; et „felicem hanc margaritam" exegeticam se ex epistola „cujusdam docti ac pii batavi [Honii = Hoen]" accepisse testatur [1].

3⁰. **Calvinus** quodammodo mediat inter Zwingli et Lutherum. Cum sacramentariis substantialem praesentiam Christi in Eucharistia omnino negabat, sed simul affirmabat fideles, *sumendo symbola* corporis et sanguinis Domini, vere uniri Christo, *vere participes reddi personae, imo corporis et sanguinis ejus.* „Accepto corporis symbolo, non minus corpus etiam ipsum nobis dari certo confidamus... Dico igitur, in coenae mysterio per symbola panis et vini Christum vere nobis exhiberi, adeoque corpus et sanguinem ejus... Error est, corpus Christi sub pane inclusum ore corporeo in ventrem transmitti... Nobis sufficit, Christum e carnis suae substantia vitam in animas nostras spirare, imo propriam in nobis vitam diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro" [2]. — Eandem doctrinam habent *Confess. belgica* [3], et *Cat. heidelb.* [4].

Ipsi reformati proprie dicti, qui etiam hodie placita Calvini sequuntur, concedunt, expositionem magistri sui „non esse ex omni parte claram"[5]. Unionem cum Christo verbis ita urget, ut nonnumquam videatur adstruere unionem substantiae cor-

---

heiligen Dings oder Bild einer unsichtbaren Gnad". *Opp.* (Ed. 1829 seq.) II, 2, p. 195.

[1] Cfr. *Opp.* III, p. 606. — [2] *Instit.* IV, c. 17, n⁰ 10, 11, 15, 32. — [3] Art. 35. — [4] Qu. 75—79. — [5] Cfr. BAVINCK, *Geref. Dogmatiek*, IV, p. 320. Nihilominus ipse cl. BAVINCK non minus ambigue loquitur: „Onder de teekenen van brood en wijn geeft Jesus immers zijn eigen lichaam en bloed te genieten, de avondmaalsdisch brengt een waarachtige gemeenschap tusschen Christus en de geloovigen tot stand eene gemeenschap niet alleen aan de weldaden maar ook en

poris Domini ad nos, quamvis reapse nonnisi *unionem secundum virtutem* intellegat.

Contra alii protestantes summo jure dicunt, doctrinam calvinianam, in *Confess.* et *Cat. Heidelb.* propositam, non esse liberam a contradictione, quum nemo sumendo *symbola* corporis Domini *vero corpori* ejus communicare possit [1].

---

voor alles aan den persoon van Christus, zoowel naar zijne menschelijke als naar zijne goddelijke natuur. Over de realiteit dier gemeenschap is er tusschen Roomsche, Luthersche en Gereformeerde Christenen geen verschil; te dezen opzichte staan zij zamen tegenover Zwingli geschaard. Maar wel verschillen zij onderling over den aard dier gemeenschap en over de wijze, waarop zij in het avondmaal genoten wordt... Calvijn heeft altijd er den nadruk op gelegd, dat de gemeenschap der geloovigen met Christus, ook naar zijn menschelijke natuur, geestelijk is van aard, en dat zij tot stand komt, niet doordat Christus lichamelijk naar beneden daalt, maar daardoor, dat wij geestelijk onze harten opwaarts naar den hemel verheffen, waar J. C. is... Ook bij de Gereformeerden is Christus wel waarlijk en wezenlijk, met zijne goddelijke en menschelijke natuur in het avondmaal tegenwoordig, doch op geen andere wijze dan hij tegenwoordig is in het evangelie... Niet in en onder maar met het teeken schenkt Christus de beteekende zaak, dat is, zich zelven met al zijn weldaden... Tegenwoordig is Hij volgens de Gereformeerden in het avondmaal niet minder, maar veel sterker en waarachtiger dan volgens Rome en Luther; want Hij is tegenwoordig, niet physisch, locaal binnen de teekenen, maar geestelijk, als de handelende Christus zelf, in de harten der geloovigen" (l. c., p. 341—343). —

[1] Hinc v. g. Dr. P. L. MULLER: „Men zou kunnen vragen, hoe men het *ware* en *eigen* lichaam des Heeren *geestelijk* kan eten? en men denkt aan Zwingli's woord: monstrum est orationis. Dezelfde tegenstrijdigheden merkt men ook in den Cat. heidelb. De huivering om het Avondmaal op *Zwingliaansche* wijze te beschouwen heeft den Gereformeerden er toe gebracht, hunne in den grond juiste beschouwing van het Avondmaal als *symbool* voor een deel prijs te geven, om te komen op de luthersche lijn, zonder evenwel de luthersche consequenties te aanvaarden. Juist was het gezien,

273 *Anglicani*, tum qui ad ecclesiam constitutam pertinent, tum qui aliis sectis adhaerent (Dissenters), generatim doctrinam calvinianam sequuntur. Art. 28 sub Elisabeth statutus habet: „.... rite, digne et cum fide sumentibus panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi; similiter poculum benedictionis est communicatio sanguinis Christi. Panis et vini transsubstantiatio... apertis Scripturae verbis adversatur... Corpus Christi datur, accipitur ac manducatur in coena tantum coelesti et spirituali ratione. Medium autem quo corpus Christi accipitur et manducatur in coena fides est." — *Ritualistae* realem praesentiam admittunt, imo rationem sacrificii agnoscunt, sed de transsubstantiatione minus recte sentiunt [1].

274 4°. Hodierni **critici rationalistae** de reali praesentia non amplius disputant, sed plures eo devenerunt, ut dicant, sacram coenam, quam christiani omnes a primis initiis celebrarunt, reapse non esse a Christo ordinatam aut institutam. Comparatis inter se narrationibus synopticorum et s. Pauli statuunt, narrationem s. Marci, quum brevior sit, prae ceteris appropinquare formae primitivae. Quum autem apud Marcum non inveniantur verba: „hoc facite in meam commemorationem", concludunt Christum nullo modo jussisse, ut coena ab ipso pridie mortis habita iteraretur [2]. Ad quaestionem, quid Christus voluerit dicendo: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, cet. Spitta reponit, Christum ideis eschatologicis occupatum

---

dat in het Avondmaal *gemeenschap* geoefend wordt met den Heiland, maar aan de *teekenen* qua tales gaven zij hoogere beteekenis, dan zij als *teekenen* mogen hebben." (*Handb. der Dogmatiek*, p. 261).

[1] Cfr. CAVROIS, in *Nouv. Revue Théol.* 1908, p. 257. — [2] Hisce nimis accedit LOISY, docens, institutionem s. Eucharistiae per Christum *historice* non probari: „Dans ce récit plus court [proto-Marci] rien ne fait prévoir le renouvellement de la cène en dehors du festin messianique dans l'avènement du royaume céleste" (*Autour d'un petit livre*, p. 238).

intellexisse: mox erumpet regnum gloriae, in quo non pane et vino, sed bonis messianicis replebimini; Jülicher autumat, Christum futurae mortis conscium dixisse: panis fractus et vinum benedictum vos admoneant, mortem meam fore fontem benedictionum; Holtzmann asserit, Christum proclamasse novum testamentum in suo sanguine dedicandum, cet. [1] Quodsi rogaveris, quare ecclesia primitiva, nulla Christi jussione fulta, coenam ritualem celebrare coeperit, alii asserunt id necessario factum esse, quia aetas illa sacramenta postulabat; alii respondent, primitivos non celebrasse nisi convivia fraterna, in quibus se mutuo exspectationibus eschatologicis recreabant; hinc vero, frustrata spe parousiae, ortam esse coenam ritualem (Hoffmann) [2]. Omnes vicit A. Andersen contendens, Christum in ultima coena nihil aliud dixisse quam: „Accipite, manducate, — bibite; ex hoc non manducabo — bibam donec," cet. [3].

Probare debemus primo veritatem realis praesentiae, tum ex s. Scriptura (*art. I*), tum ex Traditione (*art. II*); deinde transsubstantiationem (*art. III*). Quibus probatis sequentur expositio eorum, quae fides catholica habet circa modum realis praesentiae (*art. IV*), et explicatio scholastica ejusdem dogmatis (*art. V*).

Art. I.

DE VERITATE REALIS PRAESENTIAE EX S. SCRIPTURA.

Doctrinam catholicam habes ex conc. trid.: „S. q. negaverit, in ss. Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter 275

[1] Cfr. de his C. FRISCHKOPF, *Die neuesten Erörterungen über die Abendmahlsfrage*, 1921; *Dict. de Théol. Cath.* (Vacant-Mangenot) T. V, p. 1024. — [2] Cfr. de his BATIFFOL, *L'Eucharistie dans le nouveau testament, d'après des critiques récents*, in *Rev. Bibl.* 1903, p. 497; et KOCH in *Theol. Quartals.* (Tübingen), 1905, p. 230. — [3] Cfr. *Rev. Bibl.* 1905, p. 135.

et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate d. n. J. C., ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute; a.s." [1]. — Canon directus est contra sacramentarios et Calvinum; particulae *vere* et *realiter* opponuntur praesentiae in signo vel figura sacramentariorum; particula *substantialiter* opponitur praesentiae secundum virtutem Calvini.

276 Argumenta scripturistica hauriuntur ex *Jo.* **6** (verba promissionis); deinde ex *Mt.* **26**, 26; *Mc.* **14**, 22; *Luc.* **22**, 19; *I Cor.* **11**, 23—25 (verba institutionis).

Argumentatio duplici ratione confici potest, aut magis dogmatice, secundum ordinem chronologicum ipsorum *testimoniorum* afferendorum, modo indicatum; aut magis critice, n.p. secundum ordinem chronologicum *documentorum*, in quibus testimonia inveniuntur.

Qui critice procedere voluerit, primo expendet argumentum ex *ep. ad Cor.*, quippe quae a. 53—58 conscripta, ex vulgata criticorum sententia synopticis nostris evangeliis antiquior habetur; deinde tractabit argumentum *ex synopticis*, postremo doctrinam *quarti evangelii* [2]. Fatemur viam, quam criticam vocamus, respectu quorundam adversariorum commendabilem esse; quinimo si rem habeas cum adversario, characterem historicum quarti evangelii pernegante, vix non necessarium erit argumentum ex *Jo.* 6 ultimo loco ponere [3].

[1] *Sess.* **13**, can. 1; cfr. cap. 1 et 3. — [2] Hac ratione procedit BATIFFOL, in *Etudes d'hist. et de théol. posit.*, serie 2. — [3] Qui enim quarto evangelio valorem historicum abjudicant, ponunt in cap. 6 hujus evangelii haberi, non promissionem Christi de Eucharistia instituenda, sed dissertationem aut *elevationem joanneam* de ss. Eucharistia, sub forma conficta promissionis. LOISY: „L'exposition doctrinale ne s'adresse pas aux Galiléens contemporains de Jésus. C'est le commentaire théologique et mystique de la tradition consignée dans les premiers évangiles, offert aux communautés asiatiques" (*Rev. d'hist. et de litt. rélig.* 1900, p. 451).

Nihilominus in libro manuali theologiae systematicae, omnino retinenda est methodus dogmatica, quam proinde sequimur.

§ 1. Verba promissionis[1].

Caput sextum evangelii s. Joannis comprehendit: 1°. *historiam* 277
duorum miraculorum, in qua refertur Christum quinque millia virorum ex quinque panibus et duabus piscibus saturasse[2], eumque deinde ambulando super aquas maris Tiberiadis[3] venisse Capharnaum, ubi altera die ab hominibus miraculose pastis ivenitur (v. 1—25); 2°. *sermonem Christi de pane vitae* (v. 26—60); 3°. *epilogum* ad hunc sermonem de ejus effectu in discipulos atque apostolos (v. 61—72)[4].

Sermo Domini constat duabus sectionibus. In *priore* (v. 26—47) Christus seipsum dicit „panem vitae", „panem Dei, qui de coelo descendit et dat vitam mundo", et ab auditoribus exigit fidem in seipsum, ut pane illo donentur. Quum autem Dominus non determinet, qua praecise ratione sit panis vitae, exegetae et theologi non conveniunt, utrum termini „cibus, qui permanet in vitam aeternam" (v. 27), „panis Dei" (v. 33), „panis vitae" (v. 35), intellegendi sint de cibo in sensu proprio, n.p. de Eucharistia[5], an de cibo in sensu figurato tantum[6]. Salvo meliori censemus, in hac parte „panem

[1] Cfr. TH. PHILIPS, *Die Verheiszung des hl. Eucharistie nach Johannes;* F. S. MUELLER, *Promissio Eucharistiae. Revelaturne Eucharistia Jo. 6: 24—47 ipsis verbis an typis?* in *Gregor.* 1922, p. 161. — [2] Loci parell. sunt *Mt.* **14**, 13; *Mc.* **6**, 32; *Luc.* **9**, 10. — [3] Loci parell. sunt *Mt.* **14**, 22; *Mc.* **6**, 45. — [4] Scil. secundum numerationem *Vulgatae, quam sequor*, nam incipiendo a versu 52 Vulgata editiones graecas uno numero praecedit. — [5] Ita v.g. Toletus, Corluy, Pesch, De Augustinis, Billot, Val. Schmitt, Ermoni, cet.... Argumentum haud spernendum est v. 27: „Cibum,.... quem Filius hominis *dabit* [δώσει] vobis"; cui lectio δίδωσιν (ℵ; B; Tisch. Ed. VIII) non videtur praeferenda. — [6] Ita v.g. Maldonatus, Calmet, Wiseman, Patrizi, Fillion, Schanz, Knabenbauer, Calmes, cet.

vitae" sumi non praecise de Eucharistia, sed *indeterminate* de ipso Christo cum omnibus donis ejus vivificantibus, non exclusa Eucharistia, aut si mavis de Christo ut auctore gratiae sanctificantis (diversis modis conferendae). Reapse Christus in hac parte non exigit ut manducetur, sed ut ad eum veniatur, et in eum credatur (v. 35, 36, 40, 44, 45, 47); similiter judaei de eo tantum murmurant, quod sibi originem coelestem tribuebat (v. 41—42).

In *altera sectione* (v. 48—60) Christus iterum se exhibet ut panem vitae, sed mox determinat, hunc panem esse manducandum, carnem suam esse edendam, sanguinem suum bibendum, cet. Hinc, quamvis olim nonnulli aliter docuerint, *communis et certa* catholicorum sententia est, in hac sectione et imprimis a v. 52 et deinceps promitti ss. Eucharistiam. Protestantes plerique, imprimis antiquiores, id negant, asserentes, panem vitae per totum sermonis decursum figurate intellegendum esse, n.p. de Christo ejusque beneficiis fide suscipiendis. Plures critici rationalistae in tantum nobiscum conveniunt, ut admittant saltem secundam sectionem „dissertationis" joanneae de ss. Eucharistia agere. — Quidquid de interpretatione prioris partis judicaveris, probatio dogmatis catholici sumenda est ex sectione altera, cujus verba praecipua exscribimus.

278 **Textus.** (51) „Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. (52) Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum: et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita [1].

(53) Litigabant ergo judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

(54) Dixit ergo eis Jesus: amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sangui-

[1] Alia lectio: „*καὶ ὁ ἄρτος δε, ὃν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, ἡ σάρξ μοῦ ἐστίν*. Hanc lectionem (ℵ) post Tischendorf (Ed. VIII) et v. Gebhardt, praeferunt Calmes et Batiffol.

nem, non habebitis vitam in vobis. (55) Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. (56) Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. (57) Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. (58) Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me. (59) Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri [manna] et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum".

Argumentum. Quaeritur itaque, utrum haec verba intel- 279
legenda sint in sensu literali de vero cibo, ore sumendo, an de cibo metaphorico tantum. Excluso enim sensu figurato certum erit, Christum promisisse institutionem cibi et potus, qui sint verum ejus corpus et verus ejus sanguis, a. v. eum promisisse institutionem convivii eucharistici in sensu catholico.

Atqui *sensum literalem probant:*

1°. *Ipsi termini,* qui ita comparati sunt, ut veritas carnis manducandae et sanguinis bibendi apertius et energius enuntiari nequeat.

Dicitur: res secundum sensum literalem intellecta est nimis miraculosa! Concedimus, magnitudinem miraculi viro prudenti praebere rationem accuratius investigandi, num forte metaphora lateat; sed negamus internam rei difficultatem quaestionem dirimere. Qui secus judicat, jam non quaerit, quid Christus dixerit, sed ipse a priori statuit, quid dicere non potuerit. — Porro in casu non solum limpiditas verborum, sed tum impossibilitas sensus metaphorici, tum modus agendi auditorum et ipsius Christi omnem suspicionem figuratae locutionis efficaciter excludunt.

2°. *Impossibilitas sensus metaphorici.* Locutio manducare 280
alicujus carnem apud Judaeos, quibus Christus loquebatur, nonnumquam in sensu translato adhibebatur, sed non nisi in

malam partem pro calumniari, odio persequi, perdere[1]. Phrasis „bibere alicujus sanguinem" vix metaphorice adhibebatur et, quum res judaeis maxime exosa esset, nonnisi in symbolum gravissimae vindictae ac poenae adhiberi potuisset[2]. Quum autem absonum sit supponere, Christum metaphoram adhibuisse contra sensum satis obvium et auditoribus notum, sacramentarii asserentes, Christum commendando esum carnis suae et potionem sui sanguinis reapse jussisse, ut fide ipsi in sacrificium offerendo intime adhaereamus, manifesto falluntur. Phrasis „manducare carnem et bibere sanguinem" hujusmodi significationem translatam, certe per se valde abstrusam, numquam habuit[3], proinde in hunc sensum intellegi ab auditoribus non potuit; sicut nec hodie a quovis homine, praejudicatis opinionibus non imbuto, ita intellegeretur! Quare adversarios perstringere possumus hoc dilemmate; Christus *aut* absurditatem protulit dicendo: nisi me odio persecuti fueritis, non habebitis vitam in vobis; *aut* metaphoram adhibuit inintellegibilem, ad alienandos a se auditores aptissimam; *aut* denique secundum literam intellegi voluit.

---

[1] Cfr. *Ps.* **13**, 4; **26**, 2; *Job*, **19**, 22; *Mich.* **3**, 3; *Gal.* **5**, 15; *Henoch*, **7**, 5. Lege WISEMAN, *Lect.* 2. — Immerito opponeretur *Job*, **31**, 31: „Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ut ejus saturemur?" Nam sensus ex hebraeo est: quis det de dapibus ejus non saturatum? Igitur nulla latet metaphora, sed contubernales laudant liberalitatem et hospitalitatem Job, dicendo: nonne omnes ad mensam suam recipiebat et saturabat? — [2] Cfr. *Apoc.* **16**, 6. — [3] Neque fas est provocare ad phrasim rabbinorum „edere messiam" i. e. saturari bonis messianicis, sub imagine convivii propositis (cfr. *Mt.* **8**, 11; **20**, 20 seq.), aut ad formulam apud graecos et latinos aliquando occurrentem: „edere et bibere de aliquo", i. e. doctrina ejus alte imbui; nusquam enim vel rabbini vel auctores graeci aut latini (quorum exemplum ceteroquin in hac materia parum efficax esset) in sensus praedictos adhibuerunt phrasim: „edere alicujus carnem et bibere ejus sanguinem." Cfr. SCHANZ, *Lehr. v. d. h. Sacr.* p. 323 et TITTMAN (auctor protestans) apud TANQUEREY, n^{0} 11 (nota).

Nec ulla ratio excogitari potest, quare Dominus phrases judaeis duras et odibiles adhibuerit, nisi quia sine illis veram suam mentem satis explicare non potuit.

3°. *Modus agendi auditorum et ipsius Christi.* 281

a. *Judaei,* quo nomine apud Joannem auditores increduli designari solent, auditis verbis: „Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, litigabant ad invicem dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?" (53). — Manifestum est, judaeos verba Domini secundum literam intellexisse et ideo de ejus doctrina litigasse[1]. Jam ex ipsis evangeliis didicimus, qua ratione Christus se gerere solebat erga auditores difficultatem moventes. Ubi objectio nitebatur intellectu erroneo, mentem suam explicabat[2]; contra ubi homines se opponebant doctrinae rite intellectae sed altae assertionem suam repetendo confirmabat[3]. Quid igitur in casu facit *Christus?* Non explicat metaphoram, non corrigit intellectum praeposterum, non respondet ad quaestionem, incredula mente motam, „quomodo potest", sed eandem doctrinam explicitius proponit et altius inculcat, sub diversis formis *sexies* repetendo, carnem suam fore verum cibum in salutem animae sumendum (v. 54—59).

Numquid pius Dominus ac verax ita gisset, numquid ita agere potuisset, si sensum figuratum tantum intendisset?

b. Finito sermone et profectis, ut videtur, judaeis, „*multi ex discipulis* ejus [i. e. ex iis, qui Christo jam adhaerebant] dixerunt: durus est hic sermo, et quis potest eum audire" (v. 61). Iterum manifestum est, etiam „discipulos" doctrinam Christi secundum literam intellexisse, secus enim nihil duri

---

[1] Hinc, quamvis vim argumenti intactam relinquat, omnino improbabilis videtur opinio cl. Batiffol *(Rev. Bibl.* 1903, p. 520), Christum non nisi incipiendo a v. 54 (*Vulg.*) de ss. Eucharistia agere. — [2] Cfr. *Jo.* **3**, 3—6; **4**, 32—34; **6**, 32—36; **8**, 32—34, 40—44; **11**, 11—14; *Mt.* **16**, 6—11. — [3] Cfr. *Jo.* **6**, 41—51; **8**, 56—58; **10**, 30—38; *Mt.* **9**, 2—6.

aut scandalosi (v. 62) in ea invenissent[1]. Jam Christus, qui supra difficultatibus malevolorum nulla consideratione obviaverat, suavius tractat discipulos, qui ceteroquin post universum sermonem auditum iterata affirmatione jam non indigebant. Igitur nihil de doctrina sua retractans, scandalum ex imperfecta cognitione mysterii promissi et intellectu crassiori acceptum auferre satagit (v. 63—66). Nihilominus „ex hoc [tempore] multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant" (v. 67). *Christus* autem eos abire sinit, quod certe non fecisset, si explicando metaphoram totam difficultatem expedire potuisset!

c. Defectus multorum ex discipulis *Christo* ansam praebuit *apostolos* rogandi: „Numquid et vos vultis abire?" (v. 68) ac si diceret: quantumvis vos specialiter elegerim et spem operis mei in vobis posuerim, nisi doctrinam modo propositam firma fide accipitis, mecum remanere non poteritis. Atqui hinc patet, actum fuisse de re altissima et valde difficili ad credendum, qualis certo non fuisset manducatio metaphorica tantum, bene vero sumptio vera et realis cor-

[1] Siquidem nec probabilis videtur, nec auctoritate Maldonati commendatur singularis opinio Batiffol, dicentis, ea quae in epilogo (v. 61—72) narrantur non amplius spectare doctrinam de Eucharistia, sed unice aut fere unice doctrinam de coelesti Salvatoris origine, in priore sermonis sectione propositam (*Rev. Bibl.* 1903, p. 524—526). Nihil prohibet supponere, *totum* sermonem Domini discipulis durum fuisse, sed quum querela post sectionem de Eucharistia referatur, quum universus sermo in doctrinam de Eucharistia, omnium difficillimam ac durissimam, culminet, quum verba v. 64 (*Vulg.*) utut obscura facilius intellegantur si Eucharistiam, quam si coelestem Domini originem respiciunt, non videtur recedendum a communi sententia exegetarum, querelam discipulorum aliaque, quae sequuntur, sin minus unice, saltem praecipue cadere in doctrinam de ss. Eucharistia. Ceterum si opinio Batiffol videretur probabilis aut probabilior, non ita multum noceret argumento pro reali praesentia, quum enim ab una parte caderent instantiae in textu sub b et c propositae, ab alia parte omnino eliminaretur difficultas ex v. 64 (de qua infra).

poris et sanguinis Christi. — „Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes. Et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus filius Dei[1] (v. 69—70).

Et haec in re tam ardua est fida et humilis responsio ecclesiae catholicae!

Corollaria. 1. Multum disputatur de *sensu verborum Domini* 282
ad discipulos murmurantes: „Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt" (v. 62—64). Duplex praesertim explicatio proponitur. *Prior:* quum discipuli illi putarent, carnem Domini mortuam et in frusta concisam sub propria specie manducandam esse (intellectus capharnaiticus), Christus respondet: hoc vos modo scandalizat? Occasio scandali cessabit, si cognoveritis ascensionem meam in coelum; tunc enim ét divinitatem meam plenius credetis, ét simul intellegetis, non agi de carne visibiliter concidenda et devoranda. Omnis vita a spiritu procedit; hinc caro mea per se sola, i. e. a spiritu seu divinitate sejuncta, non posset vitam dare: quae dixi intellegenda sunt de carne spiritu et divinitate animata, sic enim vitam dabit[2].

Alii explicant: jam nunc scandalizati estis? Quanto magis scandalum capietis, si ascensionem corporis mei cognoscetis! Intellectus fidei, a Spiritu s. acceptus, ducit ad vitam, intellectus carnalis qui fidem rejicit, nihil prodest: verba mea tunc tantum prosunt ad vitam si humili fide, ex gratia s. Spiritus elicita, accipiuntur. Consule exegetas.

Sed quidquid judicaveris de accurata significatione incisi: „verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt",

[1] Alia lectio: „.... σὺ εἶ ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ" = Messias, praeferenda est. — [2] Cfr. S. AUGUST. *Tract. in Jo.* 27, n⁰ 2—7; *De civ.* 10, 24; D. KLEIN, *Spiritus und Caro*, in *Pastor bonus*, t. 25 (1912) p. 328.

certum est, ea non posse exponi cum sacramentariis in hunc sensum: verba, quae locutus sum, metaphorice intellegenda sunt. Sane

a. Haud idem est dicere: verba mea spiritus et vita sunt, ac dicere: verba mea metaphorica sunt.

b. Incredibile est. Christum primo verbis clarissimis tam alte inculcasse, carnem suam vere esse manducandam, sanguinem vere bibendum, et postea *finito jam sermone*, addidisse, hujusmodi jejunam explicationem, seu verius retractationem. Nonne levissimi, imo maligni rethoris esset coram omnibus, saepius et clare, commendare esum carnis, potionem sanguinis, et deinceps coram paucioribus obscura declaratione verbis potentissimis sensum jejunum affingere? Profecto, si Christus post ea, quae v. 52—59 protulerat, adhuc docere voluisset non agi nisi de cibo in sensu figurato, id saltem ante finem orationis et verbis explicatissimis dicere debuisset! Et etiam sic notam verbosi nugatoris vix evitasset!

c. Si verum est, Christum hoc versu doctrinam suam ita explicasse, ut tota res fieret valde simplex et facilis ad intellegendum, dicant adversarii, quare post hujusmodi explicationem, multi ex *discipulis* ejus abierunt retro"? Dicant, quare Christus apostolos adhuc compellaverit: „Numquid et vos vultis abire?"

283 **2.** Certum est, s. Joannem in iis quae de ss. Eucharistia refert, historiam scribere, proinde promissionem vere a Christo factam narrare. Sed non sequitur, eum in tota illa narratione ipsissima Domini verba referre. Certe inspectio locorum parallelorum docet, evangelistas generatim tantam exactitudinem, quae ceteroquin sine continuis miraculis impossibilis erat, aut non quaesivisse aut saltem non esse assecutos. Atqui hinc forte solvi potest difficultas, quam critici moderni characteri historico narrationis nostrae opponunt n.p. quomodo Christus turbae capharnaiticae dicere potuerit: „Nisi manducaveritis carnem filii hominis," „caro mea vere *est* cibus," cet. Nonne

conjicere licet, evangelistam doctrinam Domini retulisse sub forma lectoribus suis, i. e. christianis, ss. Eucharistiam cognoscentibus eaque utentibus, accommodata[1]? Nec putes, ex hac hypothesi infirmari argumentum pro reali praesentia. Minime. Nemini christiano dubium esse potest, evangelistam, totius praedicationis Christi testem assiduum et sub afflatu Spiritus s. scribentem, magistri sui mentem optime cognovisse. Quo posito parum refert, utrum ipsa verba Domini retulerit, an suis verbis et modo suis lectoribus nonnihil accommodato sensa Domini exhibuerit. Esto; nescimus forsan *quibus praecise verbis* Christus coram litigantibus judaeis doctrinam de carne sua vere manducanda inculcaverit, sed ex modo quo s. Joannes eum loquentem exhibet, apprime novimus, *quod* veritatem carnis manducandae reapse alte inculcavit. Nonne hoc ad certam dogmatis catholici probationem sufficit?

Nec dicas: sufficit nobis catholicis, inspirationem evangelii admittentibus; numquid etiam coram aliis sufficit? Habemus evangelistam post quinquaginta et amplius annos sermones Domini scribentem. Quid est facilius, genuinam mentem loquentis percipere et diu retinere, an post tot annos singula ejus verba repetere? Igitur qui evangelistae, mentem magistri aperienti, fidere renuit, quomodo eidem longa verba salvatoris referenti fidem adjiciet?

Scholion. *De certitudine interpretationis Eucharisticae.* — 284
Supra diximus, explicationem eucharisticam alterius saltem partis sermonis dominici, esse communem inter catholicos et certam, etsi olim nonnulli aliter judicaverint. At haec paucorum discrepantia, omnibus bene consideratis, certitudinem explicationis eucharisticae non tollit[2]. Porro defendendo ex-

[1] BATIFFOL: „Le quatrième Évangile donne à l'enseignement du Sauveur une expression longuement réfléchie par l'Évangeliste, adaptée par lui à un état de conscience chrétienne autrement mûri, que ne pouvait l'être celui de la foule juive de Capharnaum" (*Rev. Bibl.* 1903, p. 521). —
[2] Aliter judicavit ROM. PEETERS in *De Katholiek*, 1903, t.

plicationem eucharisticam, minime dicimus, Christum ita de *solo sacramento*, locutum esse, ut a re sacramenti praescinderet. Minime. Hoc itaque praestituto, distinguere juvat epocham Patrum, epocham doctorum scholasticorum usque ad Tridentinum, epocham post tridentinam.

285 1. *De ss. Patribus* imprimis in confesso est, longe plerosque interpretationem eucharisticam sequi. Fatendum est, plures locum explicare de spirituali communione cum Christo per fidem et gratiam sanctificantem. Sed quum haec explicatio interpretationi eucharisticae tam neccessario copuletur, quam necessario res sacramenti ipsi sacramento conjungitur, minime sequitur, eos qui data occasione manducationem spiritualem interpretantur, manducationem sacramentalem a sensu literae exclusivisse. Vix aliquem inter patres invenies, qui id certo faciat. Praeterea constat, nonnullos, qui pro intellectu spirituali afferuntur, alibi explicationem eucharisticam esse secutos.

286 Quid b. Augustinus de cap. 6 Joannis senserit, primario non ex locis rem per transennam tangentibus dijudicandum est, sed ex eo libro in quo sermonem Domini ex professo explicat, n.p. ex *Tractatu 26 et 27 in Joannem* [1]. Porro etsi s. Doctor ibi propter disciplinam arcani [2] realem praesentiam explicare declinaverit, etsi hac de causa rem sacramenti magis attenderit quam ipsum sacramentum, certum est, eum alteram sermonis dominici partem de Eucharistia intellexisse [3].

124, p. 221, cujus opinionem in superioribus hujus tractatus editionibus fusius impugnavimus.

[1] Scriptum circa a. 416 — [2] „*Norant fideles* corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant" (L. c. **26**, 13). — [3] Cl. Schanz: „Augustinus hat in seinem Kommentar zum Johannes-Evangelium die Rede Jesu im Zusammenhange besprochen. Aus diesem geht sicher hervor, das Augustinus nicht für die bildliche Erklärung angerufen werden kann" (*Theol. Quarts.* Tübingen, 1896, p. 93).

2. De *epocha media usque ad Tridentinum* iterum constat, 287
scholasticos longe plurimos cum ss. Thoma [1] et Bonaventura [2], locum nostrum de Eucharistia intellexisse. Qui (ut Gabriel Biel, Nic. Cusanus, Cajetanus, Tapper, Hesselius, Jansenius gandav.) interpretationem eucharisticam rejecerunt, id potissimum fecisse videntur ut facilius refellerent calixtinos, provocantes ad verba: „Nisi manducaveritis carnem filii hominis *et* biberitis ejus sanguinem".

Hac de causa etiam nonnulli patres tridentini intellectui spiri- 288
tuali favebant [3]; alii saltem noluerunt doctoribus catholicis eam defendentibus notam a concilio inuri. Hinc consequenter ad intentionem generalem concilii non decidendi quaestiones inter catholicos controversas, schema de s. Communione sub utraque specie a laicis non sumenda ita immutatum est, ut legeretur: „Neque ex sermone illo apud Joannem 6 recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse, *utcumque juxta varias ss. Patrum et doctorum interpretationes intellegatur*" [4].

3. In *epocha post-tridentina* expositio non-eucharistica vix 289
non totaliter derelicta jacet. Semotis praeoccupationibus ab haeresi calixtinorum acceptis, intellectus catholicus ita maturavit, ut jam omnes conveniant in intellectum eucharisticum, qui reapse ita obvius est, ut singularis ejus impugnator fateri debuerit: „Vix legi posse caput 6 Joannis quin cogitetur Eucharistia, in qua verba Christi tam apposite verificantur" [5].

§ 2. Verba institutionis.

Institutio ss. Eucharistiae in s. Scriptura quatuor locis narratur.

[1] Cfr. v.g. *S. Th.* **73**, 2; **75**, 1; **76**, 1; **79**, 1, 2, 6; **80**, 11; *S. c. G.* **4**, 61, 62, 68. — [2] Cfr. *Comm. in Jo.* c. 6. Ed. Quaracchi, t. VI, p. 332—338; cfr. Fr. H. Kattum, *Die Eucharistielehre des hl. Bonaventura*, 1920. — [3] Cfr. Theiner, *Act. genuina*, t. I, p. 515. — [4] L. c. t. II, p. 46—55; *Conc. Trid. Sess.* **21**, cap. 1. — [5] Rom. Peeters, l. c. p. 247.

290 Textus.

Mt. 26.	*Mc.* 14.	*Luc.* 22.	*I Cor.* 11.
		[15] Et ait illis: desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. [16] Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. [17] Et accepto calice gratias egit, et dixit: accipite et dividite inter vos: [18] dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.	[23] Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem [24] et gratias agens fregit, et dixit: *accipite et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.*
[26] Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait: *accipite et comedite: hoc est corpus meum.*	[22] Et manducantibis illis accepit Jesus panem et benedicens fregit et dedit eis et ait: *sumite, hoc est corpus meum.*	[19] Et accepto pane gratias egit et fregit et dedit eis dicens: *hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.*	
[27] Et accipiens calicem gratias egit et dedit eis dicens: *bibite ex hoc omnes,* [28] *hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*	[23] Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes, [24] et ait illis: *hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.*	[20] Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: *hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*	[25] Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: *hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.*
[29] Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem ilium, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.	[25] Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.		

Legenti patet, quatuor narrationes quoad rei substantiam plene convenire; quaenam vero fuerint quoad ultimum apicem ipsissima verba a Domino prolata definiri nequit, nam etiam formae liturgicae in ecclesia usitatae quoad verba nonnihil differunt [1]. 291

Multum affines esse inter se narrationes tum Matthaei et Marci, tum ab alia parte Lucae et Pauli, manifestum est; quae autem de mutua dependentia vel independentia quatuor redactionum a criticis proferuntur, admodum incerta sunt.

Vix opus est dicere, jussionem Domini de coena eucharistica repetenda nullo modo infirmari ex eo, quod verba: „Hoc facite in meam commemorationem" apud *Mt.* et *Mc.* non inveniantur. Habentur in *Ep. ad Cor.*, quae ex communi criticorum sententia cunctis synopticis antiquior est, et s. Paulus aperte docet, se ita a Domino accepisse. Neque axiomatis instar accipienda est assertio: quo brevior textus eo magis ad typum primitivum accedit. Ceterum quidquid de relativa antiquitate textuum aut fontium opinari libuerit, certum est ecclesiam praxim Eucharistiae celebrandae non ex aliquo textu scripto accepisse, sed ante omnem literam coluisse [2]. Unde mirum videri non debet, *Mt.* et *Mc.* omisisse mandatum, quod ubique in ecclesiis observari sciebant. 292

De inciso: „Non bibam amodo de hoc genimine vitis," cet., quod *Mt.* et *Mc.* post verba institutionis, *Luc.* vero ante ea referunt, certum est quod convivium metaphoricum coelestis gloriae respicit [3]; sed dubitatur quandonam a Christo prolatum fuerit. Plerique, supponendo Lucam apertius quam alios evangelistas coenam eucharisticam (v. 19—20) a non eucharistica (v. 15—18) distinxisse, autumant, verba „Non bibam amodo" reapse prolata esse ante institutionem Eucha- 293

[1] Vide eas apud FILLION, *in Luc.* p. 364. — [2] Cfr. *Act.* **2**, 42, 46; **20**, 7—11; *I Cor.* **10**, 16; **11**, 20 seq. — [3] Cfr. *Luc.* **22**, 30.

ristiae; Matthaeum vero et Marcum ea postea retulisse, ut lectores suos monerent, quare Christus tunc Eucharistiam instituerit, n. p. quia jam ultima vice cum discipulis suis manducaverat et biberat. Alii sentiunt verba illa (sicut et alia parallela *Luc.* **22,** 16) post institutionem Eucharistiae esse pronuntiata. Supponunt siquidem, Lucam jam a v. 15 (vel secundum alios a v. 17) agere de coena eucharistica, quam minus concinne narraret, praemittendo accessoria (15—18) et deinde substantialia subjungendo (19—20) [1].

294 **Argumentum.** Verba institutionis: „Hoc est corpus meum"; „Hic est sanguis meus" in sensu literali esse sumenda, *probant:*

1⁰. *Ipsi termini,* qui ita comparati sunt, ut si Christus realem sui corporis et sanguinis praesentiam docere voluit, simplicius et planius loqui non potuerit [2]; unde etiam per quindecim saecula ita intellecti sunt non solum a catholicis, sed insuper a plurimis haereticis et schismaticis. Contra admodum difficile est, verbis illis sensum methaphoricum affingere, ut ipsi adversarii sua agendi ratione ostendunt. Siquidem teste Bellarmino, quinquaginta annis post reformationis initia „prodiit libellus, in quo ducentae numerantur haereticorum vel expositiones vel depravationes horum paucorum verborum: hoc est corpus meum" [3]. Nec satis, nam

[1] Ita v. g. Batiffol, qui putat Lucam adhibuisse duos fontes, alium locupletiorem, etiam Marco (qui ex eo solum v. 25 retinuit) notum, ex quo sumpsit v. 15—18; alium valde succinctum et narrationi paulinae affinem, ex quo mutuavit v. 19—20. Matthaeus noster a Marco penderet. *Bull. de Litt. ecclés.,* 1903, p. 149; 1904, p. 291, 304. — [2] Cfr. *Studia Cath.* T. I, p. 9. — [3] Scil. CHRIST. RASPERGER, *Apologia de Coena Domini,* 1577. Addit Bellarminus (*De Euch.* 1, 8.) inter ducentas illas novem esse principaliores. Nostro tempore DE SAINCTES octoginta principaliores numerasse dicitur; HEINRICH-GUTBERLET, *Dogm. Theol.* t. IX, p. 483. — Ipse LUTHERUS hanc diversitatem irridebat: „D. Carlstad

etiam hodie rationalistae laborant, ut genuinum sensum inveniant [1]!

2°. *Adjuncta.* Verba diriguntur ad *apostolos*, viros simplices, ad literaliter intellegendum pronos [2]; ad solos apostolos, quibus datum erat nosse mysteria regni coelorum [3]. 295

Proferuntur a *Christo*, instantis suae mortis conscio, ultima vice cum amicis praedilectis sermones miscente.

Datur *lex*, ut ea quae Christus facit postea in memoriam ejus repetantur, non utique sine intellegentia eorum quae agenda sunt. — Nonne haec omnia obscuritatem verborum et ipsam suspicionem inusitatae ac difficilis metaphorae excludunt?

Nec dici potest, ipsam „impossibilitatem" rei secundum literam intellectae satis praemonuisse apostolos, ut latentem metaphoram quaererent; nam apostoli primo quidem a magistro suo didicerant, apud Deum possibilia esse quae impossibilia sunt apud homines, et praeterea per sermonem promissionis, antea auditum, ad intellectum literalem praeparati exsistebant.

Denique perpende, Christo loquenti non latuisse futura: eum proinde praevidisse universos pene suos cultores per longa saecula sensum literalem sectaturos! Numquid tam

---

in diesem heiligen Text „das ist mein Leib" martert das Wörtlin *das*, Zwingel martert das Wörtlin *ist*, Ecolampad martert das Wörtlin *Leib*. Die anderen martern den ganzen Text und keren das Wörtlin *das* umb, und setzen hinden an, und sprechen also: *nemet, esset, mein Leib der für euch gegeben wird ist das*. Etlich martern den Text halb, und setzen das Wörtlin *das* ins mittel, und sprechen: *nemet, esset, was für euch gegeben wird, das ist mein Leib*. Etliche martern den Text also: *Das ist mein Leib zu meinem Gedächtnis*, das ist: des sol hie mein Leib nicht sein natürlich, sondern nur zum Gedächtnis meines Leibs" (*Das diese Wort Christi „Das ist mein Leib" noch fest stehen.* 1527). — [1] Cfr. supra n° **274** et EINIG, *De Sacram.* I, p. 117. — [2] Cfr. v. g. *Mt.* **16**, 11. — [3] *Mt.* **13**, 11.

immanem errorem in tali negotio permittere, imo ei ansam dare obscurissima locutione potuisset [1]?

296 3°. *Modus narrandi synopticorum, s. Joannis et s. Pauli.* Ipsos apostolos, praecipuosque primorum discipulorum mentem Christi in tali materia non cognovisse, ét ex principiis christianis intolerabile, ét mere historice loquendo summopere improbabile est. Finge igitur, verba Christi figurata fuisse; quare nullus ex quatuor auctoribus laudatis, diverso tempore ac loco et pro diversis lectoribus historiam ultimae coenae narrantibus, verum sensum aperuit; quare saltem nemo eorum monuit subesse metaphoram? Numquid omnes contra veritatem conspirarunt?

Quae autem de synopticis et Paulo dicimus, etiam *s. Joanni* applicantur. Joannes post omnes reliquos evangelium scribens, institutionem Eucharistiae omisit, quia referendo sermonem promissionis de hac materia jam satis egerat. Supponamus itaque, Joannem tum promissionem tum verba coenae figurate intellexisse, numquid sermonem in Capharnaum habitum eo modo, quo fecit, retulisset? Nonne sensum falsum ex synopticis et Paulo necessario accipiendum aliquo modo correxisset [2]?

297 4°. *Modus argumentandi s. Pauli* [3]. Apostolus historiam

[1] Ad rem BOSSUET: „Mon Sauveur, vous et vos apôtres vous n'êtes pas venu étourdir le monde par un langage prodigieux.... ou cela est vrai au pied de la lettre, ou tout cela est inventé pour mettre le trouble et la division dans le monde" (*Méditations sur l'Évangile*, La Cêne, I, 39e jour). — [2] Idem argumentum valet, imo magis valet ex suppositione eorum, qui docent caput 6 Joannis non esse nisi meditationem joanneam. Numquid auctor quarti evangelii Christum ita loquentem finxisset, si verba synopticorum de ultima coena secundum literam non intellexisset? — [3] Cfr. MANGENOT, *L'Eucharistie dans s. Paul*, in *Rev. prat. d'Apolog.* T. 13, p. 33, 203, 253; ALLO, *La synthèse du dogme eucharistique chez St. Paul*, in *Rev. Bibl.* 1921, p. 321.

ultimae coenae narravit, ut carperet modum indignum, quo corinthii se ad coenam eucharisticam praeparabant[1]. Hinc subjungit: „Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini"[2]. Docet itaque: **a.** eum qui ss. Eucharistiam indigne sumit, *reum esse corporis et sanguinis Domini*, i. e. teneri ad reddendam rationem de corpore et sanguine Christi indigne tractatis. Deinde **b.** adjicit, quare manducans et bibens indigne judicium, i. e. sententiam poenalem sibi attrahat: *μὴ διακρίνων τὸ σῶμα τοῦ κυρίου*, i. e. vel quia corpus Domini a pane vulgari non discernit, vel quia celsitudinem corporis Domini non considerat. Numquid s. Paulus ita locutus esset, si, verba institutionis figurate intellegendo, panem et vinum eucharisticum considerasset ut mera symbola corporis et sanguinis Christi? Certe etiamsi symbola tantum essent, adhuc piaculum foret ea indigne tractare; sed aliud est sumptionem indignam acriter vituperare, aliud eam vituperare iis verbis, quae nisi ex fide realis praesentiae explicentur, vix explicantur.

Difficultates. *Dicunt:* 1°. in verbis Domini nomen *est* sumi potest pro *significat* aut repraesentat, nam **a.** ita saepe adhibetur tum in Scriptura: „Ager est mundus", „Ego sum ostium", „Petra erat Christus"[3], tum in vita quotidiana, v.g. quando quis digito statuam regis indicans dicit: hic est Gulielmus. — **b.** Eodem fere modo in V. T. dicitur de agno **298**

[1] *I Cor.* **11**, 20 seq. — [2] L. c. 27—29. Haud necesse est locum intellegere de sola communione indigna in sensu stricto et consueto, convenientius intellegitur etiam de communione minus digna, i. e. absque congrua praeparatione et reverentia sumpta. Cfr. CORNELY, in h. l. — [3] *Mt.* **13**, 38; *Jo.* **10**, 7; *I Cor.* **10**, 4.

paschali: „Est enim Phase (i. e. transitus) Domini" [1], necnon de circumcisione: „Hoc est pactum meum" [2]. — c. Sermo aramaeus, quo Christus utebatur, non habet vocabulum pro „significat."

299 *Resp.* — Ad a. — In hujusmodi exemplis agitur de rebus, quae aut ex natura sua, aut ex contextu orationis (ut in explicandis typis vel parabolis) habent rationem signi vel symboli, unde metaphora statim ab omnibus percipitur. Extra hos casus neque auctores sacri neque alii quicumque ponunt „est" pro „significat". Atqui panis et vinum neque ex natura sua aut usu communi symbola corporis et sanguinis sunt, neque in casu adjuncta contextus (v. g. praevia admonitio) usum symbolicum innuunt.

Ad b. — Dato, quod in his textibus *est* positum esset pro *significat*, nihil sequeretur, quum caeremoniae illae, n.p. agnus paschalis et circumcisio ex institutione divina rationem signi habuerint et in ipso contextu signa esse declarentur: „Et cum dixerint vobis filii vestri: quae est ista religio? dicetis eis: victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Aegypto" [3]; et „Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et vos" [4].

Ceterum merito negatur in textibus objectis *est* poni pro *significat*; non enim de agno paschali, sed de ritu comedendi agnum dicitur: „Phase est Domino [sacrum]", i. e. haec festivitas Deo sacra habet nomen Phase seu transitus. Item phrasis: „Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum", intellegenda est: haec est res (partialis) in pactum deducta: circumcidetur, cet.

---

[1] *Exod.* 12, 11. Narrat Zwingli, hanc objectionem sibi in somnis a mysterioso quodam monitore suggestam esse (*Opp.* T. III, p. 431). — [2] *Gen.* 17, 10. — [3] *Ex.* 12, 26—27. — [4] *Gen.* 17, 11.

Ad **c**. — Drach et Wiseman ostenderunt tum aramaice tum syriace (quae linguae non ita multum differunt) optime exprimi posse propriis vocabulis ideam: hoc significat; unde auctor objectionis Horne eam postea suppressit. — Eruditi docent copulam *est* in sermone aramaico omnino non exprimi, sed auctores sacri eam pro genio linguae graecae adjecerunt.

Dicunt: 2⁰. multa suadent verba Domini metaphorice in- **300**
tellegenda esse, nam **a**. etiam catholici metaphoram admittere coguntur, ubi dicitur: „*Τοῦτό τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου*[1]; **b**. omnes ponunt, Christum in ultima coena instituisse sacramentum, atqui sacramentum est *signum* rei sacrae; **c**. Christus dicit, coenam celebrandam esse in suam commemorationem, atqui nemo colit memoriam praesentis, sed absentis tantum; **d**. ipse Dominus immediate post verba: hic est sanguis meus, contentum calicis vocat „genimen vitis", i. e. vinum; item Paulus relatis verbis eucharisticis subjicit: „quotiescumque enim manducabitis panem hunc," cet.[2]

Resp. Ad **a**. — Fatemur formulam *Luc.* et *Pa.* esse locu- **301**
tionem impropriam, cujus sensus est: hic calix sancit novum testamentum in meo sanguine, qui, cet. — aut: hic calix (continens pro contento) est sanguis meus, sanciens novum testamentum; unde solo dicendi modo, non re differt a forma *Mt.* et *Mc.*: „hic est sanguis meus testamenti." — Porro catholici nusquam dixerunt, Christum instituendo Eucharistiam nulla locutione impropria, nulla metaphora usum esse vel uti potuisse; sed asserunt, eum non potuisse adhibere talem metaphoram, quae totam rem inintellegibilem reddidisset et apostolos in gravissimum errorem necessario induxisset. — Quodsi dixeris formam *Luc.* et *Pa.* non esse perlucidam, id negare quidem non possumus, sed observamus: *α*. Non constat, Christum hunc modum loquendi obscuriorem

[1] *Luc.* **22**, 20; *I Cor.* **11**, 25. — [2] *Mt.* **26**, 29; *Mc.* **14**, 25; *I Cor.* **11**, 26.

adhibuisse, saltem aequali jure optari potest pro forma plana *Mt.* et *Mc.*; siquidem minime constat universaliter veram esse regulam criticorum: lectio difficilior primitiva est. Supposito autem quod reapse adhibita fuerit forma *Luc.* dicimus: β. Formula illa, utut obscurior, non est inintellegibilis, imo summa ejus in contextu, i. e. post verba „hoc est corpus meum", sat facile intellegitur. γ. De facto primi christiani eam rite intellexerunt, uti patet ex *Mt.* et *Mc.*, qui sensum ejus, omni obscuritate remota, apertissime reddiderunt. Quidni eodem modo sensum copulae *est*, certe multo implicatiorem, aperuerunt?

302 Ad **b.** — Adversarii rem ita concipere videntur ac si Christus praevie dixisset: attendite, nunc instituam signum rei sacri! Minime. Nulla monitione de signo vel sacramento praemissa, Christus perfecit ea quae s. auctores narrant; et quum corpus et sanguinem suum in spiritualem animae refectionem sumenda dederit sub aliena specie, christiani, rem gestam interpretando, dixerunt: ergo Christus tunc instituit signum gratiae efficax, i. e. sacramentum. Num forte catholici, realem praesentiam propugnando, rationem sacramenti ab Eucharistia auferunt?

303 Ad **c.** — Memoria opponitur oblivioni; quum autem praesentia, quae sensum excedunt, aeque facile oblivioni tradantur ac absentia, nihil prohibet, Christum Eucharistiam, *quatenus est ritus visibilis*, constituisse memoriam sui ipsius invisibiliter praesentis, et imprimis in memoriam cruentae mortis suae [1]. Numquid Eucharistia ex eo, quod nuda memoria non est, memoria esse nequit?

304 Ad **d.** — Quantum ad *verba Domini*: „Non bibam amodo,"

[1] „Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat" (*I Cor.* **11**, 26.).

cet. dupliciter respondetur. Qui sentiunt, verba illa prolata esse ante institutionem ss. Eucharistiae [1], negant suppositum et ita totam objectionem eliminant. Qui vero ponunt, verba post Eucharistiam institutam dicta esse, *aut* respondent, Christum sanguinem suum sub specie vini adhuc improprie vinum vocasse propter easdem rationes, ob quas Paulus corpus Domini panem appellat; *aut* melius respondent, vocem „genimen vitis" non directe referendam esse ad calicem eucharisticum, de quo ipse Christus probabilissime non gustavit, sed ad vinum in genere; nam sensus incisi sine dubio est: amodo non manducabo ac bibam vobiscum.

Quantum ad *verba apostoli*, imprimis observandum est, Paulum ss. Eucharistiam non simpliciter et sine addito panem vocasse, sed „panem hunc", panem „quem frangimus", i. e. illum panem, cujus mysterium omnes nostis. Quum enim Paulus realem praesentiam aperte doceat, certum est, eum vocem panis nonnisi improprie adhibuisse, quia ss. Eucharistia antea panis fuit [2] et speciem panis adhuc retinet; qua in re ceteroquin ét ipsius Christi exemplum sectabatur [3], ét consuetudini ecclesiae praeludebat, quae etiam hodie saepius nomine panis utitur, quamvis plerumque non sine quodam addito, ut v. g. panis coelestis, panis eucharisticus, panis vitae, cet.

Dicunt: 3°. in theoria realis praesentiae non potest explicari, quid Christus intellexerit, quando pronuntiabat pronomen τοῦτο. Non potuit intellegere *panem*, nam absonum est dicere: hic panis est corpus meum; non potuit intellegere *corpus* 305

[1] Cfr. supra n° **294**. — [2] Exempla sunt, v. g. „Devoravit *virga* Aaron *virgas* eorum" (*Ex.* **7**, 12); „Gustavit architriclinius *aquam* vinum factam" (*Jo.* **2**, 9); „Dicunt *caeco* iterum: tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos" (*Jo.* **9**, 17). — „Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et *panis*, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita" (*Jo.* **6**, 52).

meum, nam quando vocem „hoc" protulit, corpus ejus certe nondum erat ibi praesens; denique non potuit intellegere *speciem panis*, nam omnibus fatentibus species panis non est corpus Christi. Restat igitur ut dixerit: hic panis est figura corporis mei.

Resp. In propositionibus ejusdem structurae ac forma consecrationis significatio formalis pronominis demonstrativi in eo est, quod designat *praesentiam* rei, cujus quidditas enuntiatur a praedicato, quin ipsum pronomen quidquam de natura hujus rei edicat. Hinc semper exponere poteris, imo, si formalis significatio quaeritur, exponere debebis: res sub his accidentibus contenta, aut: res, quae huic loco praesens exsistit, est aqua, est liber tuus, cet. Igitur ad quaestionem, quid Christus intellexerit dicendo *τοῦτο*, fidenter responderi debet: rem quam manibus tenebat, quam calix continebat, substantiam sub speciebus panis et vini contentam, nihil ultra, i. e. absque ulla determinatione propriae ejus naturae. Et nulla remanet difficultas.

Porro si quaeritur significatio materialis pronominis, i. e. si quaeras, quid in rerum natura respondebat ideae per pronomen expressae, seu quaenam reapse erat „res, quam manibus tenebat", „substantia sub specie panis contenta", distinguendum est. Quando Christus dixit „hoc", erat panis, sed quamprimum dixerat: „est corpus meum", erat corpus ejus. Siquidem forma consecrationis erat propositio practica, efficiens quod significat.

306 Jam vero non praecise a diversitate sensus intenti, sed potius a genio cujusque linguae pendet, utrum in hujusmodi propositionibus pronomen demonstrativum adhibendum sit ad modum substantivi in genere neutro, an ad modum adjectivi in genere grammaticali praedicato conveniente. Nam si v. g. lingua latina utor, dicam, saltem ut plurimum: *hic* est annulus; contra si neerlandice loquor, dicam: *dit* is een

ring. Nonne in utraque assertione significatio formalis pronominis eadem est? Hinc, ut mihi saltem videtur, satis otiose quaeritur, utrum in textu graeco pronomen τοῦτο intellegendum sit substantive an adjective. Nam etiamsi dicas, illud pro genio linguae graecae adjective sumptum esse, adhuc supponit indeterminate pro substantia, quam manu teneo, et non pro corpore Christi. Finge te circulum pingere; dum primam ejus partem describis, dicis: *hic*; prosequendo et perficiendo successive adjicis: *est circulus*. Certe cum dicebas *hic* nondum erat circulus, sed linea curva tantum; nihilominus *quia ab initio propositionis mens tua attendebat rei, non quae jam erat, sed quae mox esset*, i. e. circulo, jam adhibebas genus masculinum pro genio linguae latinae. Numquid ideo volebas dicere: hic circulus est circulus? Non, sed mens tua erat: haec figura (modo adhuc linea incompleta, statim vero complenda et jam completa) est circulus. Et eodem modo Christus si, latine loquendo, dixisset: *haec* est caro mea; *hic* est sanguis meus, revera adhuc intendisset: haec substantia, quam manibus teneo (modo adhuc panis, sed quae erit immutata quamprimum sermonem complevero), est corpus meum.

Art. II.

DE VERITATE REALIS PRAESENTIAE EX TRADITIONE.

Primo referemus nonnulla testimonia patrum, imprimis 307
antiquiorum, deinde in scholiis difficultatibus respondebimus.

S. IGNATIUS M. de Docetis dicit: „Ab Eucharistia et oratione [liturgia] abstinent, eo quod non confitentur, Eucharistiam carnem esse salvatoris nostri J. C., quae pro peccatis

nostris passa est, quamque Pater benignitate sua resuscitavit"[1].

S. JUSTINUS M. in *Apol. I*, Antonino Pio destinata, descripta liturgia eucharistica, ait: „Hic cibus vocatur apud nos Eucharistia... Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei carofactus Jesus Christus salvator noster carnem et sanguinem pro salute nostra habuit, ita etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per conversionem aluntur, ipsius incarnati Jesu carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam apostoli in commentariis ab iis scriptis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt; eum scil. accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: hoc facite in meam commemorationem, hoc est corpus meum. Similiter accepto calice, cum gratias egisset, dixisse: hic est sanguis meus"[2].

308 S. IRENAEUS: Jesus „discipulis suis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit dicens: hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam

[1] *Smyrn.* 7; cfr. *Philip.* 4; *Ephes.* 20, 2; cfr. *Ned. Kath. Stemmen*, 1917, p. 50; *Theol. prakt. Quarts.* (Linz.) 1923 p. 627. — [2] *Apol. I*, 66. Partem praecipuam graece exscribimus: „*οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι.*" — De verbis *κατά μεταβολήν* scribit LOOFS: „Mit Weiszäcker, Engelhardt, u. a. ist das *κατὰ μεταβολήν* da hin zu denken, dass durch die Eucharistie unser Fleisch und Blut so genährt werden, dass sie dadurch eine *μεταβολή* erfahren, nämlich *εἰς τὸ ἄφθαρτον εἶναι* (apud HERZOG-HAUCK, *Realencycl.* t. I, p. 41).

docuit oblationem; quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo" [1]. — „Quomodo constabit iis [Gnosticis], eum panem in quo gratiae actae sunt corpus esse Domini sui et calicem sanguinis ejus, si non ipsum [Jesum] fabricatoris mundi filium dicant?... Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore Domini et sanguine alitur. Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quae praedicta sunt... Quemadmodum qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et coelesti, sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia spem resurrectionis habentia" [2].

CLEMENS ALEX.: „Comedite, inquit [Verbum], carnem 309
meam et bibite sanguinem meum. Hanc nobis propriam alimoniam Dominus tribuit, carnem porrigit et sanguinem effundit, et nihil deest infantibus ad crescendum. O quam paradoxum mysterium" [3].

TERTULLIANUS: „Caro [nostra] corpore et sanguine Christi 310

[1] *Adv. haer.* IV, 17, 5. — [2] L. c., 18, 4—5; cfr. V, 2, 2—3; cfr. *Rech. de sc. relig.* 1923, p. 24. — Ad saec. II pertinet celebre *epitaphium Abercii*, ep. hieropolit. in Phrygia, ubi legitur: „Fides ubique mihi dux fuit, praebuitque ubique cibum *ἰχθύν* e fonte ingentem, purum, quem prehendit virgo illibata, deditque amicis perpetuo edendum, vinum optimum habens, ministrans mixtum [aqua] cum pane." Cfr. CABROL, *Dict. d'archéol. chrét.*, in voce: *Abercius*; FR. DÖLGER, *IXΘUC, Das Fischsymbol im frühchristlicher Zeit*, 2 T, 1912 et 1920. — [3] *Paedag.* l. I, c. 6. (Ed Stählin, p. 115). Sequuntur tamen nonnulla, quibus applicatur illud cl. TIXERONT: „Toujours enclin à chercher au delà de la réalité divine qu'elle [l'Eucharistie] contient, les effets plus intimes dont elle est le symbole et l'agent, il lui arrive d'obscurcir, par ses spéculations, ses affirmations d'abord les plus nettes" (*La Théol. anténicéenne*, p. 275).

vescitur, ut et anima de Deo saginetur" [1]. — Alibi invehit in christianos, imo clericos, idola fabricantes: „Zelus fidei perorabit ingemens, christianum ab idolio in ecclesiam venire..., eas manus admovere corpori Domini, quae daemoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit si ab aliis manibus accipiant quod contaminant. Alleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Pro scelus! Semel judaei Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacescunt. O manus praecidendae!" [2]

311 ORIGENES: „Quae prius [in V. T.] in aenigmate designabantur, nunc in specie et veritate complentur .... Tunc in aenigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro verbi Dei est verus cibus, sicut et ipse dicit: quia caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus" [3]. — „Disce sanguinem Verbi et audi ipsum tibi dicentem, quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Novit qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei. Non ergo immoremur in his, quae scientibus nota sunt et ignorantibus patere non possunt" [4]. — „Nostis qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conservati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis et recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat" [5]. — Denique in libro paganis lectoribus destinato scribit: „Nos, qui hujus universitatis conditori gratias agimus, cum precibus et gratiarum actione oblatos edimus panes, qui propter orationem fiunt corpus quoddam sanctum [*σῶμα ἅγιόν τι*] quod sano proposito manducantibus sanctitatem largitur" [6].

---

[1] *De resurr.* 8. — [2] *De idolol.* 7. — [3] *Hom. 7 in Num.* n⁰ 2. — [4] *Hom. 9 in Levit.* n⁰ 10. — [5] *Hom. 13 in Exod.* n⁰ 3. — [6] *C. Cels.* VIII, 33. Ceterum vix opus est dicere, Origenem etiam relate ad Eucharistiam non parcere explicationibus allegoricis.

S. CYPRIANUS lapsos increpat, qui ante peractam poeni- 312
tentiam Eucharistiam appetebant: „Vis infertur corpori ejus [Domini] et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.... Quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur" [1]. — Instante persecutione lapsos ad communionem admittendos scribit: „Communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad proelium protectione sanguinis et corporis Christi muniamus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in ecclesia poculum Domini jure communicationis admittimus?" [2].

DIONYSIUS ALEX. († 264): „Qui frequenter ad s. mensam adstiterit et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit, qui illum exceperit et corporis ac sanguinis d. n. J. C. particeps fuerit, eum ego" rebaptizare non ausim [3].

APHRAATES (cognomine Sapiens Persa, † c. 350): „Cum 313
enim homo corpus et sanguinem Christi recipit, os suum caute servare debet, per quod intrat filius regis" [4]. — „Dominus autem suismet manibus corpus suum praebuit manducandum, et priusquam crucifigeretur sanguinem suum potandum dedit" [5].

S. HILARIUS: „De naturali [non morali] in nobis Christi 314
veritate quae dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait: caro mea vere est esca et sanguis

[1] *De lapsis*, 16, 22. — [2] *Ep. 57 ad Cornel.* n° 2; cfr. *De orat. dominic.* 18. — [3] Apud EUSEB., *H. E.* VII, 9. — [4] *Demonstr.* 3, 2 (*Patrol. syriac.*, Ed. Graffin, I, p. 102). — [5] *Demonstr.* 12, 6 (l. c., p. 518).

meus vere est potus. Qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo. De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostra vere sanguis est. Et haec accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane hoc verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant. Est ergo in nobis ipse per carnem et sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est"[1].

315 S. CYRILLUS HIER.: „Qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi, et quod videtur vinum, vinum non est, etiamsi ita gustu videtur, sed sanguis Christi"[2].

316 S. EPHREM ita interpretatur verba institutionis: „Quod nunc vobis dedi, ne panem existimetis; accipite et manducate illud, nec conteratis micas ejus: quod vocavi corpus meum, hoc revera est. Accipite et manducate in fide, nihil haesitantes, quia hoc est corpus meum, et qui manducat illud in fide ignem et spiritum in illo manducat. Qui autem illum [panem] despicit aut spernit vel contumelia afficit, pro certo habeat, quod contumelia afficit Filium, qui panem vocavit et realiter effecit corpus suum"[3]. — Alibi obsidionem urbis Nisibe comparat cum obsidione Samariae (*IV. Reg.* 6, 7): „Illic edebatur infans et vitam eis sustinuit, in te autem [n.p. in Nisibe] edebatur corpus vivum et vivificans omnia, repente salvavit manducatus manducatores"[4].

317 S ATHANASIUS: „Quamdiu supplicationes et preces factae non sunt, communes sunt panis et calix, sed quando consum-

[1] *De Trinit.* 8, 14. — [2] *Cat. mystag.* 4, 9. — [3] *In hebd. sanct., sermo 4.* n° 4 seq. (LAMY, *s. Ephrem syri hymni et serm.*) t. I, p. 416. — [4] BICKELL, *Carm. Nisib.*, Carm. 3, 7; p. 80.

matae sunt magnae et mirabiles orationes, tunc panis fit corpus, et calix sanguis D. N. J. C..... Verbum descendit in panem et calicem, et fiunt corpus ejus" [1].

S. BASILIUS: „Singulis etiam diebus communicare ac par- 318
ticipem esse sancti corporis et sanguinis Christi, bonum est et perutile, cum ipse perspicue dicat: Qui comedit meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam" [2].

S. GREGORIUS NYSS.: „Quomodo parum fermenti sibi as- 319
similat totam conspersionem, ita corpus [Christi] a Deo morte affectum, cum fuerit intra nostrum [corpus], totum ad se transmutat et transfert.... Recte nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari" [3]. Et mox adjicit virtute benedictionis in immortale corpus Christi „transelementari naturam eorum quae apparent" [panis et vini].

S. GREGORIUS NAZIAN.: „O Dei cultor [sacerdos], ne 320
cuncteris orare et legatione fungi pro nobis, quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem dominicum, vocem adhibens pro gladio" [4].

S. AMBROSIUS: „Ista esca, quam accipis, est corpus Christi. 321
Considera nunc utrum praestantior sit panis angelorum [manna an caro Christi. Manna illud e coelo, hoc super coelum, illud corruptioni obnoxium, hoc alienum ab omni corruptione. Illis [Judaeis] aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo. Forte dicas: aliud video; quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis superest, ut probemus. Probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit." Et narratis nonnullis conversionibus miraculosis, prosequitur: „Quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam

[1] Apud MAI, *Scrip. vet. nova coll.*, IX, 625. — [2] *Ep. 93 ad Caesariam*, cfr. tamen *ep. 8*, 4. — [3] *Orat. catech.* cp. 37. — [4] *Ep. 171 ad Amphilochium.*

sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de coelo deponeret, non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum? Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt in id mutare, quod non erant?"[1].

322 Auctor *Libr. IV de Sacram.*: „Panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio de pane fit caro Christi... Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi coelestis"[2].

S. GAUDENTIUS BRIXIN. († 410—430): „Ipse naturarum creator et dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia potest et promisit, efficit proprium corpus; et qui de aqua vinum fecit, facit et de vino sanguinem suum"[3].

323 S. CHRYSOSTOMUS: „Obsequamur ubique Deo nec contradicamus, etiamsi quod dicit rationibus et sensibus nostris contrarium videatur; sed praevaleat ejus sermo rationibus et sensibus nostris. Cum ergo sermo [Christi] dicit: hoc est corpus meum, obtemperemus et credamus et spiritualibus oculis ipsum respiciamus"[4]. — „Hoc, quod in calice est, est illud quod ex latere fluxit, et illius sumus participes... Hoc est illud corpus, quod cruentatum est, lancea confossum, quod salutares fontes universo orbi scaturivit... hoc corpus nobis dedit et tenendum et manducandum"[5]. — Ceterum doctrina hujus patris tam locuples est, ut „doctor Eucharistiae" audiat.[6]

324 MACARIUS MAGNES († 410— 450): „Eucharistia non est typus corporis et sanguinis, ut quidam fabulati sunt mente capti, sed potius corpus et sanguis Christi"[7].

[1] *De Myst.* c. 8—9. — [2] L. IV. 4, 14, 19. — [3] *In Exod.* tract. 2; (MIGNE, 20, p. 855). — [4] *Hom. 82 in Mt.*, n° 4. — [5] *Hom. 24 in I Cor.*, n° 1 et 4. — [6] Cfr. NAEGLE, *Die Eucharistielehre des h. Joh. Chrysostomus* (1900). — [7] Apud PITRA, *Spic. solesm.* t. I, p. 548.

S. AUGUSTINUS: „Quod videtis panis est et calix, quod 325
vobis etiam oculi vestri renuntiant; quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis Christi.... Quomodo est panis corpus ejus, et calix, quomodo est sanguis ejus? Ista fratres ideo dicuntur sacramenta, quia in iis aliud videtur, aliud intellegitur" [1]. — „Hoc totum ad hoc valeat, dilectissimi, ut carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali [faciunt], sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus" [1]. — „Mensa potentis quae sit nostis: ibi est corpus et sanguis Christi" [2]. — „Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos.... [Postea] placuit Spiritui s., ut in honorem tanti in os christiani prius dominicum corpus intraret quam ceteri cibi, nam ideo per universum orbem mos iste servatur" [3]. — „Christum Jesum, carnem suam manducandam bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quam perimere, et humanum sanguinem potare quam fundere" [4] — Agens de verbis: „Ferebatur in manibus suis" (*I Reg.* **21,** 13; secundum LXX et vers. ital.), scribit: „Hoc quomodo possit fieri in homine non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus manibus suis" [5]. — Agens de verbis: „Adorate scabellum pedum ejus", et ex *Isa.* **66,** 1 supponens scabellum pedum Dei esse terram, scribit: „Fluctuans converto me ad Christum et invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis

[1] *Serm.* 272. — [2] *Tract. in Jo.* 27, 11. — [3] L. c. 47, 2. — [4] *Ep.* 54 *ad Januar.*, n° 7—8. — [5] *C. adv. leg. et proph.* II, n° 34. — [6] *In Ps.* 33, *Enarr.* 1, n° 10; et similia repetit in *Enarr.* 2, n° 2.

manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat nisi prius adoraverit, inventum est, quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando" [1].

326 „Sapientia aedificavit sibi domum et suffulsit columnas septem; immolavit suas victimas, miscuit in cratere vinum suum et paravit mensam suam. Misit servos suos convocans cum excellenti praedicatione ad craterem dicens: quis est insipiens? divertat ad me. Et inopibus sensu dixit: venite, manducate de meis panibus et bibite vinum, quod miscui vobis. Hic certe agnoscimus Dei Sapientiam, hoc est Verbum Patri coaeternum, in utero virginali domum sibi aedificasse corpus humanum, et huic tamquam capiti membra ecclesiam subjunxisse; martyrum victimas immolasse; mensam in vino et panibus praeparasse, ubi apparet etiam sacerdotium secundum ordinem Melchisedech... Participem autem fieri mensae illius, ipsum est incipere habere vitam. Nam et in alio libro, qui vocatur Ecclesiastes, ubi ait: „non est bonum homini, nisi quod manducabit et bibet", quid credibilius dicere intellegitur, quam quod ad participationem mensae hujus pertinet, quam sacerdos ipse mediator testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis V. T., quae immolabantur in umbra futuri; propter quod etiam vocem illam in psalmo 39 ejusdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus: „Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi". Quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur et participantibus ministratur" [2]. — Monica „memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei praetermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis" [3]. — „Corpus

[1] *Enarr. in Ps. 98*, n° 9. Hoc loco s. Doctor presse imitatur s. AMBROSIUM, *De spir. s.*, III, 11, 79. — [2] *De Civ.* XVII, 20, 2: cfr. *Enarr. in Ps. 39*, n° 12. — [3] *Confess.*, IX, 13; cfr. 12: „Cum tibi offerretur pro ea sacrificium pretii nostri".

Christi et sanguinem dicimus illud, quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum, rite sumimus ad salutem spiritalem in memoriam pro nobis dominicae passionis; quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem [i. e. ad esse panem et vinum] perducatur, non sanctificatur ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei"[1].

S. CYRILLUS ALEX.: „Demonstrative dixit: hoc est corpus 327
meum et hic est sanguis meus, ne figuram esse putes ea quae videntur; sed arcana aliqua ratione transformari ab omnipotente Deo in corpus et sanguinem Christi in veritate, quae oblata sunt"[2].

Epist. presb. Achaiae de martyrio s. Andreae ap. ita indu- 328
cit apostolum loquentem: „Omnipotenti Deo ego omni die offero hostiam, immaculatum agnum quotidie in altari crucis sacrificans, cujus corpus postquam fidelium populus comedit et sanguinem ejus bibit, agnus sacrificatus integer perseverat et vivus"[3].

ISAAC MAGNUS (syrus antiochenus † 460): „Quod de corpore dixeram, ipsum nimirum Dei esse corpus, illud etiam de calice dixi, n.p. hunc esse redemptoris nostri sanguinem"[4].

[1] *De Trin.* III, 4, 10. — Cfr. L. TARCHIER, *Le sacrement de l'Eucharistie d'après S. Augustin*, 1904. — [2] *In Matth.* **26**, 27; de s. Cyrillo alex. cfr. MAHÈ, in *Rev. d'Hist. ecclés.* (Louvain) t. 8 (1907) p. 677; A. STRUCKMANN, *Die Eucharistielehre des hl. Cyrill von Alexandrië*, 1910. — [3] Apud MIGNE, *P. G.* II, 1227. Sentiunt eruditi, hanc ep. latinae originis, nec ante saec. V scriptam esse. — [4] *Sermo de fide* (ex ASSEMANI, *Bibl. orient.* I, p. 220 apud FRANZELIN, *De Euch.* Ed. 1878, p. 107). — Hoc loco subjicere placet duo testimonia episcoporum syrorum *monophysitarum:* JACOBUS SARUGENSIS († 521): „Ab illo temporis puncto, quo [Jesus] accepit panem et dixit illud corpus suum, non erat panis sed corpus ejus, et hoc edebant admirantes. Edebant corpus ejus, qui cum ipsis in mensa accubabat, et bibebant sanguinem ejus, cujus simul audiebant vocem doctrinae" (Apud FRANZELIN, l. c.). — MAROUTA TANGRITENSIS († 649): „Quoties ad corpus et sanguinem accedimus et super manus nostras accipimus, sic credimus nos corpus amplecti et nos carnis et

329 S. LEO M.: „Sic sacrae mensae communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, et frustra ab illis amen respondetur, a quibus contra id quod accipitur disputatur" [1].

S. GREGORIUS M.: Christus, „in seipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ore fidelium funditur" [2].

S. JOES DAMASC.: „Panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutantur... Nec vero panis et vinum Christi corporis et sanguinis figura sunt, sed ipsum Domini corpus deitate donatum" [3].

Effatis ss. Patrum addi, debet testimonium antiquarum *Liturgiarum*, tum occidentalium tum orientalium, quibus ecclesiae veluti publica voce mysterium realis praesentiae profitebantur [4].

330 **Scholion I.** *Expediuntur difficultates ex ss. Patribus et imprimis ex s. Augustino.* — In recensendis testimoniis ss. Patrum uberiores fuimus, ut manifestum fieret, fidem explicitam realis praesentiae ab antiquissimis temporibus ita communem fuisse in universa ecclesia, ut neminem vel parum excultum latere aut dubiam esse potuerit. Quo posito rationi consentaneum est, textus ambiguos aut difficiliores, qui etiam in hac materia apud orthodoxos patres nonnumquam occurrunt, in sensum catholicum interpretari; quod eo magis fieri

ossium ejus [participes esse], sicut scriptum est. Etenim Christus illud non appellavit typum aut figuram, sed [dixit]: vere hoc est corpus meum, et: hic est sanguis meus." (Ex ASSEMANI, l. c., p 180, apud PESCH, VI, n^0 601).

[1] *Serm. 91*, c.p. 3; cfr. *Ep. 59*, c.p. 2. — [2] *Dial.* IV, 58. — [3] *De Fid. orth.* IV, 13, 38, 40. — [4] Cfr. v. g. PESCH, *Prael.* t. VI, n^0 650 seq.; HEINRICH-GUTBERLET, *Dogm. Theol.*, t. IX. § 526; *Oriens christianus*, Neue Serie, VII et VIII, p. 1.

debet, quia iidem patres aliis in locis realem praesentiam aperte docere solent. Quum autem locos, qui prima facie dogmati nostro adversari videntur, singulatim discutere non vacet [1], primo subjicimus observationes quasdam generales tum ad factum sive exsistentiam locorum difficiliorum explicandam, tum ad indicandam viam, qua plerique solvuntur; deinde pauca addemus de s. Augustino, in quo adversarii potissimum confidunt.

331 1°. *Observationes generales.* Exsistentia textuum difficiliorum facile explicatur. a. Disciplina arcani, quae praeprimis Eucharistiam spectabat, causa fuit, quare patres coram non initiatis saepe consulto obscurius loquebantur. b. Quum illis temporibus realis praesentia a nemine impugnaretur, proinde deesset periculum, ne verba nonnihil ambigua in malam partem acciperentur, patres securius loquebantur. c. Tempore patrum nondum exsistebat modus ille loquendi uniformis ac veluti technicus, quem postea theologia scholastica peperit. d. Aliqui ex patribus valde proni erant ad sectandas allegorias et applicationes mysticas, unde mirum non est, eos etiam in nostra materia, non excludendo sed supponendo realem praesentiam omnibus cognitam, speculationibus mysticis indulsisse.

Difficultas ut plurimum in eo est, quod patres dicant Eucharistiam esse *signum, figuram, typum, sacramentum* corporis Christi, Eucharistiam *repraesentare* corpus Christi, cet.[2]; sed ita loquendo intellegunt elementum visibile Eucharistiae, quod nos „sacramentum tantum" appellamus, species panis et vini, quae summo jure dicuntur signa corporis Domini.

---

[1] Omnes fere loci difficiliores citantur aut indicantur v. g. apud SASSE, *De Sacr.*, I, p. 363. — [2] Cfr. v. g. TERTULL. *Adv. Marcion.* I, 14; ORIGENES, *In Mt.*, t. XI, n° 14; s. CYRILL. HIER. *Cat. myst.* 4, 3; 5, 20; s. AUGUST. C. *Adamant.* c. 12, n° 3; *Ep. 98 ad Bonif.* n° 9; FACUNDUS HERMIAN. *Def. 3 capitul.* l. IX, c. 5.

Neque intellegebant signum corporis absentis, sed invisibiliter praesentis [1]. Alibi dicunt non illud corpus Christi a fidelibus sumi, quod judaei crucifixerunt; sed reapse distinguere intendunt non verum corpus a nudo symbolo, sed corpus naturali modo exsistens ab eodem corpore invisibiliter praesente, secundum illud s. HIERONYMI: „Dupliciter sanguis Christi et caro intellegitur, vel spiritualis illa atque divina, de qua ipse dixit caro mea vere est cibus, ... vel caro et sanguis, quae crucifixa est et qui militis effusus est lancea" [2].

332 2⁰. *S. Augustinum* omnes fere realis praesentiae adversarii in suam partem trahere conantur[3]; unde operae pretium est rem paulo attentius considerare [4].

Ad ferendum judicium de genuina mentis alicujus auctoris,

---

[1] Huic ideae apud TERTULLIANUM (*Adv. Marcion.* III, 19; IV, 40) miscetur alia n.p. Eucharistiam esse antitypum figurarum veteris testamenti. Loci sunt ex difficilioribus; nihilominus ipse HARNACK, dogmati nostro valde infensus, agnoscit, Tertullianum sacramentariis non favere: „Tertullian wird fälschlich eine symbolische Lehre aufgebürdet; die Untersuchungen Leimbach's über den Sprachgebrauch Tertullian's haben dies über jeden Zweifel erhoben.... Wir verstehen heute unter Symbol eine Sache, die das nicht ist was sie bedeutet; damals verstand man unter Symbol eine Sache, die das in irgend welchem Sinne wirklich ist, was sie bedeutet" (*Dogmengesch.* II³, p. 436). Nec aliter judicat LOOFS, *Leitfaden d. Dogmengesch.*³, p. 137. — [2] *In Ep. ad Eph.* 1, 7. — [3] Memoratu digna sunt verba ZWINGLI, principis sacramentariorum: „Facile adducimur Augustinum, prae aliis acuto perspicacique ingenio virum, sua tempestate non fuisse ausum diserte veritatem proloqui, quae jam casum magna parte dederat. Vidit omnino pius homo, quid hoc sacramentum esset et in quem usum esset institutum, verum invaluerat opinio de corporea carne" (*Opp.* III, p. 265). Aliis verbis „pius" Augustinus reapse sacramentarius fuit, sed errorem populi sui corrigere ausus non est! — [4] Cfr. VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.*, I, p. 2418; TARCHIEP o. c.; *Theol. Quartals.* (Tübing.), 1896, p. 79.

recta methodus postulat ut omnia ejus effata, quae ad rem faciunt, colligantur et inter se comparentur. Porro in nostra materia triplex veluti classis textuum apud Augustinum invenitur. Habet siquidem: **a.** plures textus, qui per se soli considerati, sacramentariis favere videntur; **b.** habet plurimos textus, qui etsi forte aliqua ratione praesentiae mere symbolicae accommodari possent, certe secundum sensum obvium et naturalem realem praesentiam enuntiant; **c.** habet plures textus, qui realem praesentiam certo et aperte aut continent aut supponunt.

Perlegendo textus *tertiae classis* haec fere invenies. Augustinus docet, Eucharistiam esse adorandam [3]; miraculi instar habet, quod Christus in coena corpus suum manibus portabat; docet tam magnum sacramentum nonnisi operante invisibiliter Spiritu Dei sanctificari; docet corpus dominicum ore sumi, in os christianorum intrare, christianos in Eucharistia bibere pretium suum [4]; etiam peccatores „ipsam carnem" Christi manducare et „ipsum sanguinem" bibere [5]; docet denique in altari offerri „victimam, qua deletum est chirographum", „sacrificium pretii nostri"; mediatorem N. T. ibi secundum ordinem Melchisedech exhibere sacrificium de corpore et sanguine suo; Patrem Filio corpus perfecisse, quod loco antiquorum sacrificiorum „offertur et participantibus ministratur". — Nonne merito dicimus, textus hujus classis sine realis praesentiae fide explicari omnino non posse?

Eidem fidei favere, imo multum favere textus *secundae classis* nemo ambigit.

Nunc autem de locis *primae classis* fidenter dicere possu- 333
mus, omnes in theoria realis presentiae convenientem sensum habere, imo plerosque in contextu facile explicari. Viam monstrabunt haec.

[1] Lege textus supra n^0 325 allatos, nisi alii loci indicantur. — [2] Cfr. *Serm.* 9, n^0 14; *C. Faustum* XII. c. 10. — [3] Cfr. *Serm.* 71, n^0 17; *De bapt.* V, c. 8.

Augustinus nomen „sacramenti" constanter adhibuit pro solo elemento visibili; quod etsi a moribus nostris nonnihil differat, optimo jure fieri potest. Hinc salva fide realis praesentiae dicere potuit, Eucharistiam esse signum, figuram, sacramentum corporis Christi; sacramentum corporis Christi „secundum quendam modum" esse corpus Christi; fideles corpus Christi sumere in sacramento, in figura; invisibiliter intellegendum esse, quod visibiliter celebratur, cet.

Augustinus, removendo sensum capharnaiticum, dicendo: non parandos esse dentes, corpus Christi non consumi morsibus, cet., non exclusit praesentiam realem et sumptionem realem, sed praesentiam sensibilem et manducationem materialem, ac si ipsa elementa sensibilia essent corpus et sanguis Domini. Merito; nam quod frangitur, dentibus teritur, alteratur, corpori nostro assimilatur, a. v. quod corporaliter manducatur, reapse non est caro Christi, sed species sacramentalis.

Augustinus, multum commendando manducationem spiritualem, manducationem cordis, per fidem et memoriam passionis, dicere voluit, ad finem a Christo intentum, i. e. ad refectionem animae, vitamque aeternam nihil prodesse sumptionem sacramentalem tantum, sed requiri debitam dispositionem, actus fidei et devotionis; non ut corpus Domini vere accipiatur, sed ut vere manducetur, i. e. ut anima ex eo alatur et res sacramenti percipiatur; nam vera manducatio ideam nutritionis seu refectionis quodammodo includit. Hinc aliquando dicere potuit, peccatores, etsi dentibus premant sacramentum, non manducare corpus Christi; eos, qui non manent in Christo, Christo non incorporantur (per gratiam sanctificantem), non manducare corpus ejus, cet.

Augustinus, b. Paulum[1] secutus, Eucharistiam frequenter proponit ut symbolum simul et causam perfectivam corporis

[1] *I Cor.* **10**, 16—17: „Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus."

Christi mystici, i. e. ecclesiae; ut symbolum, tum quia elementa visibilia ex multis granis multisque uvis in unum coëunt, tum quia idem cibus mysticus ab omnibus pariter sumptus unitatem societatis indicat; ut causam perfectivam, quia Eucharistia fructuose sumpta, eo ipso quod homines intime unit et perfectissime incorporat Christo capiti, eos etiam inter se coagulat. Verum haec significatio mystica Eucharistiae veritatem realis praesentiae ex mente Augustini non excludit sed supponit, neque proponitur ut principalis, sed ut secundaria atque deducta tantum[1]. Quod autem s. doctor in publicis concionibus, realem praesentiam nonnisi per transennam indicando, symbolismum praedictum lubens evolvere soleat, explicatur partim ex disciplina arcani, partim ex constanti praeoccupatione Augustini unitatem ecclesiae contra donatistas aliasque sectas inculcandi.

Quum igitur in sola theoria realis praesentiae omnes textus augustiniani explicari queant, concludendum est hanc theoriam, non aliam, fuisse genuinam doctrinam s. doctoris.

Conclusionem confirmat consideratio extrinseca. Recta 334
methodus non patitur, Augustinum interpretari neglectis adjunctis historicis. Porro certum est, tempore Augustini et diu antea fidem realis praesentiae obtinuisse in universa ecclesia, etiam in ecclesia africana; certum est s. Ambrosium, „plantatorem et rigatorem" Augustini[2], eandem fidem habuisse. Nonne incredibile est, Augustinum, quem unitatis ecclesiasticae sectatorem et defensorem strenuissimum novimus, ab hac fide recessisse? Nonne si reapse recessisset, id aliquando aperte dixisset, controversiam etiam invitus excitasset, ab adversariis, quos tot ac tantos habuit, accusatus et impugnatus fuisset? Quare in ecclesia, saltem occidentali, quae Augustinum tanti aestimabat, nulla contestatio aut controversia de Eucharistia secuta est? Denique quare nemo ex discipulis

[1] Cfr. *Serm.* 227. — [2] Cfr. *Ep.* 147, n° 52.

Augustini sententiam magistri aut propugnavit, aut impugnavit aut excusavit? Profecto, etiamsi verum esset, quod quidam asserunt, nullum apud Augustinum prostare textum, qui realem praesentiam cum absoluta certitudine adstruat, adhuc in sensum catholicum accipiendus esset!

335 **Scholion 2.** *De controversia saec. IX.* — Quum s. Paschasius Radbertus, abbas corbeiensis a. 844 publici juris fecisset librum *De corpore et sanguine Domini*, in quo ex professo docetur, in Eucharistia contineri eandem plane carnem Christi, quae nata est de virgine, impugnatores habuit Rabanum Maurum et Ratramnum. Hinc alii inferunt, Paschasium dogma realis praesentiae primum invenisse; alii saltem aestimant, eum, realismum orientalium spiritualismo Augustini substituendo, superstitiosum sensum plebis incultae in „doctrinam" ecclesiae occidentalis extulisse.

Prior assertio omni specie veritatis caret; altera refellitur ex eo, quod spiritualismus augustinianus in sensu adversariorum numquam exstitit: patres latini, tum ante tum post Augustinum, etsi prae quibusdam orientalibus sobrie loquantur, eundem realismum quem orientales sectabantur. Neque verum est ecclesiam, saltem occidentalem, ante Paschasium non habuisse proprie dictam „doctrinam" de ss. Eucharistia, sed unumquemque suo modo verba Scripturae intellexisse. Doctrina realis praesentiae nondum scientifice exculta fuit, sed quoad substantiam a primis temporibus rata et fiixa erat.

At quare Paschasius, si novam doctrinam non protulit, controversiam excitavit? Primo res falso ita nonnumquam proponitur, ac si undique ei contradictum fuisset; minime [1]! Deinde de altero contradictore, Rabano Mauro, omnino constat, de altero, scil. Retramno saltem valde probabile est, quod realem praesentiam et transsubstantiationem non minus

[1] HARNACK: „Nur Rabanus und Ratramnus haben ihm widersprochen" (*Dogmengesch.* III³, p. 293).

quam ipse Paschasius admiserint [1]. Litigabant autem *de modo exsistendi* corporis Domini in Eucharistia: negabant ipsum elementum visibile esse corpus Domini; dicebant, corpus natum de virgine et corpus eucharisticum naturaliter (i. e. secundum substantiam) tantum identicum esse, non specialiter (i. e. secundum modum exsistendi); negabant Christum in sacrificio eucharistico iterum pati. Nam verbis quibusdam ambiguis et insolitis capti, haec omnia a Paschasio doceri arbitrabantur [2].

Art. III.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE [3].

Hucusque probavimus, corpus et sanguinem Christi realiter **336** praesentes esse in Eucharistia; modo quaeritur, num etiam panis et vinum ibi remaneant. Lutherani, *consubstantiationem* admittendo, affirmant [4]; catholica ecclesia negat docendo, substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Domini, et hanc conversionem *transsubstantiationem* appellat [5]. Praeterea asserit remanere accidentia panis et vini.

[1] De Ratramno, qui valde obscurus est, diversimode judicatur; hodie plerique tenent, eum realem praesentiam non negasse; ipse HARNACK: „Die höchst unklaren und wenigstens scheinbar sich widersprechenden Sätze des Ratramnus machen es schwer seinen Sinn richtig zu treffen. Jedenfalls hat er keine bloss symbolische Auffassung gelehrt .... So finden sich denn auch zahlreiche Ausführungen bei ihm, in denen er wie Radbert spricht: das Brot wird durch den Dienst des Priesters zum Leib Christi, ja es wird verwandelt" (l. c., p. 295—296). — [2] Cfr. de hac controversia JOS. ERNST, *Die Lehre d. h. Paschasius Radbertus von der Eucharistie*, 1896; et A. NAEGLE, *Ratramnus und die h. Eucharistie*, 1903. — [3] *S. Th.* III, **75**. — [4] Cfr. supra n° **270**. — [5] Vocem *transsubstantiatio*, quantum scimus, primus adhibuit Hildebertus, ep. cenomanensis (origine turonensis) † 1134, unde vides quantopere a vero aberraverit Luther, inventionem transsubstantiationis s. Thomae et thomistis tribuendo. Cfr. DENIFLE, *Luther u. Luthertum*, I, p. 237.

CONC. TRID.: „S. q. d., in sacrosancto Eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine d. n. J. C.; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat, a. s." [1].

337 **Notio** [2]. Ex praedictis *transsubstantiatio* definire potest: *conversio totius substantiae panis in substantiam corporis, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis Christi, manentibus tantum speciebus panis et vini.*

Conversio i. e. transitus unius rei in aliam; de cujus ratione sunt **a.** *terminus a quo*, res quae transit; **b.** *terminus ad quem*, in quem res transit, **c.** *nexus internus* inter desitionem unius et praesentiam alterius; nam ubi unum post alterum tantum venit, quin desitio termini a quo habeat ordinem internum ad praesentiam termini ad quem, nulla esset conversio. Et haec quidem ad notionem conversionis sufficiunt; verum nexus praedictus reapse numquam aderit, nisi ex termino a quo aliquid remaneat in termino ad quem. Hinc vides, quo jure distinguantur termini (a quo et ad quem) totales et formales. Terminus a quo *totalis* est totum id quod ante conversionem adest, in casu substantia panis cum suis accidentibus; terminus a quo *formalis* est illud ejus elementum quod per conversionem esse desinit, in casu substantia panis.

Totius substantiae. Conversiones naturales aut accidentales sunt aut substantiales. In conversione *accidentali* substantia termini a quo remanet, sed novam formam accidentalem induit, ut v. g. quando ex vomere fit gladius: in conversione *substantiali* suppositum mutatur ex eo, quod nova forma substantialis ex potentia materiae educatur, et praecedentem expellat, v. g. quando lignum combustione vertitur in cinerem,

[1] *Sess.* 13, can. 2 et cap. 4; cfr. DENZ. 355; 430; 1529. — [2] Cfr. *Cienc. Tom.* 1924, p. 28 et 222.

aut ex oxygenio et hydrogenio generatur aqua. Vides transsubstantionem affinem esse conversioni substantiali; at quum in omnibus hujusmodi conversionibus naturalibus aliquid de priori substantia remaneat, n.p. materia, in transsubstantiatione nihil omnino de substantia panis relinquitur; unde dicitur conversio totius substantiae. Quum igitur transsubstantiatio ab omni alia conversione specifice differat, merito vocatur mirabilis et *singularis*, merito proprio vocabulo designatur.

Manentibus tantum speciebus panis. Nomine specierum (specio, conspicio) designantur accidentia, quia aut videntur aut saltem sensibus percipiuntur. Accidentia, eaque sola sunt elementum utrique termino totali transsubstantiationis commune. — Dicemus primo de conversione substantiae, deinde de speciebus remanentibus.

PROP. 1. **In ss. Eucharistia tota substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi convertuntur.** — *De fide* est ex conc. trid., jam citato. 338

Probatur. — 1°. Ex *verbis institutionis*, quae in sola theoria conversionis, non vero in theoria consubstantiationis verificantur. Ad veritatem propositionis practicae: hoc est corpus meum requiritur ut in fine enuntiationis adsit identitas inter subjectum et praedicatum, a. v. ut res sub speciebus panis contenta sit corpus Christi. Atqui si praeter corpus Domini etiam substantia panis adesset, reapse non daretur identitas; nemo enim dicere potest: panis et corpus meum est corpus meum. Igitur si una cum corpore substantia panis remansisset, Christus dicere debuisset: in hoc, vel: sub hoc, vel saltem: hic (adverbialiter) est corpus meum [1]. Itaque, quando

[1] Nec obstat, quod ostendens crumenam auro plenam vel dolium cum vino dicere possim: hoc est aurum, hoc est vinum; nam ubi agitur de rebus ex natura sua aut usu communi ad aliud recipiendum destinatis, omnes statim intellegunt non continens sed contentum designari. Verum nemo ostendens panem, in quo nummum aureum abscondisset, dicere posset: hoc est aurum.

Christus verba sua compleverat, non amplius aderat substantia panis, et quum manifeste desiisset in ordine ad efficiendam praesentiam corporis Christi sub iisdem speciebus, recte dicitur eam conversam fuisse in corpus Christi.

Neque intellegi potest conversio substantialis tantum, ac si substantia panis eo fere modo converteretur in corpus Christi quo escae quotidianae transeunt in substantiam corporis nostri. Nam in hac hypothesi corpus Christi continua novae materiae assimilatione mutaretur et augeretur, quod statui ejus glorioso non convenit. Igitur necessario admittenda est conversio *totius* substantiae panis in corpus Domini praeexistens et nihil mutatum.

Argumentum expositum insinuatur ab ipso conc. trid.: „Quoniam Christus corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, *ideo* persuasum semper in ecclesia Dei fuit, conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi", cet. [1].

339 2°. Ex *Traditione* [2]. Etsi vox transsubstantiatio ante saec. XII non occurrat, ipsa res etiam apud antiquos patres invenitur. Dicunt siquidem **a.** Eucharistiam *esse* corpus et sanguinem Domini [3]; **b.** Eucharistiam *non esse, non amplius esse* panem et vinum [4]; **c.** panem *fieri* aut *effici* corpus Domini, *mutari, transmutari, transformari, transelementari* in corpus Christi [5]; denique **d.** rem illustrare conantur *analogiis muta-*

---

[1] *Sess.* **13**, cap. 4. Hinc sententia quorundam antiquorum doctorum, qui putarunt transsubstantiationem ex verbis institutionis per se sumptis non satis probari, minus conformis est concilio trid. Confr. SASSE. *De Sacr.* I, p. 381. — [2] Cfr. imprimis FRANZELIN, *De sacram. Euch.*, thes. 14, qui doctrinam traditionis accurate exponit ac defendit contra Pusey. — [3] V. g. ss. Ignat., Justinum, Irenaeum, supra *Art. II.* — [4] V. g. s. Cyrill. hier. supra. — [5] V. g. ss. Ephrem, Athanas., Greg. nyss., Ambros., auctor. *lib. VI de Sacr.*, Gaudent., Cyrill.alex., Joan. damasc. supra.

tionum miraculosarum, imprimis conversionis aquae in vinum [1]. Porro si haec omnia secundum rationem subjectae materiae explicantur, transsubstantiationem aequivalenter continent. Hinc quum Berengarius saec. XI desitionem et conversionem panis in corpus Christi impugnare coepisset, „hac in re universalem ecclesiam scandalizabat" [2], quoniam „panem et vinum in corpus et sanguinem Christi substantialiter commutari universalis ecclesiae consensione roboratum" erat [3]. Nil mirum igitur quod etiam graeci schismatici doctrinam transsubstantiationis diserte contra reformatores affirmaverint [4].

Neque in contrarium facit quod Patres aliquoties dicunt, **340**
„naturam" (*φύσιν, οὐσίαν*) panis in Eucharistia remanere, elementa eucharistica „a sua natura non excidere"; dummodo enim loci in contextu legantur et non negligantur adjuncta, quae ad genuinam loquentis mentem eruendam faciunt, satis apparet, „naturam" positam esse pro complexu accidentium, proinde patres solum realitatem specierum remanentium affirmasse [5]. Neque majorem difficultatem faciunt duo textus, ubi panis dicitur mutari in „efficaciam" (*ἐνέργειαν*) aut „virtutem" (*δύναμιν*) carnis Christi; nam sensus est panem converti in carnem Christi vivificatricem, in veram Christi carnem [6].

Scholion 1. *Excluduntur nonnullae opiniones erroneae.* — **341**
Dogma transsubstantiationis immediate opponitur consubstan-

[1] V. g. ss. Ambros. supra et CYRILL. HIER. *Cat. Myst.* 4, 1—2. — [2] HUGO LINGON. (saec. XI), *De corp. et sang. Dom. ad Berengar.*, apud MIGNE, *P. L.* 142, p. 1327. — [3] GUITMUNDUS (saec. XI), *De corp. et Sang. Dom. veritate* III, n° 44. — [4] KIMMEL, *Monum. fidei eccl. orient.*, I, p. 180 et 457; cfr. etiam HEFELE, *Conciliengesch.* V², p. 568, ubi patet c. 1156 vocem *μεταστοιχείωσις* adhibitam fuisse a Nicolao metropolita methonensi, viro ecclesiae latinae valde infenso. — [5] Locos, quos exscribere longum est, invenies v. g. apud SASSE, *De Sacram.* I, p. 393. — [6] Locos (s. Cyrilli alex. et Theophylacti) habes apud SASSE, l. c. p. 395.

tiationi, nihilominus etiam alios quosdam errores excludit, quos breviter indicasse juvabit.

1°. Excluditur vera *impanatio*, qua substantia panis dicebatur Verbo hypostatice unita [1]. Facile vides in hac theoria non verificari verba institutionis, nam panis hypostatice Verbo unitus nullo modo esset corpus seu caro, quam Christus dedit pro mundi vita [2], vinum ita unitum non esset sanguis Christi pro nobis effusus. Neque verum est, verba: „hoc est corpus meum" eodem modo exponenda esse ac illa: „Verbum caro [= homo] factum est"; nam **a.** quum Verbum undequaque immutabile sit, explicatio: „Verbum mutatum est in carnem", a priori excluditur; contra **b.** quum panis non sit immutabilis, explicatio catholica: „panis mutatus est in corpus" haud excluditur.

342 2°. Excluditur *opinio Rosmini* († 1855) dicentis, substantiam panis ideo fieri veram Christi carnem, quia „Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque sua vita vivificat", a. v. quia anima Christi eam (percipiendo, secundum mentem Rosmini) informare incipit. Theoria haec, quae, non admittendo conversionem totius substantiae panis, genuinam notionem transsubstantiationis corrumpit, necessario cadit ex eo, quod ponit ac ponere debet, consecratione panis „corpori Christi glorioso partem aliquam adjungi in ipso incorporatam"; unde merito a *s. Cong. Inquis.* proscripta fuit [3].

[1] Cfr. supra n° **270**, in nota. — [2] *Jo.* **6**, 52. — [3] Decr. 14 Dec. 1887; cfr. DENZ. 1919, 1920. Errorem rosminianum quantum ad substantiam nuper recoxit canonicus gallo-africanus GEORGEL, docendo, substantiam panis et vini ideo converti in corpus et sanguinem Christi, quia divina omnipotentia eas Christo incorporat, eodem fere modo quo ipse Christus, mortalem vitam adhuc ducens, quotidie sibi partem alimentorum incorporabat. Adjecit, novas has partes corporis Christi, utut anima Domini informatas, proprie non pertinere

3°. Excluditur *opinio p. Bayma*, autumantis in ss. Eucha- 343
ristia naturam, materiam et formam panis remanere, sed non amplius habere rationem substantiae (rei exsistentis in se, et non in alio), quum post consecrationem a corpore Domini realiter praesente sustentaretur. Ponebat itaque panem propria substantialitate exutum, ad modum „supernaturalis accidentis" exsistere in corpore Christi, et hac ratione transsubstantiari. Vides in hac theoria non species tantum panis et vini, sed ipsam eorum essentiam permanere, proinde aliam omnino fingi „transsubstantiationem" ac eam, quam fides catholica habet. Hinc *s. Cong. Inquis.* edixit praedictam expositionem „tolerari non posse" [1].

Scholion 2. *Qūaestiones scholasticae de transsubstantia-* 344
tione. — Ad notionem transsubstantiationis quantum fieri potest excolendam theologi duo quaerunt, n.p. *quomodo cesset terminus a quo*, et: *quomodo praesens fiat terminus ad quem.*

1°. Ad *priorem* quaestionem nonnulli responderunt, substantiam panis et vini desinere per *annihilationem;* alii fere dixerunt, propter usum loquendi ecclesiasticum a voce annihilationis abstinendum esse, sed reapse substantiam panis recidere in nihilum. Perperam omnino. Verum est in termino formali ad quem nihil prorsus de substantia panis et vini remanere, sed nihilominus desitio ejus non est annihilatio. Annihilatio est transitus ab esse ad non esse simpliciter. Hic vero habetur transitus seu mutatio unius rei in aliam rem, unde neccessario servanda est vox *conversionis.* Igitur dici nequit, Deum ex intentione ponendi corpus Christi, primo annihilare substantiam panis (cessando a conservatione) et

---

ad corpus immutabile et gloriosum, quod Christus habet in coelis, sed esse veluti novum quoddam corpus in statu immolationis!! (*Annales de Philos. chrét.*, 1901, fasc. Maji).

[1] Decr. 7 Jul. 1875; cfr. DENZ. 1843—1846 Opinio proscripta p. Bayma tribuitur apud LAHOUSSE, *de Sacram.*, p. 519.

deinde in eodem instanti, nescio qua actione positiva, causare corpus Christi sub speciebus remanentibus. Etsi enim hac ratione salvari forte posset realis praesentia [1], certe non salvaretur realis praesentia *per conversionem totius substantiae panis* in substantiam corporis Christi, quam ecclesia diserte credendam proponit [2].

345 2°. Circa *alteram* quaestionem inde a saec. XVI multum disputatur, utrum actio, qua corpus Christi praesens sistitur, proprie dicenda sit adductio vel potius productio [3]. Scotus, Bellarminus, de Lugo, alii multi propugnant *adductionem*, sed sine motu locali et quin corpus Domini coelum relinquat. Suarez, Lessius, Franzelin, alii defendunt *productionem*, aut potius, quum corpus Domini consecrationi praeexsistat, reproductionem vel reduplicationem. Addunt tamen corpus Domini reproduci, reduplici non secundum esse simpliciter, sed secundum esse sacramentale tantum. Ceterum utriusque sententiae defensores tum modo loquendi, tum etiam ipsa re saepe accidentaliter differunt.

Negari nequit diversos hos modos loquendi veritatem ex aliqua parte illustrare, proinde adhiberi posse. Omnes credimus, corpus Domini per consecrationem non recipere esse simpliciter, sed novum *ubi* tantum. Quum autem in ordine naturali res jam exsistentes, non nisi per adductionem novum ubi recipiant, vero quodam sensu dici potest, corpus Christi *adduci*, n.p. ad adstruendam novitatem praesentiae et simul *excludendam novam productionem*. Nec reapse aliud est, quod omnes catechetae et concionatores intendunt dicendo,

[1] Dico: *forte* salvari posse realem praesentiam, nam s. THOMAS docet, „quod non possit aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento nisi per conversionem substantiae panis in ipsum" (*S. Th.* III, 75, 2 c.). Sed multi etiam ex thomistis post Cajetanum censent, illud „non posse" intellegendum esse de potentia ordinata tantum; defendit BILLOT, *De Sacram.* I[3], p. 308. — [2] Cfr. DENZ. 1529. — [3] Cfr. SCHMID, in *Zeitschr. f. kath. Theol.* 1894, p. 108.

Christum in altare inter manus sacerdotis descendere. — Similiter omnes profitemur, corpus Domini, cum in altari praesens fit, non relinquere coelum, non deferri e coelo ad altare. Quum igitur in ordine naturali res, quae non aliunde adducitur, non nisi per quandam productionem alicubi esse incipiat, iterum dici potest, corpus Christi per consecrationem *produci*, reproduci, replicari, n.p. ad adstruendum initium realis praesentiae, et simul *excludendam veri nominis adductionem*. Nec aliud est, quod omnes liturgistae dicunt: sacerdos conficit corpus Christi.

Verum non quaeritur in praesenti, num voces adductionis 346
et productionis sensum sanum admittant, sed num alterutra earum *ita apte* designet *modum*, quo corpus Domini praesens redditur, ut *notio transsubstantiationis per eam distinctius explicetur*. Qua in re cum Billot, Gihr, Tanquerey negative respondendum putamus. Sane:

a. Vox *adductionis*, si ab ejus significatione detrahuntur tum motus localis tum relictio loci prioris, nihil aliud exprimere videtur praeter novitatem praesentiae rei jam antea alibi exsistentis. Quodsi ita est, *nihil positivi dicit circa modum*, quo nova illa praesentia efficitur, et ita ad finem intentum nullius utilitatis est. — Vox *productionis* secundum notam suam positivam dicere videtur, termino influi aliquod novum esse, sin minus substantiale saltem accidentale, ergo ad minus novam qualitatem internam. Quodsi verum est, doctrinam catholicam non explicat sed falsificat[1]. Quam primum enim posueris, corpus Domini consecratione accipere novam qualitatem internam, necessario concedere debes corpus Christi,

[1] Neque ad rem facere videtur, quod multi dicunt: actio, qua corpus Domini praesens sistitur, ideo nomen *productionis* meretur, quia corpus Christi vere produceret, si nondum exsisteret. Non enim quaeritur quid in tali hypothesi fieret, sed quid reapse fiat.

ut est in Eucharistia, intrinsece differre a corpore Christi, ut est in coelo; et ita aut duo corpora Christi fingis, aut asseris, idem numero corpus Christi secundum aliquam rationem internam differre a seipso.

347 **b.** Qui realem praesentiam aut adductione aut productione causari dicit, eo ipso admittit actionem divinam *directe terminatam in corpus Domini;* quod saltem praeter fidem catholicam est, quippe quae solam novit actionem directam in substantiam panis. conversionem scil. Praeterea quum adductio aut productio corporis Domini certe natura sua non causent desitionem substantiae panis, opus erit adductioni vel productioni addere aliam actionem (aut cessationem ab actione) ad explicandam desitionem panis. Et ita vix non necessario subintroducitur dissimulata annihilatio.

348 Quid igitur? Multum laudabile est intimam rationem mirabilis conversionis eucharisticae subtilius indagare, eamque, si fieri potest, distinctius explicare; verum ubi viae hucusque initae, adductionis scil. et productionis, genuinam ideam conversionis potius corrumpere videantur quam veram ejus rationem plenius evolvere, praestat rem inexplicatam acceptare. Neque ita mirum est, in *mysterio* transsubstantiationis uberiorem explicationem desiderari. Ceterum ipsa adductio aut productio mysteriis suis non carent.

Salvo itaque meliori censemus, ad duas hujus scholii quaestiones, non duplici solutione respondendum esse, sed una, n.p. hac: substantia panis desinit et corpus Christi praesens redditur *una simplici actione, qua Deus quidquid entitatis est in substantia panis immediate transmutat in corpus Christi, praeexisistens et nihil mutatum,* ita ut subjectum patiens non sit ullo modo Christus, sed solus panis, cujus transit substantia et remanent dimensiones. Ipse Christus nihil recipit intrinsece sed praesens fit ubi antea non erat ex hoc solo, quod species

remanentes accipiunt habitum realis continentiae erga id, in quod conversio terminatur [1].

PROP. 2. **In ss. Eucharistia accidentia panis et vini realiter permanent** [2]. 349

Dimensionses, colorem, saporem, cetera phaenomena, quae accidentia panis et vini vocare solemus, post consecrationem remanere quotidiana experientia constat; unde superfluum esset de permanentia accidentium quaerere, nisi nonnulli theologi Cartesio adhaerentes dixissent, accidentia illa nullam habere realitatem objectivam, et nihil aliud esse quam *modificationes in sensibus nostris* a Deo immediate productas [3]. Quum enim, ipsam rerum corporearum essentiam in trina dimensione collocando, distinctionem absolutam et separabilitatem inter substantiam et accidentia negarent, physicam permanentiam accidentium post substantiae conversionem admittere nequibant.

Porro nimium videtur realitatem physicam accidentium dogma fidei dicere; etsi enim concilia saepius dicant remanere accidentia panis et vini [4], non satis constat de intentione ip-

[1] Cfr. BILLOT, l. c. p. 319; ubi totam hanc quaestionem late expositam habes. — [2] Cfr. *S. Th.* III, 77; *S. c. G.* IV, 65—66; F. SCHMID, *Verhältnis der Quantität zur Substanz*, in *Zeits. f. k. Theol.* 1890, p. 674 — [3] Ita E. Maignan, Drouin, Witasse, cet. — [4] Cfr. Conc. lateran. IV, DENZ. 430; Conc. constant. et Martinus V, DENZ. 581 et 582; Conc. trid. *Sess.* 13, cap. 3 et can. 2. Immerito autem nonnulli provocarunt ad vocem *species*, quae tum alias saepe, tum a conc. trid. unice adhibetur. Quum enim modus loquendi conciliorum historice intellegendus sit, indubium est *speciem*, substantiae oppositam, non nudam apparentiam aut speciem intentionalem significare, sed vera accidentia. Neque incongrue nomen species prae nomine accidentis electum est, nam species elementum sensibile designat formaliter secundum relationem suam ad sensus nostros, accidens vero secundum relationem inhaerentiae in subjecto, quae in Eucharistia deficit. Simul vides, vocem *species* vernacule aptius reddi per *gedaante* vel *uiterlijk*, quam per *schijn*.

sam objectivam realitatem accidentium definiendi. Siquidem difficulter refelleres adversarium dicentem: vera mens conciliorum erat proscribere thesim: de pane et vino plus remanet quam sola accidentia.

Nihilominus physica accidentium realitas *ad minus theologice certa* est, imo ad fidem pertinere videtur.

350 *Probatur.* — 1°. Ex *Traditione.* SS. patres in Eucharistia distinguunt rem coelestem et rem terrestrem, rem sensibilem et rem intellegibilem, figuram vel typum corporis Domini et ipsum ejus corpus. Praeterea ex duplici illo elemento reali, corpore Domini et accidentibus panis, argumentum desumunt ad duplicitatem naturarum in Christo contra monophysitas defendendam. Saec. XI adversarii Berengarii utrumque elementum diserte inculcant, imo aperte dicunt, elementum sensibile verum esse, non phantasticum [1]. Postea scholastici omnes ut veritatem catholicam docent, divina virtute accidentia sine subjecto remanere. Difficultatem rei alte senserunt, quum concedant positivam possibilitatem hujus permanentiae philosophice demonstrari non posse; explicationem per solam immutationem organorum non ignorarunt, quum eam applicent ad miraculosas apparationes Christi in Eucharistia exponendas [2]. Itaque de sensu traditionali dubitari nequit, nec reapse, quantum scio, umquam dubitatum est; unde solum quaeritur, num consensus patrum ejusmodi sit, ut ab eo recedere non liceat, a. v. num agatur de re revelata aut saltem cum revelatione necessario connexa. Porro ita esse patet ex argumento sequenti.

351 2°. Ex *necessitate sacramenti.* Nisi enim accidentia panis et vini realiter permaneant, **a.** non verificatur *definitio sacramenti,* quum non habeatur signum sensibile; **b.** non verificantur verba: *„hoc est corpus meum"*, quum pronomen „hoc" designet substantiam (ergo in fine pronuntiationis corpus

[1] Cfr. de his omnibus v.g. SASSE, *De Sacram.* I, p. 421. — [2] Cfr. v.g. *S. Th.* III, **76,** 8.

Domini) ut contentam sub accidentibus praesentibus [1]; c. non verificatur *realis praesentia*, quum corpus Domini nullam relationem ad hunc locum habeat [2], nisi ratione accidentium quae loco commensurantur, ut infra latius explicabitur.

3⁰. Ex *veracitate Dei*. — Si species panis et vini essent phaenomena mere subjectiva, omnes invincibiliter falleremur, quin aut fides aut ratio medium suppeditet ad errorem vitandum. Atqui Deum immediata sua actione ita universaliter illudere sensibus nostris ét per se admodum incongruum videtur, ét saltem non debet admitti propter doctrinam Cartesii, quae etiam philosophice sustineri nequit [3].

Scholion 1. *Quomodo species remaneant secundum explicationes quorundam recentiorum.* — Posita reali permanentia accidentium, quam fides catholica postulat, exsurgit quaestio, *qua ratione haec permanentia sit explicanda*. Cui quaestioni aliter respondent nonnulli theologi, qui placita modernorum physicorum de natura corporum sequuntur, aliter philosophiae scholasticae sectatores. 352

Porro ex recentioribus:

1⁰. TONGIORGI docuit, Deum, transmutato pane cum omnibus quae ad ejus entitatem pertinent, in loco ubi panis erat conservare *resistentiam* eodem modo ac ordine, quo antea ab atomis et moleculis panis exercebatur; hac autem resistentia servata illico haberi extensionem, figuram, cohaesionem, ceterasque qualitates generales et speciales, quas panis prae se ferebat. Concludit, manere accidentia „non secundum entitatem quam prius in substantia habebant, sed secundum entitatem effectuum" [4]. — Haec explicatio in tantum differt

[1] Cfr. *S. c. G.* IV, 63. — [2] *S. c. G.*, l. c. — [3] D. NYS, *Cosmologie*, p. 259: „Le principe cartésien de l'identification de la substance corporelle et de l'étendue ne saurait supporter un instant la critique philosophique." — [4] *Institut. philos.*, Cosmol. n⁰ 237.

a sententia cartesiana, quod *aliquam realitatem* extra sensus nostros concedat; sed reapse *non* concedit realitatem *accidentium panis et vini*, nam resistentia cum suis consequentiis entitative nihil aliud sunt quam modificationes a Deo immediate productae in corporibus adjacentibus. Fides autem catholica non realitatem quamcumque, sed realitatem accidentium panis et vini exigere videtur.

353 2°. Card. FRANZELIN eodem fere modo ac Tongiorgi ponit, Deum immediate conservare resistentiam seu impulsum (*ἐνέργημα*) in corpora adjacentia, qui secus a pane promanat; sed hunc impulsum concipit ut *actum* transeuntem, *realiter distinctum* tum a substantia panis, quae amplius non est, tum a *modificationibus corporum adjacentium*, quae sunt ejus effectus[1]. — In hac suppositione reapse aliquid remaneret de pane, sed salva reverentia tanti viri, nullatenus intellegitur, quomodo impulsus ille *entitative differre* possit a modificationibus corporum adjacentium. Numquid actio est realitas physica medians inter agentem et passum? Quod cum sustineri nequeat, opinio haec in sententiam Tongiorgi recidit.

354 3°. Cl. PALMIERI, supponendo substantiam cujuslibet corporis non esse nisi materiam ponderabilem, cujus atomi immerguntur et copulantur materia imponderabili, scil. aethere, docet, transmutatis atomis ponderabilibus quibus panis constabat, *materiam imponderabilem divina virtute permanere in eodem ordine ac situatione locali*, quas antea habebat, et *hinc omnia phaenomena causari*[2]. — Verum haec explicatio a. philosophice videtur impossibilis; quomodo enim aether, quem praedicat materiam imponderabilem, sine odore, sapore, cet. pondus, odorem, saporem panis haberet? Numquid eadem res simul qualitates oppositas recipere potest? Praeterea b. theologice non caret difficultate. Si phaenomena post con-

[1] *De sacram. Euch.* thes. 16 (Ed. 3, p. 272). — [2] *Instit. philos.*, Cosmol. Thes. 26 (Ed. 1875, p. 183).

secrationem immediate causarentur ab aethere, vix negari posset, accidentia aliqua ratione quantumvis extraordinaria subjectari in eo. Quo admisso, cum pronomen *hoc* in forma consecrationis designet rem sub his accidentibus contentam, verba „hoc est corpus meum" in fine enuntiationis hunc sensum haberent: aether et corpus meum est corpus meum; quod aperte falsum est.

4⁰. Nuper theologus gallus LERAY, a chimicis edoctus pa- 355
nem et vinum constare multis atomis heterogeneis, quae etiam in carne et sanguine humanis inveniuntur, ponit totam quidem substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Domini, sed ita ut locum atomorum v. g. hydrogenii panis expleant atomi hydrogenii corporis Christi, locum atomorum carbonearum panis occupent similes atomi ex corpore Christi, cet. Quum igitur in Eucharistia illa tantum elementa corporis, quae elementis panem componentibus correspondent, localiter adesse supponantur, reliqua vero illocaliter seu ad modum spiritus, necessario remanere debent eadem accidentia [1]. — Sufficiat observasse, in hac phantastica inventione accidentia reapse inhaerere corpori Christi, quod p. Leray diserte adstruit, sed a mente ecclesiae prorsus alienum est, et in plures errores conducit [2]. Sequeretur enim corpus Christi

[1] A. LERAY, *Le Dogme de l'Eucharistie*, 1900 (in Coll. *Science et Religion* n⁰ 120): „Nous pensons, que le corps du Christ devient le support des accidents du pain en général et conséquemment de chacun de ses atomes en particulier. Or le moyen le plus simple d'obtenir ce résultat serait, nous semble-t-il, que N. S. substituât un élément analogue de son propre corps à la place de chacun des éléments du pain qui disparaîtrait. Ainsi dans le lieu occupé par un atome quelconque du pain, hydrogène, oxygène, azote ou carbonne, le corps de J. C. serait présent tout entiers d'une manière non sensible, et il permettrait à un élément analogue de son corps de modifier l'espace comme faisait l'élément du pain et de jouer absolument le même rôle physique". — [2] Cfr. *Rev. Thomiste*, IX, p. 22.

gloriosum consecratione alterari, fieri album et rotundum et alia hujusmodi.

356 **Scholion 2.** *Quomodo species remaneant secundum explicationem scholasticam* [1]. — Philosophia aristotelico-scholastica habet, in quolibet corpore distinguenda esse substantiam et accidentia, e quibus primum locum occupat quantitas dimensiva seu trina dimensio.

Substantia corporea definitur: substantia composita (ex materia et forma), trinam dimensionem exigens. — Igitur: **a.** substantia corporea per se considerata non est actu quanta, actu extensa, sed exigitive aut radicaliter tantum; sola exigentia quantitatis (quantitas radicalis) ei essentialis est; **b.** quidquid ultra exigentiam quantitatis in corpore invenitur, substantiae supervenit, proinde accidens est.

Accidens definitur: res cui convenit esse in alio tamquam in subjecto. — Est itaque: **a.** realitas seu perfectio aliqua non virtualiter tantum, sed ipsa re distincta a substantia [2]; neque **b.** de essentia ejus est actualis inhaerentia in subjecto, sed sola exigentia inhaesionis.

Inter rerum corporearum accidentia, *quantitas* (accidens, quo quid constituitur divisibile in partes, quarum una est extra aliam) primo consequitur substantiam, eique propinquius inhaeret; nam *qualitates* recipiuntur in substantia mediante

[1] Ab explicatione hîc tradita nonnihil differt ea, quam nuper proposuit N. SANDERS in periodico Neerlandico *Studia Catholica* (1924, p. 15). Quum autem fundamentum illius explicationis sit opinio nova, secundum quam materia prima identificatur cum extensione substantialiter indeterminata: „l'étendu substantiellement indéterminée c'est précisément son contenu [de la matière première], la matière première se confond avec elle, elle n'est récu d'autre que cela"; et quum haec opinio propugnari dicatur in libro nondum edito, consultius videtur expectare editionem hujus libri, antequam de explicatione transsubstantiationis doct. Sanders judicemus. — [2] Loquimur de accidentibus simpliciter absolutis.

quantitate, qualitates vero rursum sunt principia *actionum et passionum*. Hinc quantitas dimensiva merito concipitur ut fundamentum omnium aliorum accidentium.

Porro his praesuppositis, vera ac realis permanentia accidentium ipsius panis et vini satis explicatur: non quidem hoc sensu, ac si interna rei possibilitas positive aperiretur, sed ita ut fidenter dicere possimus: doctrina catholica nihil importat, cujus interna repugnantia undequaque pateret. Hujusmodi autem intellectus negativus in omni veri nominis mysterio sufficere debet [1]. — Igitur:

357 1°. Non repugnat, conversa tota substantia panis, *accidentia remanere secundum esse*. Supposita reali distinctione accidentium a substantia, non apparet, quare Deus, qui effectum causarum secundarum sine ipsis operari potest, non posset immediata sua actione sustentare quantitatem aliaque accidentia, et ita ea conservare. Non inhaerent corpori Christo, neque Deus ea sustentat ut subjectum inhaesionis, sed ut *causa efficiens* eminentiori modo supplendo id, quod ante consecrationem faciebat substantia panis [2]. Manent igitur *sine subjecto*; verum etsi actu non inhaereant, non perdunt naturam accidentium, non fiunt substantia, quia remanet exigentia exsistendi in alio tamquam in subjecto [3].

Supra diximus omnia quidem accidentia naturaliter inhae-

---

[1] Cfr. *De vera Religione* n° 14. — [2] Ab hac doctrina non recedunt illi theologi, qui ad unionem corporis Christi cum speciebus explicandam, cum Lugone (*De Euch.* disp. 6, s. 2) suspicantur, Deum corpori Christi tribuere actionem obedientialem, qua per modum instrumenti elevati accidentia sustentet. Aperte enim docent, corpus Domini nullo modo habere rationem subjecti inhaesionis, sed *causae efficientis* instrumentalis tantum. — [3] Cfr. *S. Th.* III, 77, 1. — Ad objectionem: accidens est ens in alio, ergo si non est in alio non est accidens, lepide respondit Bossuet: homo est animal rationale, numquid ideo perpetuo amentes non sunt homines (in opusc. primum edito in *Revue Bossuet* 1900, fasc. Julii, p. 155).

rere substantiae, sed quodam ordine, nempe ita, ut quantitas ei propinquius inhaereat. Hinc si accidentia eucharistica considerantur collective, secundum ordinem quem habent ad substantiam, de omnibus simul dicendum est, quod exsistant sine subjecto. Verum si considerantur distributive, secundum ordinem quem habent ad invicem, merito dicitur, quantitatem dimensivam immediate a Deo sustentari, alia vero accidentia, n.p. *qualitates subjectari in quantitate*, ut in vice-substantia [1]. Hinc vides totam quaestionem eo reduci, num quantitas habeat realitatem sibi propriam, per se, id est absolute loquendo a realitate substantiae distinctam [2].

358 2°. Non repugnat, *accidentia remanere secundum agere et pati*. Immo quum actiones et passiones non immediate substantiam consequantur, sed potius qualitates, mediante quantitate in substantia subjectatas, novum miraculum non est, quod species panis eodem modo agant in corpora adjacentia et vicissim eodem modo ab ipsis afficiantur et alterentur, ac si substantia panis iis subesset. Manent enim virtute divina eadem principia proxima actionis et passionis. Sic itaque species sacramentales non secus ac panis communis, aliis corporibus resistunt, in sensus nostros imprimunt, franguntur, corrumpuntur, cet. [3].

359 Specialem difficultatem habet, non quod species sacramentales corrumpuntur, sed quod corruptione *ex iis aliud generatur*, sive cineres et acetum, sive per viam assimilationis caro humana [4]. Certum est, corpus Christi, cujus praesentia cessat quamprimum species panis desinit, nullo modo converti in novam substantiam, nec ullum influxum in ejus generationem exercere; disputatur vero utrum quantitas dimensiva, eo

[1] L. c., 2. — [2] Cfr. prof. BEYSENS, *Cosmol.* p. 7. — Quantitatem a substantia realiter differre jam docuit ARISTOTELES, *Metaph.* l. VII, c. 3, *Physic.* l. I, c. 2. — [3] *S. Th.* 77, 3, 4, 7. — [4] L. c., 5—6.

ipso quod virtute consecrationis vice substantiae fungitur, etiam sufficiat ad hoc, ut ex ea generetur quidquid ex substantia panis generari potest[1]; an vero Deus in instanti completae corruptionis per novum miraculum eam producat substantiam, quam naturae cursus postulat[2].

Modo diverso quidem sed affini explicandum erit phaenomenon *odoratus*, si verum est, quod rem olfacimus per minimas particulas aëriformes ex ea effluentes et ad nares nostros pertingentes; nam moleculae istae a speciebus consecratis divulsae, quidquid sunt secundum veritatem chimicam, ex communi aestimatione non amplius habent externam speciem panis et vini, ergo non amplius continent corpus et sanguinem Christi.

Corollarium. Quum accidentia, quae sunt objectum pro- 360
prium cognitionis sensibilis, vere maneant, et intellectus cujus proprium objectum est substantia, per fidem ab errore praeservetur, *nulla est* in ss. Sacramento aut sensuum aut mentis *deceptio*. Unde improprie tantum canimus: „Visus, gustus, tactus in te fallitur."

Art. IV.

DE MODO REALIS PRAESENTIAE SECUNDUM FIDEM CATHOLICAM.

Probavimus sub specie panis vere et realiter contineri corpus, sed specie vini vere et realiter contineri sanguinem Christi; jam exponere debemus quid circa modum hujus praesentiae doceat fides catholica.

1°. *In ss. Eucharistia* **totus et integer Christus** *praesens* 361

[1] Ita placet s. THOMAE, l. c., 5 c. — [2] Ita SUAREZ, (Disp. 57, s. 3, n° 3) cum plurimis.

est sub **qualibet specie**[1]. — Fidei *dogma* est ex conc. trid.: „S. q. negaverit, in ss. Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate d. n. J. C., ac proinde totum Christum . . . a. s." — „S. q. negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie . . . totum Christum contineri, a.s."[2].

Termino *totus et integer Christus* comprehenditur quidquid realitatis aut perfectionis in persona d. n. J. C. invenitur: *corpus* seu caro et ossa cum omnibus quae ad ejus veritatem et integritatem faciunt, *sanguis*, *anima* humana et *divinitas*.

Ipse Christus dicit: „Qui manducat *me*, ipse vivet propter me"[3]; s. Paulus scribit: „Quicumque manducaverit panem hunc *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis *et* sanguinis Domini"[4].

Fide constat: **a.** unionem Verbi ad humanitatem esse inseparabilem[5]; **b.** humanitatem Christi post resurrectionem esse immortalem et impassibilem[6], proinde non amplius separari animam a corpore aut sanguinem a carne, cet. Impossibile igitur est, ut alicubi vere sit corpus aut sanguis Christi, quin etiam adsint reliqua omnia a corpore et sanguine actu inseparabilia.

362 Liquet, sub Deo nullam aliam causam praesentiae *totius* Christi assignari posse praeter verba consecrationis; verum quia *formalis significatio* verborum utriusque consecrationis non totius Christi, sed solius corporis, aut solius sanguinis praesentiam exigat, merito distinguitur inter id quod consecratio efficit ex *vi verborum*, seu verius ex vi directae significationis, et id quod veluti indirecte efficit ex *vi concomitantiae* seu connexionis partium vel quasi-partium totius Christi ad invicem:

---

[1] Cfr. *S. Th.* **76**, 1—2. — [2] *Sess.* **13**, can. 1 et 3, cfr. cap. 3. — [3] *Jo.* **6**, 58. — [4] *I Cor.* **11**, 27. — [5] Cfr. *De Deo Redempt.* n^{0} **65**. — [6] *Rom.* **6**, 9: „Scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur".

Vi verborum sub specie panis praesens sistitur solum corpus exsangue (nam verba: „hoc est corpus meum", *in oppositione ad*: „hic est sanguis meus", corpus sine sanguine significant), sub specie vini solus sanguis Domini.

Vi concomitantiae naturalis sub specie panis adsunt sanguis et anima, sub specie vini corpus et anima.

Vi concomitantiae supernaturalis, seu unionis hypostaticae, sub qualibet specie adest divinitas [1].

Ad elucidandam hanc distinctionem scribit s. THOMAS: **363**
„Si in triduo mortis Christi hoc sacramentum celebratum fuisset, non fuisset sub specie panis anima Christi, quia realiter non erat corpori ejus unita; et similiter nec sub specie panis fuisset sanguis nec sub specie vini corpus, propter separationem utriusque in morte" [2]. Sub utraque tamen specie fuisset divinitas.

Ut in Eucharistia adsit totus et *integer* Christus, non suf- **364**
ficit sola substantia corporis, sed etiam requiruntur *quantitas dimensiva* cum omnibus *qualitatibus naturalibus et supernaturalibus*, quae corpus Christi gloriosum intrinsece perficiunt. Quamvis igitur definitiones ecclesiasticae rem explicite ac diserte non affirment, indubium est, corpus Domini in Eucharistia esse actu quantum, ita ut habeat partes extra partes et omnia sua organa [3].

Quum autem transsubstantiatio formaliter sit conversio substantiae in substantiam [4], uti patet ex permanentia acciden-

[1] Cfr. *Conc. trid., Sess.* **13**, cap. 3. — Hinc vides nullo modo dici posse, quod panis et vinum *convertantur in divinitatem*; convertuntur in carnem et sanguinem divinitati hypostatice unitos. Generatim pretium Eucharistiae non in eo est, quod nobis praesentem sistat Deum, quippe qui omnipraesens est, sed quod praesentem sistat *humanitatem* Christi, utique in Verbo Dei subsistentem. — [2] *S. c. G.* IV, **64**; cfr. tract. *De Deo Redempt.* n° **63**. — [3] Cfr. *S. Th.* **76**, **4**; contrarium solus Durandus docuit. — [4] Cfr. *Conc. trid. Sess.* **13**, cap. 4.

tium panis et vini, merito dicitur, vi verborum solam substantiam corporis et sanguinis praesentem fieri, *quantitatem* vero cum omnibus quae in ea fundantur *vi naturalis concomitantiae*. Quod pro intellectu mysterii maxime momenti est, uti interim notamus verbis s. THOMAE: „Quia quantitas demensiva corporis Christi est ibi concomitanter et quasi per accidens, *ideo* est in hoc sacramento non secundum proprium modum (ut scil. sit tota in toto et singulae partes in singulis partibus) sed *per modum substantiae*, cujus natura est tota in toto et tota in qualibet parte" [1]. — Ceterum quidquid de hac explicatione, quae ad fidem non pertinet, judicaveris, ipsum *factum*, quod scil. quantitas corporis Domini non habeat in Eucharistia consuetum suum et physicum exsistendi modum, ét sensuum experientia manifestum est, ét a ss. Patribus ex professo docetur quando dicunt, corpus Christi eucharisticum esse corpus *intellegibile* aut *spirituale* (*νοητόν, λογικόν, πνευματικόν*).

365 Quaeri solet, num etiam *Pater et Spiritus s.* in Eucharistia praesentes sint? — Certe adesse debent tum ratione immensitatis, tum ratione circuminsessionis in Filio. Verum quia propria ratio Eucharistiae in eo est, quod *humanitatem* Christi praesentem sistat, et quia *solus Filius est suppositum hujus humanitatis*, recte dici potest, solam secundam ss. Trinitatis personam adesse, n.p. ut suppositum humanitatis.

Inferes ea omnia, quae *ratione humanitatis sub ss. speciebus latentis* per communicationem idiomatum de Filio praedicantur, de Patre vel s. Spiritu enuntiari omnino non posse. Hinc de solo Filio dici potest, quod praesens sistitur, quod fit cibus animae, quod in altari offertur, mystice immolatur, cet.

366 2°. *Totus et integer Christus sub* **singulis partibus** *cujusque speciei praesens est* [2]. — Assertio, si intellegitur de

[1] L. c. ad 1. — [2] *S. Th.* **76**, 3.

partibus *actu separatis*, fidei *dogma* est: „Si quis negaverit, in venerabili sacramento.... sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, a. s." [1]; — si intellegitur de partibus *actu non separatis*, est theologice *certa* [2].

Quantum ad partes separatas assertio probatur: **a.** ex *historia ultimae coenae*. Narratio Scripturae de pane ita intellegi potest, ut Christus panem primum fregerit, deinde transmutaverit; ast certum est, quod unum calicem consecraverit et cunctis bibendum dederit. Quid igitur apostoli singuli partem hauriendo acceperunt? Certe non vinum aut nudam speciem, nec partem Christi, ergo totum Christum. — **b.** Ex *traditione* imprimis practica ecclesiae, quae semper panem consecratum fregit [3] et, ubi habetur aut habebatur communio sub utraque specie, eumdem calicem inter plures distribuit.

Hinc autem pronum est concludere ad praesentiam sub qualibet parte specierum etiam *ante separationem*. Quum enim ipsa fractio non possit esse causa praesentiae totius Christi sub singulis fragmentis, res inde tantum explicatur, quod integer Christus jam ante separationem et vi ipsius consecrationis ibi praesens exstiterit.

Porro interna ratio totius doctrinae haec est. Transsubstantiatio proprie est conversio substantiae in substantiam; hinc post consecrationem ibi debet esse substantia corporis Christi, ubi antea fuerat substantia panis; substantia autem panis erat in qualibet parte speciei. Nec obstat quantitas corporis Christi, quippe quae non secundum proprium suum modum, sed per modum substantiae adest.

Numquid igitur ante fractionem hostiae Christus *multoties* **367**
praesens erat sub ea? Minime. Numerus sequitur divisionem; quamdiu continens, cujuscumque mensurae sit, manet indi-

[1] *Conc. trid. Sess.* **13**, can. 3 — [2] Cfr. *Conc. trid.*, l. c. cap. 3 in fine. — [3] Cfr. v. g. *Krichenlex*, in voce: *Brotbrechung*.

visum, Christus semel adest, *indifferenter se habens ad totum continens et ad quamlibet ejus partem.* Frangitur hostia; nihil mutatur in Christo, nihil in habitudine Christi ad eam; sed quia duo vel tria facta sunt continentia, ratione pluralitatis continentium necessario dicendum est bis vel ter adesse Christum [1].

368 3°. *Peracta consecratione Christus* **statim** *praesens est, et praesens* **manet donec species substantialiter corrumpuntur.** Assertio est contra lutheranos, ex quibus *alii* cum Bucero docebant, Christum in *solo momento sumptionis* realiter adesse, non ante nec post; *alii* cum Chemnitz contendebant, eum per *totam actionem coenae* praesentem esse, sed finita coena non permanere sub particulis, quae superfuerint. Hinc intellegitur canon tridentinus: „S. q. d., peracta consecratione in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem d. n. J. C., sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, a. s." [2]

a. Christum peracta consecratione, etiam *ante sumptionem* adesse, constat ex verbis: „Hoc est corpus meum", quae statim ac prolata sunt vera esse debent.

b. Christum etiam *post actionem coenae* adesse, probatur ex antiquissima praxi ecclesiae s. Eucharistiam deferendi ad absentes et aegrotos [3], necnon eam domi asservandi praesertim tempore persecutionis [4].

c. Christum adesse *donec species substantialiter corrumpuntur*, diserte definitum non est, sed aperte constat ex quotidiana praxi ecclesiae, et necessario fluit ex praedictis; nam ab una parte, quum Christus corpus et sanguinem suum dederit sub speciebus panis et vini, manifestum est, realem praesentiam

[1] Cfr. *S. Th.* **76**, 3, ad 1. — [2] *Sess.* **13**, can. 4; cfr. cap. 3. — [3] Cfr. v. g. S. JUSTINUS, *Apol. I*, cp. 67; *conc. nicaen.* can. 13. — [4] Cfr. v. g. TERTULL. *Ad uxor.* II, 5; S. CYPRIAN., *De laps.* 26; S. BASIL. *Ep. 93 ad Caes.*

cessasse, quamprimum species illae defecerint; ab altera parte alius terminus, quo realis praesentia finiretur, praeter corruptionem specierum assignari nequit.

4°. *Christus in Eucharistia adorandus est* **cultu latriae,** 369
etiam externo. — Assertio est *de fide* ex conc. trid.: „S. q. d., in sancto Eucharistiae sacramento Christum, unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriae etiam externo adorandum.... et ejus adoratores esse idololatras, a. s." [1].

Admisso dogmate realis praesentiae, res nullam difficultatem habet; nec quidquam proficiunt lutherani dicendo, hoc sacramentum institutum esse ut sumatur, nisi ostendant adorationem excludere sumptionem, aut vice versa. Neque videre est, quare adoratio Christi in Eucharistia nociva aut periculosa esset! Ceterum etiam antiqui patres adorationem testantur [2]. — Cultum externum, imprimis publicum, moderamini ecclesiae subesse, non est quod ex professo dicamus.

Corollarium. In canone citato conc. trid. dicit, adorari 370
Christum in sacramento, at in capite quinto ejusdem sessionis habet: „Latriae cultum, qui vero Deo debetur, *huic ss. sacramento* in veneratione" exhiberi, quia „Deum praesentem in eo adesse credimus". Et eodem sensu canere solemus: „Tantum ergo sacramentum veneremur cernui". Porro quoties *sacramentum Eucharistiae* adorari dicitur, nomine sacramenti intellegitur *persona Christi una cum speciebus,* quae unum quid cum eo efficiunt, et ideo coadorantur eodem modo, sed potiori jure, quam cohonorantur vestes quibus rex aut pontifex induitur. Siquidem nemini umquam catholico in mentem venit, adorare species per se sumptas, facta mentali praecisione a Christo, quem continent [3].

[1] *Sess.* **13**, can. 6, cfr. cap. 5. — [2] Cfr. v. g. s. CYRILL. HIER., *Cat. myst.* **5**, 21—22; s. GREG. NAZ., *Orat. 8* (funebris in laud. sororis suae Gorgoniae) n° 18; s. AMBROS., *De Spir. S.* III. 11, 79; s. AUGUST., *Enarr. in Ps.* 98, n° 9. — [3] Cfr. tract. *De Deo Redempt.* n° **94**.

Art. V.

DE MODO REALIS PRAESENTIAE SECUNDUM EXPLICATIONEM SCHOLASTICAM.

371 Exposito dogmate revelato, quod omnibus consentientibus est mysterium stricte dictum, proinde intellectum nostrum absolute superat, pro viribus ostendere debemus, doctrinam catholicam nihil continere quod sit contra rationem. Dummodo enim adversariis dicere poterimus: non valetis ostendere, dogma catholicum ex aliqua parte certam involvere contradictionem, merito concludimus: intrinseca rei impossibilitas non probatur; Deus autem, cujus potentia ad omnia non repugnantia extenditur, rei veritatem testatur; rationem non abdico, sed rationem sequor, si verbis Dei humilem fidem adjicio. „Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis" [1].

Igitur intellectum *negativum* tantum quaerimus; nec alium reapse intendit conc. trid. dicendo: „Neque enim haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in coelis assideat juxta modum exsistendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit, ea exsistendi ratione, quam, etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, et constantissime credere debemus" [2].

372 Fuerunt pauci quidam theologi, qui putarunt mysterium realis praesentiae posse explicari per quamdam veluti condensationem aut compenetrationem corporis Christi.

Condensatio intellegebatur talis compressio corporis Domini,

---

[1] S. AUGUSTINUS, *Ep. 137 ad Volusian.* n° 8. — [2] *Sess.* 13, cap. 1.

qua servata proportione membrorum cum ordine et situ locali ad minimum spatium redigeretur, et ita in qualibet physica parte hostiae localiter praesens esset, „quemadmodum in retina oculi immensum coeli terraeque spatium depingitur servata ordine partium et absque ulla confusione" [1].

Compenetratio habet, quaslibet partes corporis Christi sesse mutuo penetrare, et hac ratione tum totum corpus tum singulas partes corporis localiter esse in qualibet physica hostiae particula [2].

Porro superfluum videtur hujusmodi phantasiis, quae corpus Christi aut monstrum aut massam informem faciunt, immorari, unde statim accedimus ad explicationem scholasticam, cui universi fere theologi in tantum assentiunt, ut statuant praesentiam Christi in Eucharistia non esse praesentiam stricte localem, seu circumscriptivam [3].

Praenotanda. — a. Ipsa *substantia* corporalis secundum 373
se non est actu quanta, sed exigitive tantum. Sequitur substantiam ratione sui nullam habere relationem ad locum, sed mediante quantitate sua loco comparari; unde si per miraculum exsisteret absque actuali quantitate locum occupare non posset [4].

[1] V. g. SIMONNET, apud BILLOT, *De Sacram.* I, p. 409; Oratianus quidam apud SASSE, *De Sacram.* I, p. 411. — [2] V. g. OSWALD, *Die h. Sacram.* I [5], p. 495. — [3] Cfr. SCHMID, *Ist die euch. Gegenwart ein örtliche*, in *Zeits. f. kath. Theol.* 1903, p. 429; 1904, p. 486. — [4] *Locus* definitur *immobilis superficies corporis aliud corpus primo ambiens.* Esse in loco *proprie* solis corporibus quantis convenit, quae per suam quantitatem *loco exaequari* aut *commensurari*, locum *occupare* aut *replere*, loco *circumscribi* possunt, unde sola dicuntur esse in loco *localiter, circumscriptive, per modum loci.* Verum in sensu analogo etiam aliae res non quantae dicuntur esse praesentes in loco, aut habitudinem ad locum habere, quatenus scil. aliqua ratione *sunt in rebus locatis*, aut influendo iis esse (Deus), aut virtute sua eas contingendo (spiritus creati), aut eas informando (anima). Quocumque autem modo res non

b. *Quantitas* formaliter consistit in divisibilitate et *extensione (interna) partium extra partes.* Unde idem est dicere: substantia est actu quanta, ac dicere: substantia habet partes extra partes et (ubi agitur de corpore organico) certo ordine inter se copulatas. Igitur qui dicit, corpus Christi in Eucharistia est actu quantum, eo ipso affirmat ibi haberi caput humanum junctum collo, hoc mediante junctum trunco, cet. Verum per se nihil adhuc affirmavit de habitudine corporis et partium ejus ad locum.

c. Quantitas est radix *locationis seu extensionis externae* (localis), n.p. habitudinis rei ad locum. Quamprimum enim res habet partes extra partes naturaliter sequitur, ut per eas loco applicetur, quum singulae ejus partes singulis partibus loci contingere, iisque commensurari debeant. Etsi autem haec duo: habere partes et occupare locum physica necessitate copulantur, non sunt reapse inter se indentica. Finge, Deum unum corpus creasse, nihil praeterea, haberes substantiam quantam, sed quae actu non commensuraretur loco, quippe qui non exsisteret. Vides non absolute repugnare corpus quantum, quod locum non occupat.

Probe igitur distinguantur haec tria: *extensio radicalis*, quae substantiae corporeae essentialis est; *extensio actualis interna*, seu ipsa quantitas, qua corpus essentialiter aptum est ut locum repleat; *extensio actualis externa* sive locatio, quae extensioni internae addit contactum quantitatis ad extrinsecum ambiens.

d. *Esse in loco* est accidens extrinsecum, nihil enim internae perfectionis ponit in subjecto, sed solum dicit habitudinem ejus ad continens extrinsecum; unde qui de novo incipit alicubi praesens esse, exinde nihil mutatur in seipso, ne accidentaliter quidem.

374 **I. Praesentia corporis quanti per modum substantiae.**

quanta comparetur ad locum, semper ita ei praesens est, ut sit tota in toto loco et tota in singulis partibus loci.

Transsubstantiatio formaliter est conversio substantiae in *substantiam*. Hinc peracta conversione corpus Domini comparatur ad locum hostiae mediantibus accidentibus panis, quae nunc continent substantiam corporis, *quia* prius continebant (alio modo) substantiam panis, conversam in corpus. Substantia autem corporis Domini comparatur ad locum hostiae eo modo, qui substantiae secundum se consideratae proprius est; igitur in loco hostiae est, non localiter aut circumscriptive, sed ita ut sit tota in toto loco et tota in singulis loci partibus[1]. Quum tamen simul sit in multis aliis locis, hic modus praesentiae non vocatur definitivus, sed proprio nomine appellatur *modus sacramentalis*, ubi sacramentale[2].

Ipsa realis permanentia accidentium panis ostendit, *quantitatem* corporis Domini (cum omnibus quae in ea fundantur) nonnisi vi concomitantiae, proinde quasi per accidens tantum adesse. Quum autem rationi consentaneum sit, ut id quod per accidens est sequatur modum illius quod est per se, ipsa natura sacramenti postulat, ut quantitas corporis Domini adsit *per modum substantiae*[3], i. e. ut *ad dimensiones hostiae comparetur* non eo modo, qui quantitati proprius est, n.p. per commensurationem suarum partium ad partes loci, sed *eo modo, quo ipsa substantia secundum se ad locum comparatur*.

Quo admisso corpus Christi, ut in Eucharistia, habet quantitatem seu extensionem actualem internam, sed *quum deficiat contactus quantitatis ad ambiens extrinsecum*, non habet extensionem externam seu locationem[4].

---

[1] Hucusque nihil mirum asseritur; etsi enim substantia corporea, quia ratione quantitatis inhaerentis ad locum comparatur, locum *occupare* dicatur, stricte loquendo quantitas dimensiva corporis loco mensuratur, ipsa vero substantia corporis quanti, secundum se considerata, semper tota est in toto loco, et tota in singulis ejus partibus. — [2] Cfr. *S. Th.* **76**, 5 ad 1. — [3] Cfr. *S. Th.* **76**, 4 c. — [4] Plures theologi, qui Suarezium ex toto vel ex parte (ut v. g. cl.

Certe hic modus praesentiae „praeter rerum ordinem" est, physice impossibilis est; sed vera contradictio in eo non apparet, quum enim aliud sit: habere partes, aliud realiter: per illas partes loco exaequari, actu locum occupare non est de essentia corporis quanti. Quodsi in hypothesi supra indicata, qua unum tantum corpus esset creatum, necessario deficeret contactus quantitatis, frustra quaereres rationem evidentem, quare divina omnipotentia non posset corpus quantum absolvere a contactu quantitativo cujuslibet alterius corporis.

375 Ex eo, quod corpus Domini in Eucharistia praesens est *per modum substantiae* [1], nonnulla explicantur.

NYS, *Cosmologie*, p. 262—274) sequuntur, rem paulo aliter explicant.

Ponunt *extensionem* formalem esse accidens realiter distinctum a quantitate.

Quantitas secundum *Suarez* partibus entitativis (quas substantia corporea ex se jam habet) tribuit intrinsecam aptitudinem ad extensionem (externam in loco); secundum *Nys* substantiae tribuit pluralitatem partium, determinato ordine ad invicem connexarum.

Extensio (formalis) corpus quantum applicat *loco* primum interno, deinde etiam externo, a. v. corpori quanto tribuit ubi intrinsecum (vi cujus per extensionem partium in spatio determinatum locum acquirit) et consequenter ubi extrinsecum (vi cujus partes ejus tangunt superficies ambientes aliorum corporum).

Quibus suppositis dicunt, corpus Christi ut in Eucharistia esse *actu quantum*, non vero actu *extensum*, sed aptitudinaliter tantum.

Figuram a quantitate realiter distinguunt, cum extensione re identificant (NYS, p. 305).

[1] Facile intelleges, illos theologos, qui atomismum sectando, realem distinctionem inter substantiam ejusque quantitatem rejiciunt, ad explicandam praesentiam Christi illocalem non posse adhibere terminum: praesens est *per modum substantiae*, nam secundum eos modus proprius ipsius substantiae corporalis secundum se est commensuratio ad locum. Dicere igitur solent, Christum in Eucharistia praesentem esse *ad modum spiritus*.

1°. Explicatur, quod *corpus Domini et quantitas dimensiva panis in eodem loco simul praesentes esse* possunt. Quum enim Christus ibi non sit localiter sive per modum quantitatis, sequitur ut quantitas ejus aliam quantitatem e loco non expellat, neque vicissim ab eo loco expellatur.

2°. Explicatur, quod corpori Christi ut in Eucharistia *nullo modo applicantur ea, quae praedicantur de corporibus, prout loco commensurantur*, v. g. esse magnum aut parvum, stare vel sedere, cet. Nullum corpus praedicatur magnum aut parvum nisi per comparationem ad aliud corpus, cui commensuratur; quamprimum igitur deficit contactus quantitatis, commensuratio ad aliam quantitatem, non magis mensuram capit quam spiritus. Item situs externus designat modum determinatum, quo partes corporis partibus loci coaequantur; absonum autem est quaerere modum coaequationis, ubi nulla habetur exaequatio. — Contra *figura*, quae est terminus quantitatis, et *positio* seu situs internus, qui est habitudo partium corporis in ordine ad invicem, quia ad ipsam quantitatem pertinent, nec ullo modo a locatione pendent, etiam de corpore Domini ut in Eucharistia praedicari possunt, unde v. g. canimus: „Fracto demum sacramento.... signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur."

3°. Explicatur, quod *corpus* Christi ut in Eucharistia *nihil pati* aut quovis modo immutari potest a rebus quae sacramentum circumstant, *nec vicissim in eas agere quidquam corporaliter potest*; nam contactus quantitativus est conditio naturaliter indispensabilis tum ad omnem actum transeuntem corporis in

---

Supposita veritate atomismi reapse non datur terminus aptior; verum in suppositione theoriae scholasticae, omnino praeferendus est terminus *per modum substantiae*. Primo enim spiritus ad locum comparatur per contactum virtutis, quod in Eucharistia non verificatur (nisi in opinione Lugonis, supra n° 357 in nota, indicata, quae multis non plaet); deinde spiritus corpori locato praesens, magis habet rationem continentis quam contenti, quum secundum fidem catholicam totus Christus sub speciebus „contineatur".

corpus, tum ad exercitum sensuum exteriorum [1]. — Quibusdam autem theologis probabile videtur, Christum ut in Eucharistia cultores suos sensibiliter videre et audire per miraculum.

376 II. **Praesentia ejusdem numero corporis in coelo et in Eucharistia.** Etsi plures aliter judicant, cum s. Thoma putamus, repugnare multilocationem proprie dictam, i. e. praesentiam *circumscriptivam* ejusdem corporis in duobus locis; at rationes quae hujusmodi multilocationem impossibilem reddunt, mysterio nostro non applicantur, quia corpus Domini in coelo quidem localiter praesens est, in altari vero minime.

Multilocatio circumscriptiva importaret, eamdem quantitatem *totam* commensurari huic loco et simul adhuc commensurari alteri loco = priori *non totam* commensurari. Verum quia corpus Domini dimensionibus hostiae non commensuratur, sed soli loco coelesti, haec difficultas evanescit.

Multilocatio circumscriptiva adhuc importaret, corpus distare a seipso, haberetur enim spatium intermedium. Atqui distare a seipso idem est ac dividi a seipso; repugnat autem rem simul esse divisam = *non unam* et *unam* = indivisam. Porro nemo dicere potest, corpus Christi ratione praesentiae eucharisticae distare a seipso. Distantia localis habetur, quando dimensio interjecta una extremitate tangit superficiem rei A, et altera extremitate tangit superficiem rei B; id autem omnino supponit, utramque rem A et B sua superficie, i. e. sua quantitate contingere spatium intermedium; unde sequitur, distantiam localem nullo modo cadere posse in corpus alicubi praesens absque contactu quantitativo. — Quamvis itaque verissimum sit, hanc hostiam consecratam, i. e. hanc quantitatem panis distare a loco, quem corpus Domini in coelis occupat, ipsum corpus Domini ut in Eucharistia immerito diceretur distare a corpore coelesti aut a loco coelesti. Et ita iterum evanescit difficultas.

[1] Cfr. *S. Th.* **76, 7.**

Igitur nullatenus probatur, praesentiam localem corporis **377** Domini in coelis impedire praesentiam illocalem ejusdem numero corporis in altari, *dummodo assignetur ratio, qua corpus Domini loco hostiae vere applicatur* absque omni contactu quantitatis. Atqui ratio hujus conjunctionis secundum fidem catholicam est transsubstantiatio, qua substantia panis in corpus Domini convertitur. Quamprimum enim habetur vera conversio unius rei in aliam, absque omni alterutrius adductione vel abductione, necesse est, terminum ad quem conversionis ibi inveniri, ubi antea inveniebatur terminus a quo. — Certe, altissima praedicamus mysteria, sed veram assertorum repugnantiam nemo ostendit!

Nunc autem vix novam difficultatem facit, quod idem corpus Domini *per modum substantiae* simul praesens est *in quam plurimis locis* seu hostiis. Nihil enim afferri potest, quod multipraesentiam per modum substantiae impediret dummodo *ratio, qua corpus ita loco conjungitur, pluries simul* verificari possit. Atqui ratio haec ex dictis est transsubstantiatio; neque videre est quare Deus, si unum panem in corpus Christi transsubstantiare potest, non posset simul innumeros alios panes ita convertere. S. BONAVENTURA: „Quia multa in ipsum [corpus Domini] convertuntur, quae sunt in diversis locis, et ipsum per consequens est in diversis locis" [1].

III. **Difficultates ex motu locali hostiae** [2]. Praesentiam **378** Christi in multis simul hostiis consequuntur nonnulla, quae prima facie videntur contradictoria, v. g. quod idem corpus Domini simul movetur et quiescit, simul ad me accedit et a me recedit, n.p. in diversis hostiis. Verum tota difficultas ex eo oritur, quod motus localis, qui proprie solis speciebus convenit, transfertur in ipsum corpus Domini.

Aliud est moveri localiter, aliud simpliciter mutare locum

[1] *In IV Sent.*, d. 10, p. 1, q. 3. — [2] Cfr. *S. Th.* **76**, 6.

seu praesentiam. Motus localis habetur, quando dimensio corporis successive tangit diversas superficies continentes; quum igitur corpus Domini, ut in Eucharistia, nullam superficiem tangat, motum localem non capit, *non movetur* proprie seu *per se*. Nihilominus quia vere adest sub specie panis, quae movetur, necesse est, ut consequenter ad motum localem hostiae locum permutet, et successive acquirat perdatque praesentiam in singulis locis, per quos hostia transit, et hoc sensu dicitur *moveri per accidens*.

Itaque verus sensus assertionis: corpus Domini simul quiescit et movetur, est: idem corpus Christi, praesens manens in loco hostiae A (quiescentis), simul successive praesens sistitur in locis successivis hostiae B (motae). Sensus assertionis: corpus Domini simul ad me accedit et a me recedit, est: idem corpus simul praesens fit in duobus locis, quorum unus mihi propinquior, alter remotior est, quam loci in quibus antea exsistebat. Haec autem, supposita multipraesentia, ut supra, novam difficultatem non habent.

379 IV. **Cessatio realis praesentiae, absque ulla mutatione Christi.** Corpus Domini non alio titulo ad locum hostiae comparatur quam ratione habitudinis suae ad species, quae nunc continent corpus Christi, quia antea continebant (alio modo) substantiam panis conversam in illud. Consequens est, ut praesentia Domini in determinato altari finem habeat, quamprimum cessat habitudo ad species continentes. Jam universim loquendo habitudo contenti ad continens duplici modo solvi potest: aut corruptione vel motu locali ejus quod continetur, aut corruptione continentis. Porro quum corpus Domini neque corrumpi queat, neque prout est in Eucharistia motum localem capiat, realis praesentia non potest finire per aliquam mutationem ex parte Christi. Potest tamen finem accipere ex parte specierum; quamprimum enim corruptione deficiunt species panis et vini, cessat unica ratio, qua Christus ad hunc locum comparabatur, cessat proinde omnis comparatio

ejus ad locum. Igitur corruptis speciebus, Christus desinit esse praesens, „sicut Deus, cujus esse est indeficiens et immortale, disinit esse in aliqua creatura corruptibili, per hoc quod creatura corruptibilis desinit esse" [1].

V. Apparitiones miraculosae Christi in Eucharistia [2]. 380
Plures historiae ferunt, carnem aut sanguinem Domini in Eucharistia nonnumquam sensibiliter apparuisse. Veritatem historicam hujusmodi narrationum ecclesia plerumque nullatenus dijudicat, numquam absolute spondet. Prudentia vetat, tum omnes simul veluti a priori rejicere, tum omnes promiscue admittere; nam seclusa etiam omni fraude, facile crediderim hallucinationem naturalem in hujusmodi visionibus partem suam nonnumquam habuisse [3]. Verum supposita nunc veritate facti, quaeritur quomodo res *explicari* possit. Dicendum est, ea quae in casu videntur, non esse ipsam carnem aut sanguinem Christi; nam primo Christus modo circumscriptivo praesens est in coelis, quum igitur multilocatio circumscriptiva repugnet, non potest videri in alio loco. Praeterea ea quae apparuisse dicuntur saepe non quadrant cum statu glorioso corporis Domini, cujus v. g. sanguis non potest extra venas effluere, postea corrumpi, cet. Censent igitur theologi, aut divina virtute produci species intentionales in organis intuentium tantum, aut eadem virtute efformari aliquam figuram, repraesentativam Christi, quae vel ipsis speciebus consecratis inhaereat, vel rebus contiguis, v. g. corporali. Hac explicatione non adstruitur deceptio, nam species miraculosa unice formabatur ad ostendendam veritatem realis praesentiae. Nec obstat, quod in particularibus ecclesiis cultus latriae defertur reliquiis hujusmodi apparitionum; agitur enim de solo cultu

[1] *S. Th.* **76**, 6, c. — [2] L. c. 8; cfr. F. SCHMID, in *Zeits. f. k. Theol.* 1902, p. 492. — [3] Cfr. HEINRICH-GUTBERLET, *Dogm. Theol.*, IX, p. 639; RESCH in *Nat. u. Offenb.* 1878; HOOGEVEEN, *Eucharististische bloedwonderen*, in *Studiën*, 1914, p. 260; 1915, p. 49.

relativo, qui proprie non reliquiae commemorativae, sed ipsi Christo praestatur.

381 **Scholion.** *Regulae loquendi* — Quum in ss. Eucharistia habeatur mysteriosa quaedam unio inter corpus Domini et species remanentes quae cum ipso unum sacramentum efformant, quaedam praedicata, ad species primo pertinentia, ipsi corpori Christi applicantur sive proprie sive improprie, quaedam vero minime.

a. Praedicata, quae *solam praesentiam* exprimunt, abstrahendo a modo ejus, ipsi corpori Domini applicantur *proprie*, v. g. esse in altari, permanere in tabernaculo, ore suscipi, cet.

b. Praedicata, quae *praesentiam* exprimunt, sed *simul denotant contactum quantitatis aut motum localem*, solis speciebus conveniunt proprie, corpori tamen Christi *improprie* applicari solent, v. g. jacere in altari, tangi, videri, poni in throno, elevari, circumferri, cet.

c. Praedicata, quae proprie solis speciebus conveniunt, sed de iis enuntiantur, praecise *in quantum sunt signa corporis et sanguinis Domini*, adhuc *improprie, sed potiori quodam jure* ad ipsum corpus et sanguinem transferuntur. Hac ratione dicitur corpus Domini manducari, frangi, sanguinem Domini effundi. Siquidem *manducari* (i. e. non tantum venire in os et inde in stomachum, sed etiam in substantiam sumentis assimilari) solis speciebus proprie convenit; sed quia haec manducatio unice instituta est in signum spiritualis nutritionis, quam anima per eam haurit ex ipso corpore Domini, usitatissimum est, ut corpus Christi dicatur manducari, sanguis ejus bibi. Imo saepe dicitur *vere* manducari, *vere* bibi, sed sensus accuratior est: corpus et sanguis Domini vere veniunt in os et in stomachum nostrum, et ita anima ex iis vere nutritur. Item solae species proprie *franguntur* et *effunduntur*, sed ubi et quatenus voces fractio et effusio adhibentur ad symbolizandam dominicam passionem, merito ad ipsum corpus et sanguinem transferuntur [1].

[1] Cfr. *S. Th.* **77**, 7 c.

d. Praedicata, quae pertinent ad species praecise *ut sunt aliquid distinctum* a corpore Domini, *neque sub ea ratione qua significant corpus Domini*, nullo modo adhiberi possunt de ipso corpore et sanguine, v. g. esse rotundum, aut album, calefieri, corrumpi, cet.

Ceterum in hoc negotio nonnihil pendet a consuetudine ecclesiastica et usu communi fidelium. Generatim vitandus est modus loquendi, qui, etsi stricte sustineri posset, aut haeresi faveret aut insolitus esset.

Expositionem catholicae veritatis de sacrosancto realis praesentiae mysterio concludimus humili precatione, ut Christus eucharisticus nobis conservet et augeat fidem *animosam*, quam verbis s. Thomae commendat ecclesia:

Dogma datur christianis,
Quod in carnem transit panis
Et vinum in sanguinem!
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides!

CAPUT II.

DE SS. EUCHARISTIA UT EST SACRAMENTUM.

Eucharistiam sub ratione sacramenti considerando, dicemus de ejus exsistentia, partibus, effectibus, necessitate, ministro, subjecto.

Art. I.

DE SACRAMENTI EUCHARISTIAE EXSISTENTIA.

Definitio. Ss. Eucharistia definiri potest: *sacramentum, in* 382
quo sub specie panis et vini corpus et sanguis Christi substantialiter continentur ad spiritualem animae refectionem.

Eucharistiam esse **verum sacramentum** facile patet, siquidem habetur **a.** *ritus externus*, species panis et vini, super

quas prolata sunt verba consecrationis, et quae hominibus ut cibus et potus applicantur; **b.** *perenniter institutus* a Christo: „Hoc facite in meam commemorationem"; „Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat" [1]; **c.** *gratia sanctificans*, quae hoc ritu significatur simul et producitur: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissimo die;.... in me manet et ego in eo;.... ipse vivet propter me" [2].

Conveniens fuit hoc sacramentum institui *in ultima coena*, quando Christus ultima vice cum discipulis suis conversabatur; primo quia decebat praesentiam sacramentalem incipere ubi praesentia in propria specie jam desinebat, deinde quia sacramentum commemorativum dominicae passionis nonnisi imminente passione erat instituendum, denique quia ipsum tempus institutionis „in qua nocte tradebatur" sacramento nonstro majorem affert venerationem et affectum [3].

383 **Scholion.** Theologi nonnihil disputant, *cuinam rei in ss. Eucharistia nomen sacramenti proprie conveniat.* Quum lis maxima parte sit de modo loquendi, breviter indicamus, quae veriora habemus.

Cum sacramentum in senu strictio, *sacramentum tantum*, sit ritus externus constantus materia et forma, nomen sacramenti proprie convenit *speciebus panis et vini consecratis* [4]. Dico: speciebus *consecratis;* nam ratio signi efficacis gratiae non verificatur in phaenomenis panis et vini secundum se, sed, praecise in quantum moraliter adhuc substant verbis consecrationis, quae physice quidem transeunt, sed permanent virtute. Sequidem species neque significant corpus Domini in

[1] *Luc.* **22,** 19; *I Cor.* **11,** 24—26 — [2] *Jo.* **6,** 55—58. — [3] Cfr. *S. Th.* III, **73,** 5. — [4] Cfr. *Cat. conc. trid.* p. 2, c. 4, n⁰ 8.

cibum paratum, nisi in quantum intelleguntur affectae ac velut informatae verbis consecrationis, neque spiritualem refectionem causant nisi ex virtute eorumdem verborum.

Ipsum *corpus et sanguis Christi*, quum sensibus percipi 384
nequeant, nonnisi latiori sensu sacramentum vocantur, et proprie dicenda sunt *res et sacramentum* [1]; mediant enim inter sacramentum tantum et rem sacramenti, quae est gratia seu refectio spiritualis. Nam ab una parte species ut affectae verbis consecrationis immediate significant corpus Domini in cibum paratum; ab alia parte non praecise species, sed ipsum corpus et sanguis Christi sumentibus exsistunt titulus gratiae.

Nunc autem quum reliqua sacramenta actu seu gestu transeunte absolvantur, Eucharistia est sacramentum permanens, et ideo in ea distingui debent *confectio sacramenti*, qua per applicationem materiae remotae et formae incipit exsistere sacramentum stricte dictum, et producitur primus effectus, qui est res et sacramentum; *ipsum sacramentum;* et usus seu *administratio sacramenti*, qua illud ita homini applicatur, ut nisi impediat obex jam actu gratiam producat.

Quia Eucharistia est sacramentum permanens, etiam *res et sacramentum* aliter se habet in hoc sacramento atque in aliis; nam in aliis sacramentis non habet esse (aut physicum aut intentionale tantum) nisi in anima suscipientium; in Eucharistia habet esse in ipso sacramento exteriori et per illud homini applicatur [2]. Consequens est, ut res et sacramentum Eucharistiae ante usum non habeat rationem tituli ad gratiam nisi in actu primo, per usum vero, i. e. per sumptionem sacramentalem, fiat titulus appellans gratiam in actu secundo.

Inferes, minus accurate differentiam Eucharistiae et reli- 385
quorum sacramentorum a quisbusdam assignari hoc modo: alia sacramenta gratiam continent, Eucharistia continet ipsum gratiae auctorem. Omnia sacramenta, non excepta Eucharistia,

[1] Cfr. supra n° 62. — [2] Cfr. *S. Th.* III, 73, 1 ad 3.

virtualiter n.p. secundum virtutem instrumentalem, continent gratiam, quae est res omnium sacramentorum. Eucharistia vero hoc peculiare habet, quod virtualiter gratiam continent ratione ipsus corporis Domini, quod *formaliter* continent. Nam in hoc sacramento ipsum corpus Domini est medium seu instrumentum gratiae conferendae. „*Corpus* Domini" dico; non Dominus simpliciter, persona divina, quippe qui auctor principalis est omnis gratiae. Et adverte quam apte omnia cohaereant; nam vi verborum, vi sacramenti, id tantum praesens est in Eucharistia, quod habet rationem medii ad gratiam: corpus et sanguis Domini pro nobis in sacrificium mactata.

386 *Corollarium.* Quaeritur adhuc, *utrum Eucharistia sit unum sacramentum an plura* [1]. Quum duae habeantur species et duae consecrationes, Eucharistia materialiter duplex est; at *formaliter*, i. e. sub specifica ratione sacramenti, *unum* est. Prima ratio sacramenti est, quod sit signum sacrum, igitur ubi plura elementa materialia concurrunt ad unam significationem perfectam, merito dicuntur unum sacramentum. Atqui in Eucharistia nec res et sacramentum nec res sacramenti perfecte significantur nisi duabus speciebus simul. Primum quod attinet, corpus et sanguis Domini, quae praecise ut separata in morte sunt causa salutis nostrae et titulus universalis ad gratiam, non distincte significantur nisi per duas species separatim consecratas. Quantum ad alterum, quum refectio spiritualis in hoc sacramento symbolizetur epulis corporalibus, quae ut integrae sint cibum et potum requirunt, non haberetur signum perfectum, nisi duplex esset elementum [2].

Nihilominus, quia plura sunt elementa materialiter, Eucha-

[1] L. c. 73, 2. — [2] Hinc etiam explicatur, quare sacerdos, qui v. g. ad s. species renovandas, intra breve intervallum temporis plures particulas sumit, non dicatur plura sacramenta recipere sed unum; siquidem pertinent ad unam eamdemque refectionem symbolicam.

ristia est duplex secundum quid, et ita liturgia nonnumquam plurale adhibet ut v. g. in oratione purificationis: „in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta".

Art. II.

DE SACRAMENTI EUCHARISTIAE PARTIBUS.

I. **Materia, ex qua** Eucharistia conficitur, quae merito 387
vocatur ejus *materia remota*, sunt *panis triticeus et vinum de vite* [1]. — *Certum* est, imo si demas vocem „triticeus", *de fide*.

Singularem opionem, quam paucis abhinc annis defendit Harnack, n.p. veteres christianos in celebranda Eucharistia parum curasse elementa sumenda, dummodo convivium celebraretur, et praesertim eos multoties aquam pro vino adhibuisse, late refutat e. g. Scheiwiler [2]. Verum tamen est, quosdam haereticos adhibuisse panem et caseum (*Artotyritae*), alios solam aquam in calicem misisse (imprimis *Encratitae*); imo tempore s. Cypriani [3] in dissitis Africae plagis aliqui catholici ex ignorantia sola aqua utebantur (*Aquarii*). Sed ecclesia hujusmodi praxes semper et absque ulla haesitatione reprobavit.

1°. *Panem* Scriptura apertissime memorat. Quum autem 388
apud Judaeos panis usitatus ac praecipuus [4], et qui solus in sacrificiis adhibebatur, fuerit panis *triticeus*; quum praeterea

[1] Cfr. *Decr. ad armen.*, DENZ 698 et *S. Th.* III, **74**. — [2] *Die Elemente der Eucharistie in den ersten 3 Jahrh.*, in *Forsch. z. christl. Lit. u. Dogmengesch.*, 1903; cfr. FUNK, *Kirchengesch. Abhandl.* I, p. 278; ZAHN, *Brot u. Wein im Abendmahl der alten Kirche* (1892). — [3] S. CYPRIANUS, *Ep.* 63 *ad Caecil.* — [4] Pauperes etiam pane hordeaceo utebantur; sed praecisa etiam traditione credibile non est, Christum in *coena solemni* atque *ad instituendum ss. Sacramentum*, hunc panem, qui vilis reputabatur, adhibuisse.

universa traditio utriusque ecclesiae hujus panis usum testetur, omnes fere theologi contra Biel et Cajetanum ad valorem sacramenti panem triticeum postulant; quamvis circa nonnullas varietates frumenti disputent, utrum triticeae sint, necne.

389 Panis *azymus* et *fermentatus*, quum nonnisi occidentaliter differant, aequaliter sufficiunt ad valorem; quantum ad liceitatem sacerdotes tum occidentales tum orientales proprium usum suae ecclesiae observare tenentur [1].

Historice constat, *graecos* saltem a saec. VI fere universaliter adhibuisse panem fermentatum; idem faciunt reliqui orientales, exceptis armenis et maronitis, de quibus tamen ignoratur, utrum semper azymum adhibuerint.

In ecclesia *latina* usus panis azymi perantiquus est; testimonia explicita ad saec. VIII ascendunt (s. Beda); saec. IX Rabanus Maurus ad exemplum ipsius Christi provocat [2].

Ceterum de antiquissimis temporibus judicium certum proferri nequit; probabile videtur, primitus celebratum fuisse pro adjunctis tum in fermentato tum in azymo (nam tunc temporis panis azymus haud insolitus erat); deinde vero in occidente mox invaluisse et demum universaliter praevaluisse ritum azymi[3].

Quamvis graeci contrarium affirment, saltem probabilissimum est, ipsum Dominum ratione paschatis adhibuisse panem azymum; ceterum orientales praxim suam commendant dicendo, fermentum tritico admixtum assumptionem humanitatis symbolizare; occidentales in pane azymo significant tum immaculatam puritatem corporis Domini, ex virgine concepti, tum munditiem animae, quacum ad ss. Eucharistiam accedere debemus.

390 2°. *Vinum* Scriptura nonnisi ex obliquo indicat, n.p. per verba „non bibam amodo de hoc genimine vitis"; praeterea argumentum saltem valde probabile deduci potest ex ritu

[1] Cfr. CODEX J. C., can. 816. — [2] *De instit. cler.* I, 31. [3] Cfr. VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.*, in voce *Azyme*.

paschatis judaici [1]. Traditio, quoties contentum calicis memorat, semper vinum nominat. Dicitur vinum *de vite*, ut excludantur liquores ex pomis vel aliis baccis expressi, qui omnibus consentientibus non sunt vinum simpliciter dictum.

Non de necessitate sacramenti, sed ad solam *liceitatem* vino admiscenda est *modica aqua;* conc. trid.: „Monet s. synodus praeceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent" [2] Quum orientales generatim vinum impermixtum non biberent, et ritus judaici paschatis mixtionem haberet, merito creditur ipsum Dominum vinum aqua mixtum consecrasse; ceterum antiquissima traditio mixturam testatur [3].

Aqua vino addita mystice significat sanguinem et aquam ex latere Christi profluentes et intimam unionem fidelium cum Christo capite [4]. — Disputatationes scholasticorum, quid praecise de aqua admixta fieret [5], antiquatae sunt, quum inter elementa chimica, quibus vinum constat, semper habeaturaqua, nec quidquam referat, utrum quantitas aquae paulo major vel minor sit.

Materia proxima Eucharistiae, si vocem adhibere placuerit, materia jam applicata sunt ipsae species panis et vini remanentes, de quibus nihil superest dicendum.

II. **Forma** ss. Eucharistiae sunt *sola verba, quae Christus* **391**
in ultima coena adhibuit. — Certum est et constat ex *Decr. pro armen.:* „Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum" [6].

[1] Cfr. *Zeits. f. k. Theol.* 1880, p. 90. — [2] *Sess.* **22.** cap. 7; et can. 9; cfr. *Decr. ad armen.*, DENZ. 698; *Syn. hippon.* a. 393; apud HEFELE, *Conciliengesch.* II², p. 58. — [3] Cfr. s. JUSTINUS, *Apol. I*, c. 65; 67; s. IRENAEUS, *Adv. haer.* V, 2, 3. — [4] *Conc. trid. Sess.* **22**, cap 7; cfr. *Apoc.* **17**, 15. Cfr E. SRINGER, *Ueber die symbolische Bedeutung der Vermischung von Wasser und Wein bei der Opferung. in Theol. und Glaube*, 1920, p. 33. — [5] Cfr. v. g. DENZ. 416. — [6] DENZ. 698; cfr. *Missale rom.* Rubr. de defect. V, 1; X, 3 et *S. Th.* III, **78.**

1°. Pauci quidam putarunt, *ipsum Dominum* panem et vinum transmutasse aut actu voluntatis mere interno, aut externa benedictione, eum deinde ad declarandam conversionem jam perfectam protulisse verba: „Hoc est corpus meum" simulque jussisse ut apostoli his verbis ad consecrandum uterentur [1]. Sed quum haec opinio nullo fundamento nitatur et sensui traditionali adversetur, certo rejicienda est — Ceterum quaestio directa non est, quomodo ipse Christus consecraverit, sed quomodo ecclesia consecret.

392 2°. Graeci schismatici recentiores contendunt, ad transsubstantiationem non sufficere sola verba „Hoc est corpus meum". sed *insuper requiri epiclesim*, i. e. orationem, qua invocatur Spiritus s. ad panem et vinum immutanda. Imo nonnulli *soli epiclesi* transsubstantiationem tribuunt [2]. — *Eplicesis* in omnibus liturgiis orientalibus et in nonnullis antiquis occidentalibus invenitur fere immediate post verba „Hoc est corpus meum", „Hic est sanguis meus". En ejus tenorem secundum *Liturgiam s. Chrysostomi*, qua graeci etiam catholici utuntur: „Domine, qui hora tertia s. Spiritum tuum misisti in apostolos tuos, ne auferas eum a nobis, sed renova eum in nobis orantibus te...; et fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui et quod est in hoc calice pretiosum sanguinem Christi tui, immutans Spiritu Sancto tuo, ut fiant sumentibus in purificationem animae, remissionem peccatorum" [3], cet. — PIUS VII

[1] INNOC. III (nondum pontifex), *De s. alt. mysterio*. IV, 6; L. HOPPE, *Die Epiclesis* (1864), quem diligenter refutat J. TH. FRANS, *Der Euchar. Consecrationsmement* (1875—1880). — Saec. XVI A. Catherinus et Christoph. Cheffontaines adjecerunt, etiam hodie verba „Hoc est corpus", cet. declaratoria tantum esse, non efficacia. — [2] Cfr. BAUR, *Arg. c. orient. eccles.* (1897), p. 46; de Russis cfr. *Rev. August.* t. IX (1906), p. 85. — [3] *Euchologium* (Romae 1873), p. 64; pro *Liturg. s. Basilii* quae paucis tantum diebus per annum adhibetur) cfr p. 93 — Sententiae graecorum ex catholicis nimium accesserunt Touttée, Renoudot, Le Brun.

literis ad patriarcham antioch. graecorum melchitarum datis vetuit, ne quis „sive in publico sive privatim defendere ac tueri [auderet] opinionem, a schismaticis hominibus propugnatam, qua docetur formam, qua vivificum sacramentum perficitur, non in solis Jesu Christi verbis consistere" [1].

3⁰. Porro transsubstantiationem *nec unice nec partialiter* 393
pendere ab epiclesi, sed *solis verbis dominicis perfici:*

a. Multum suadetur ex s. *Scriptura.* Vix dubitari potest, hagiographos, narrando institutionem Eucharistiae, cuncta memorare voluisse, quae ad implendam jussionem: „Hoc facite in meam commemorationem" observanda sunt. Atqui de invocatione Spíritus s. a Christo facta aut saltem praescripta nihil habent.

b. Probatur ex *traditione*; nam ab una parte multi patres, etiam graeci, ut causam transsubstantiationis assignant verba Christi, nihil praeterea; ab alia parte nemo ex patribus aliam quamlibet formulam indicat aut innuit sola verba Christi non sufficere. S. Justinum vide supra [2]. TERTULLIANUS: „Acceptum panem et distributum discipulis, corpus illud suum fecit, hoc est corpus meum dicendo" [3]. EUSEBIUS CAESAREENS.: „Incruenta et rationalia sacrificia, quae precibus et arcano Dei sermone [*δι' εὐχῶν καὶ ἀπορρήτου θεολογίας*] perficiuntur, Salvator noster offerre docuit" [4]. S. GREG. NYSS.: „Recte ergo fide credo, etiam nunc panem, cum verbo Dei sanctificatur, transmutari in corpus Dei Verbi" [5]. S. AMBROSIUS: „Quodsi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de ipsa consecratione divina ubi verba ipsa Domini salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur" [6]. *Auctor libr. VI de Sacram.*: „Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis

[1] Breve 8 Maji 1822 (apud PESCH, *Prael. dogm.* VI, n⁰ 777). — [2] Supra n⁰ **307**. — [3] *Adv. Marc.* IV, 40. — [4] *De laud. Constant.* c. 16. — [5] *Orat. catech.* c. 37. — [6] *De myst.* c. 9, n⁰ 52.

est, cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam.... ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum" [1]. S. CHRYSOSTOMUS: „Figuram implens stat sacerdos verba illa proferens: virtus autem et gratia Dei est. Hoc est corpus meum, inquit. Hoc verbum transformat ea quea proposita sunt" [2].

Neque in contrarium facit, quod patres tum graeci tum latini saepe dicunt, panem transsubstantiari oratione, precibus, invocatione ss. Trinitatis, aut s. Spiritus, invocato Spiritu s., superveniente Spiritu s., cet.; nam ita loquendo non intellegunt specialem illam orationem, quae postea nomen *epiclesis* accepit, sed ipsa verba consecrationis, quippe quae sit oratio liturgica et practica invocatio s. Spiritus; nam quotiescumque verba illa per sacerdotem proferuntur, virtute Spiritus s. immutantur oblata. Virtute *Spiritus s.* dico, seu accuratius: vitute divina Spiritui s. appropriata, „quemadmodum enim quidpuid fecit Deus, id Spiritus s. fecit opera, ita nunc.... tibi respondeo, Spiritum s. supervenire [in oblata] et ea facere, quae sermonem, conceptumque omnem procul exsuperant" [3].

Hinc reapse nec Photius, nec Caerularius, nec ut videtur alius orientalium ante saec. XIV hac in re latinis quidquam objecit. Imo quum saec. XIV armeni apud Benedictum pp. XII accusati essent, quod transsubstantiationem non verbis Domini sed subsequenti orationi tribuerent, coacta a. 1342 synode in urbe Cis, responderunt, cunctos armenos credere quod panis et vinum convertuntur per verba: „Hoc est corpus meum"; ideoque jam conversa ab iis haberi, quando epiclesis recitatur [4]. Denique in conc. florentino haec legitur declaratio:

[1] L IV c. 4, n° 14. — [2] *Hom. I. de prodit. Judae*, n° 6 et cfr. *Échos d'Orient*, 1908, p. 101. — [3] S. JOES. DAMASC., *De fid. orth.* IV, 13, 36. Cfr. de his LINGENS, in *Zeits. f. k. Theol.*, 1897, p. 51; BRINKTRINE in *Röm. Quarts.* 1924, p. 21. [4] Cfr. HEFELE, *Conciliengesch.* VI², p. 660.

„Nuntiato domino nostro [papae], quod graeci in confectione sacramenti certis aliis orationibus uterentur, visum est sanctitati suae ut sciretur eorum intentio, an tenerent illas orationes esse de substantia consecrationis; et confessi sunt, auditis rationibus nostris, quod semper tenuerunt quod solis verbis dominicis conficeretur, et quod putarunt anathema, qui aliud crederet. Fuit institutum ut hoc poneretur in definitione. Dixerunt, quod hoc non erat necessarium, imo si poneretur, ecclesia ipsorum reciperet ignominiam ac si hactenus tenuisset aliud" [1]. Idem nomine omnium coram summo Pontifice professus est Bessarion [2].

394 4⁰. Quaeritur, *quid sibi velit epiclesis illa orientalium post consecrationem jam peractam.* Responderi solet: **a.** orationes liturgicae successive explicant, quod in instanti peragitur, unde non semper sunt referendae ad tempus quo dicuntur, sed potius ad tempus pro quo dicuntur [3]. Praeterea **b.** sensus adaequatus epicleseos est Deum rogare, ut elementa transmutentur et fiant nobis sumentibus salutaria, n.p. ut fructum spiritualem ex iis actu recipere mereamur. — Nonnulli eruditi censent etiam antiquam liturgiam romanam epiclesim suam habuisse, sed eam postea (sub Gelasio?) aut omissam aut in orationem *„Supplices te rogamus"* immutatam fuisse [4] Recentiora autem studia ostendunt, antiquissimas liturgias caruisse epiclesi stricte dicta i. e. formae consecratoriae [5].

---

[1] Apud LABBE, T. XIII, p. 1160. — [2] L. c., p. 1163. — [3] Eadem fere ratione ecclesia latina jam ad offertorium orat: „Suscipe hanc *immaculatam hostiam*", cet. quae certe non intellegitur panis. Item in ordinatione presbyteri post sacrificium jam oblatum, adhuc imponuntur manus cum verbis: „Accipe Spiritum s., quorum remiseris peccata", cet. — [4] Cfr. FUNK in *Theol. Quartals.* 1904, p. 601 et 614; et DE WAAL, in *Der Katholik*, 1896, I, p. 395. — [5] CAGIN, *L'Eucharistie* 1912, p. 69; HÖLLER, *Die Epiklese der griech.-orient. Liturgien*, 1912; *Studien*, 1915, t. 83, p. 395; BRINKTRINE, *Zeits. f. kath. Theol.* 1918, p. 301 et 482.

394a 5°. Medio aevo ante saec. XII Nonnulli putarunt transsubstantiationem etiam fieri posse *per contactum*. Ita ponebant vinum in sanguinem Christi transmutari per immixtionem quarundum guttarum vini consecrati, imo per intinctionem particulae hostiae consecratae. Contra hanc sententiam theologi, praesertim scholastici, unanimiter pugnaverunt, docentes panem et vinum solum per verba consecrationis transsubstantiari posse. Unde a saec. XII haec sententia pedetentim derelicta est [1].

395 6°. Posito quod ipsa verba Christi sunt forma hujus sacramenti, quaeritur *quaenam praecisa verba* ex iis, quae Missale rom. praescribit, *sint essentialia* [2].

a. Imprimis *certo* eliminanda est sententia Scoti [3], secundum quem verba *„Qui pridie"*, cet. et *„Simili modo"*, cet. ad valorem sacramenti necessaria sunt, non quidem ut pars formae, sed tamquam conditio sine qua non constaret ex ipsis verbis, sacerdotem agere in persona Christi. Certe requiritur, ut sacerdos verba Domini, non mere historice, sed simul etiam *assertorie* proferat, et quidem *ex persona Christi*; sed utrum hoc faciat necne a sola intentione pendet. Neque ulla ratio est exigendi, ut de intentione constet ex ipsis verbis prolatis.

b. *Certum* est, essentialia esse verba: *Hoc est corpus meum*, et: *Hic est calix sanguinis mei* (aut aequivalentia, nam v.g. liturgia graeca habet: Hic est sanguismeus); siquidem ubi haec verba omitterentur aut substantialiter mutarentur, praesentia corporis et sanguinis Christi sub specibus non significaretur.

c. *Probabilius* reliqua verba, quae in consecratione calicis adjiciuntur, n.p. *„novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum"*, non sunt ad valorem sacramenti necessaria; nam

[1] Cfr. *M. Andrieu, Immixtio et consecratio. La consécration par contact dans les documents liturgiques du moyen âge.* Paris, 1924. — [2] Cfr. *Zeits. f. kath. Theol.* 1926, p. 73. — [3] *In 4 Sent.* d. 8, q. 2, n° 4.

primo etiam sine hoc additamento praesentia corporis et sanguinis Domini symbolice immolati satis exprimitur. *Deinde* si in consecratione panis appositio „*τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον* [*κλώμενον*]", quae habetur apud Lucam, Paulum, pluresque liturgias [1], essentialis non est, non intellegitur, quare similis appositio in consecratione calicis absolute requireretur. *Tertio* quia ex his verbis nullum est, quod non desideretur in aliqua liturgia. Neque multum probabilis esset assertio, accuratiorem determinationem formae ad valorem requisitae etiam hic forsan pendere ab ecclesia; nam theologi qui ceteroquin auctoritati ecclesiae in hoc negotio aliquid tribuunt, sententiam suam defendunt cum limitatione: nisi ipse Christus rem in specie determinaverit. — Ceterum plures theologi censent, omnia verba praecitata ad essentiam pertinere [2]; neque multum refert, quid in hujusmodi quaestionibus probabilius judicaveris, quamdiu enim res dubia manet, in praxi semper sequenda est sententia tutior.

Corollarium. Remanet quaestio, undenam originem habeat 396
quoad singula verba forma consecrationis in Missali rom. praescripta? Antiquiores doctores, qui liturgias orientales aut ignorabant, aut iis parum attendebant, integram formam qualis in Missali prostat, aut ipsi Domino aut saltem apostolis tribuebant [3]. Recentiores minus fidenter loquuntur, neque asserere audent singula verba formae nostrae consuetae ad Christum, aut saltem ad b. Petrum ascendere.

Porro legenti patet, singulas voces, si excipias *aeterni* et *mysterium fidei*, desumi potuisse ex diversis narrationibus Scripturae, inter se comparatis.

Additio *aeterni*, quae etiam in nonnullis aliis liturgiis ha-

[1] Formam consecrationis secundum praecipuas liturgias habes apud FILLION, *In Luc.*, p. 364. — [2] De sententia ipsius Thomae (*S. Th.* III, **78**, 3) disputatur. — [3] Cfr. INNOC. III, *Decret*, l III, t. 41, c. 6; *Cat. conc. trid.* p. 2, c. 4, n° 21; *S. Th.* III, **78**, 3 ad 9.

betur, facile explicatur et forte desumpta est ex *Heb.* **13,** 20 „in sanguine testamenti aeterni".

Interjectio *mysterium fidei* extra ritum romanum nullibi occurrit. Nuper cl. de Waal opinavit, eam originarie fuisse exclamationem non ipsius celebrantis, sed diaconi, qua fideles peractae consecrationis certiores reddebantur. Quum enim antiquitus altare ab exordio canonis usque ad communionem in augmentum venerationis velis pretiosis obtegeretur, necesse fuit adstantes monere jam completum esse altissimum fidei mysterium [1].

Art. III.

DE SACRAMENTI EUCHARISTIAE EFFECTIBUS [2].

Ad vitandam confusionem haec *praenotamus.*

397 1°. Agitur de effectibus Eucharistiae ut est *sacramentum.* Sacrificium, quum pro vivis et defunctis offeratur, multis simul prodest, sacramentum *soli suscipienti* gratiam suam confert. Igitur proprie loquendo nemo s. communionem sumere potest pro alio, ita scil. ut gratia ex opere operato producenda alteri obveniat: „Ex hoc quod aliquis sumit corpus Christi, non accrescit aliis aliquod juvamentum" [3]. Nihilominus recte et pie fideles dicuntur *pro aliis communicare* vel s. communionem offerre, quando **a.** fructum satisfactorium, per totam illam actionem (praeparationem, sumptionem, gratiarum actionem) ex opere operantis percipiendum, ad modum suffragii pro alio offerunt; **b.** ea intentione accedunt, ut excitato per s. communionem amoris fervore, amoris fervore, ardentes

[1] *Der Katholik,* 1896, I, p. 392. — [2] Cfr. *S. Th.* III, **79**; HEIMBUCHER, *Die Wirkungen der h. Communion* (1884); J. BELLAMY, *Les Effets de la Communion* (1900); NICOLUSSI, *Die Wirkungen der h. Euharistie* (1918). — [3] *S. Th.* l. c., **7** ad **3.**

preces pro eo fundant; denique c. forte etiam indulgentiam, pro qua lucranda s. communio requirebatur, ei defuncto applicant.

2⁰. Etsi in s. communione corpus Christi ita nobis unitur, 398
ut intra corpus nostrum substantialiter praesens exsistit, haec *unio localis ad corpus non est res* seu gratia *sacramenti*, de qua in hoc articulo quaerimus, sed (supposita sumptione non mere materiali, sed sacramentali [1]) *titulus ad gratiam*, ipsi gratiae natura praevius [2].

[1] Cfr. supra n⁰ **136.** — [2] Hinc vides, quid respondendum sit protestantibus dicentibus, realem praesentiam Christi in Eucharistia et sumptionem ejus oralem *nec necessariam esse, nec utilem ad effectum gratiae;* Dr. BAVINCK: „Men ziet niet in waartoe dit noodig en dienstig is.... De manducatio oralis is onnut en ijdel" *(Ger. Dogmatiek,* IV, p 334.). Certe sumptio oralis corporis Christi *absolute* seu per se (i. e praecisa institutione Christi) non est necessaria ad vitam gratiae perficiendam. Potuisset Deus eamdem gratiam conferre absque sacramento corpus Christi continente, imo absque omni sacramento (n⁰ **23**). Sed quid inde? Nonne etiam genus humanum reparare potuisset absque incarnatione Verbi et sacrificio crucis? Verum supposita ordinatione Dei et institutione per Christum de utilitate et necessitate (intra limites infra assignandos) non est ambigendum. Quare Deus non potuit conservationem et perfectionem vitae spiritualis alligare sumptioni veri corporis Christi? Dicitur: catholici non satis *explicant, qua praecise ratione* sumptio oralis gratiam causet. Esto! Nemo cum certitudine explicabit, *quomodo* manus Christi in sanationem aegrotorum, vox Domini in resurrectionem Lazari influxerit. Nihilominus Christus tactum manus et sonum vocis adhibere voluit! Ceterum etsi intima ratio operationum divinarum nos lateat, negari nequit aptissime cohaerere mysteria catholicae fidei. Nonne pulcherrimus ordo est, ut humanitas Christi, totius salutis nostrae instrumentum et pretium, singulis fidelibus applicetur ut instrumentum copiosissimae gratiae et medium perfectae unionis nostrae cum Deo? Nonne caro Christi multum honoratur in eo, quod sicut olim causa meritoria, ita continuo exsistit causa applicatoria

399 3°. Effectus s. communionis saepe describitur hoc modo: sicut species sacramentales corpori nostro, ita *corpus Domini animae nostrae unitur, eamque alit.* Recte quidem, dummodo probe distinguantur ipsa locutio metaphorica et verus ejus sensus. Species corpori nostro assimilantur eadem ratione ac cibus quotidianus. At perfatuum esset cogitare, quod corpus vel anima Domini ita assimilaretur animae nostrae, transiretque in ejus substantiam. Nec putes omnem aequivocationem propulsari per celebre effatum AUGUSTINI: „Manducabis me; nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed *tu mutaberis in me*" [1]. Etsi enim hac dicendi ratione ad veritatem magis accedis, adhuc adhibes locutionem ambiguam. Sensus siquidem non est, animam nostram, nescio quo modo, transire in substantiam Christi, sed eam acquirere *majorem similitudinem seu conformitatem cum Christo-Deo, nos effici membra perfectiora corporis ejus mystici,* et hac ratione personae Christi magis confirmari et corpori ejus mystico plenius inseri.

400 Inferes *unionem cum Christo,* quae est proprius *effectus* hujus sacramenti, nec hypostaticam esse nec substantialem, nec quovis modo physicam, sed potius *moralem,* per augmentum gratiae sanctificantis et imprimis charitatis, qua ita Christo adhaereamus, ut voluntate et affectu in eo maneamus, vivendo propter ipsum, sicut ipse vixit propter Patrem [2]; secundum illud antiqui cujusdam auctoris: „Nostra et ipsius conjunctio non miscet personas, nec unit substantias, sed affectus consociat et confoederat voluntates".

---

vitae supernaturalis, secundum illud antiquorum patrum: ipsa caro Christi vivificatrix est? Nonne filii Dei adoptivi intime admonentur dignitatis suae et ad amorem Christi ac Dei excitantur ex eo, quod Salvatorem suum praesentem venerari et corde amplecti merentur?

[1] *Confess.* l. VII, c. 10. — [2] Lege s. THOM. *In IV Sent.*, d. 27, q. 1, a. 1.

Hanc igitur unionem, seu verius singula ejus elementa breviter probanda sunt.

PROP. **Effectus sacramenti Eucharistiae sunt gratia sanctificans secunda et charitas, quae augetur secundum habitum et excitatur in actum.** 401

Pars 1, n.p. effectum s. communionis esse *gratiam sanctificantem secundam*, non primam, *probatur* **a.** ex *s. Scriptura*, quae ss. Eucharistiam cibum et potum nominat [1]; atqui cibus et potus vitam non causant, sed eam conservant et augent. Praeterea apostolus exigit, ut homo communicaturus seipsum probet, ne indigne sumendo judicium sibi manducet et bibat [2]; etsi autem ex sola Scriptura manifestum non sit qualis probatio intellegatur, traditio apertissime explicat non sufficere aversionem a peccato per solam attritionem, sed omnino requiri statum gratiae. — **b.** Ex *ss. Patribus*, qui solis justificatis ss. Eucharistiam concedunt; cfr v. g. *Didachè* [3], ss. Justinum [4], Cyprianum [5], Ambrosium [6], Chrysostomum [7], Augustinum [8], cet. — Merito itaque conc. trid. contra reformatores definivit, remissionem peccatorum neque unicum, neque praecipuum fructum Eucharistiae esse [9]. — Ceterum s. communionem per accidens gratiam primam posse conferre, saltem probabilis sententia est [10].

Pars 2. *Augmentum charitatis habitualis* semper quidem conjungitur cum augmento gratiae sanctificantis, sed in hoc sacramento *primo et directe intenditur*, nam „per hoc sacramentum augetur gratia et perficitur spiritualis vita ad hoc, quod homo in seipso perfectus exsistat per conjunctionem 402

[1] *Jo.* **6**, 56 — [2] *I. Cor* **11**, 28. — [3] C. **9**, 5; **14**, 1—2. [4] *Apol. I*, 66. — [5] *Ep 15 ad martyr.* — [6] *In Luc.* l. VI, n° 70—71. — [7] *Hom. in Mt.* 82, n° 5—6. — [8] *Tract. 26 in Jo.* n° 11. — [9] *Sess.* **13**, can. 5. — [10] Cfr. supra n° **66** et **143**.

ad Deum" [1]. Et: „reliqua sacramenta vivorum non ordinantur per se primo et directe ad nutriendam charitatem propter solam majorem perfectionem ejus, majoremque unionem cum Christo, sed ordinantur ad speciales effectus, propter quos conferunt specialia auxilia et aliquod augmentum gratiae; at vero hoc sacramentum per se primo ordinatur ad perficiendam unionem cum Christo et cum corpore ejus [mystico]" [2]. Manifestum autem est, quod causa formalis perfectae conjunctionis nostrae cum Deo est charitas, quae propterea totius vitae christianae consummatio exsistit: „Qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo" [3]. — Simul vides augmentum charitatis ut proprium finem hujus sacramenti *probari* iis textibus, quibus edicitur, Eucharistiam institutam esse ad nos intime uniendos cum Christo et Deo: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo,... et ipse vivet propter me" [4]. Ss. patres autem intimam hanc unionem cum Deo et mysticam transformationem hominis in Deum per charitatem plurimum efferunt, variisque comparationibus illustrant. S. CYRILLUS HIER.: „Divinis mysteriis digni redditi, concorporei, ut ita dicam, et consanguinei Christi facti estis" [5] S. CYRILLUS ALEX: „Sicut si quis liquefactae cerae aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est; sic qui carnem et sanguinem Domini recipit cum ipso ita conjungitur ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniatur" [6]. Auctor antiquus sub nomine s. Thomae: „Haec est proprietas surculi bonae arboris, si trunco inseratur etiam silvestri,

---

[1] S. THOM. *S. Th.* III, **79,** 1 ad 1. — Hinc vides differentiam inter Confirmationem et Eucharistiam; utroque sacramento augetur gratia et perficitur vita spiritualis, sed in *Confirmatione* ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi; in *Eucharistia* ad perfectam unionem cum Deo per charitatem (s. T. OM. 1. c.) — [2] SUAREZ, Disp 63, s. 1. — [3] *I Jo.* **4,** 16. — [4] *Jo.* **6,** 57—58. — [5] *Cat. mystag.* **4.** 1. — [6] *In Jo* 1, VI, c. 17.

quod naturali virtute praevalens illius amaritudinem in suam dulcedinem et nobilitatem convertit, et similem sibi bonum fructum proferre facit. Sic corpus Christi nobis insitum defectus nostros evacuat et in suam nos bonitatem trahit, ut quales ipse frondes, flores et fructus justitiae facit, tales et nos per eum faciamus" [1].

Quum eadem virtus charitatis sit, qua Deum diligimus et proximos [2], augmentum charitatis necessario etiam respicit *proximos*, eos imprimis qui, divinae naturae per gratiam sanctificantem consortes facti, una nobiscum membra viva corporis Christi mystici exsistunt. Haec major conglutinatio cum proximis *significatur*, tum elementis externis Eucharistiae, quae ex multis in unum collecta sunt, tum eo quod sumptio Eucharistiae instituta est ad modum convivii, quod magnam vim habet ad mutuam amicitiam fovendam; *docetur* autem a s. Paulo dicente: „Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus" [3]. Merito itaque conc. trid. Eucharistiam vocat „symbolum" simul et „vinculum" „ejus unitatis et charitatis, qua salvator noster christianos omnes inter se conjunctos et copulatos esse voluit" [4]. 403

Pars 3. Excitatio *charitatis in actus*, fervor et devotio actualis cum spirituali dulcedine habentur per gratias actuales, quibus homo cooperari debet. Hujusmodi autem auxilia reapse pertinere ad effectum hujus sacramenti *probatur* **a.** ex proprio fine Eucharistiae, adunatione hominis cum Christo et Deo per charitatem; atqui ad hunc finem sola virtus charitatis absque actibus certe non sufficit. **b.** Ex eo quod Eucharistia instituta est ad modum veri cibi [5]; atqui cibus naturalis corpus ejusque vires non solum habitualiter reficit, sed in homine sano etiam actualem refocillationem et delectationem sensi- 404

[1] Inter *Opusc. s. Thomae*, Opusc. 58, *De sacr. alt.*, c. 20. — [2] Cfr. *S. Th.* II, II, 25, 1. — [3] *I Cor.* 10, 17. — [4] *Sess.* 13, cap. 1 et 8. — [5] *Jo.* 6, 56.

bilem causat. Hinc c. ss. Patres hunc effectum aperte agnoscunt: s. AMBROSIUS: „Hoc poculum inebriat affectus fidelium, ut curam saeculi hujus, metum mortis, sollicitudinesque deponant" [1]. S. CHRYSOSTOMUS: „Ex hoc fonte [s. Eucharistia sumpta] multi rivi manant, quos emittit paracletus" [2]. S. THOMAS: „Per hoc sacramentum quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiae et virtutis [charitatis] confertur, sed etiam excitatur in actum" [3]. Denique d. s. liturgia Eucharistiam laudat ut panem de coelo, „omne delectamentum in se habentem" [4].

Salvo meliori putamus, gratias actuales ad excitandum fervorem charitatis ex opere operato conferri tum in ipso momento manducationis sacramentalis, tum quamdiu, nondum corruptis speciebus, perdurat praesentia corporis Christi in nobis; non vero postea, nisi in quantum adauctis gratia et caritate habitualibus naturaliter correspondet copiosior mensura auxiliorum actualium. Ratio est, quod corruptis speciebus et finita praesentia corporis Domini, desiit titulus exigitivus gratiae sacramentalis [5].

405 *Corollarium.* Quoties subjectum est simpliciter dispositum i. e. a gravi peccato liberum, augmentum gratiae et charitatis *habitualis* semper percipitur, quamvis mensura multum variare possit; verum fervor sive actus charitatis, quum a libera cooperatione nostra pendeant, tum per affectum ad venialia, tum per carentiam debitae praeparationis et distractionem magna parte vel etiam ex toto impediri possunt [6]. Unde vides, quanti pretii sit puro corde et pia mentis recollectione ad s. synaxim accedere. Si frequenter panem angelorum sumimus et parum proficimus, defectus non in cibo est, sed in sumente!

---

[1] *Sermo 15 in Ps. 118*, n° 28. — [2] *Hom. 46 in Jo.*, n° 4. — [3] *S. Th.* III, 79, 1 ad 2. — [4] Cfr. *Clement.* l. III, t. 16, cap. un. — [5] Cfr. supra n° **75**. — [6] Cfr. *S. Th.* l. c., 8.

Scholion 1. *Effectus s. communionis distinctius declarantur.* — Legitur in *Decreto ad armenos:* „Omnem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem" [1] Porro haec enumeratio non est nisi distinctior explicatio effectuum supra assertorum. **406**

a. S. Eucharistia *sustentat* vitam spiritualem, operatur ad hoc ut anima vitam gratiae retineat seu, quod in idem recidit, est „antidotum, quo a mortalibus praeservemur" [2]. Facile autem intellegitur augmentum gratiae et charitatis, quo contra tentationes et pericula roboramur, plurimum conferre, ut mortem animae praecaveamus et tandem ad coelestem gloriam perveniamus. Hinc Christus: „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me *manet* et ego in eo .... Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum" [3].

b. S. Eucharistia *auget* vitam gratiae, dat spirituale impingescere secundum illud: „Christum regem adoremus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem" [4]. TERTULLIANUS: „Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur" [5]. Porro supra jam diximus, augmentum et perfectionem vitae supernaturalis esse proprium finem hujus sacramenti.

c. S. Eucharistia ut verus cibus *reparat* quotidianos defectus vitae spiritualis, remittendo peccata venialia, quae, etsi gratiam sanctificantem et virtutem charitatis proprie non minuunt, extenuant tamen fervorem ejus et alacritatem ad bona opera. Hinc Eucharistia a conc. trid. vocatur „antidotum, quo liberamur a culpis quotidanis" [6]. Hunc autem effectum Eucharistia operatur eo, quod excitat fervidos actus charitatis, quippe qui culpis venialibus et tepiditati directe opponuntur [7]. **407**

[1] Cfr. DENZ. 698; *S. Th.* **79**, 1. — [2] *Conc. trid. Sess.* **13**, cap. 2; cfr. *S. Th.* 1. c., 6 — [3] *Jo.* **6**, 57, 56. — [4] *Off. ss. Sacram.*, Invitatorium. — [5] *De resurr.* 8. — [6] *Sess.* **13**, cap. 2. — [7] Cfr. *S. Th.* 1. c., 4.

Quum autem actus charitatis, pro mensura suae frequentiae et intensitatis, mereantur remissionem poenae temporalis, Eucharistia non quidem ex proprio fine suae institutionis, sed „ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum" [unionem cum Christo per charitatem], operatur remissionem cujusdam poenae temperalis [1].

d. S. Eucharistia *delectat*; siquidem actualis dilectio Christi intime possessi gaudium parere nata est [2]. Haec delectatio per se est mere spiritualis, affectus voluntatis rationalis; verum si intense est, propter connexionem facultatum in partem sensitivam nonnihil redundare potest.

Quia igitur sacramentum Eucharistiae respectu animae proportionaliter eadem operatur, ac cibus materialis respectu corporis, et quia effectus alimenti corporalis sub nomine refectionis comprehendere solemus, merito dicimus effectum s. communionis esse *spiritualem* aut supernaturalem *animae refectionem*.

408 **Scholion 2.** *De effectu s. Eucharistiae respectu corporis* [3]. — Quia per sacramentalem communionem „efficimur christiferi, distributo in membra nostra corpore ejus et sanguine" [4], facile dabis, ex praesentia Salvatoris in corpore nostro pro digne sumentibus resultare vinculum quoddam morale inter Christum et carnem nostram, vi cujus Christus corpus nostrum considerat ut sibi speciali affinitate conjuctum, secundum illud s. CYRILLI HIER.: „Cum sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguineus ipsi efficeris" [5]. Porro quia „nemo umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam" [6], amor autem Christi certe otiosus non est, theologi docere solent, s. communionem etiam corporibus nostris proficuam esse, quantenus carnem a propria ejus spurcitia, i. e. *a luxuria praeservat*, eique *gloriosam resurrectionem promittit*.

[1] L. c., 5. — [2] Cfr. *S. Th.* 79, 1, ad 2. — [3] Cfr. SUAREZ, Disp. 64; FRANZELIN, *De sacram. Euch.* thes. 19. — [4] S. CYRILL. HIER. *Cat myst*, 4, 3. — [5] L. c. — [6] *Eph.* 5, 29.

a. *Praemunitionem contra peccata luxuriae* aut diminutionem **409** concupiscentiae Scriptura inter effectus Eucharistiae non recenset, ss. Patres vero eam saepius indicant. CLEMENS ALEX.: „Salvatorem intra pectus complectamur, ut enervemus carnis nostrae passiones" [1]. S. CYRILLUS ALEX.: „Christus exsistens in nobis sopit saevientem in nostris membris carnis legem, pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat" [2]. S. CHRYSOSTOMUS: „Aestum fugat et adusta omnia refrigerat" [3]. Igitur res certe admittenda est; verum si *modus* quaeritur, cum s. Thoma censemus, Eucharistiam hunc effectum indirecte tantum operari augendo charitatem: „Licet hoc sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem, quia sicut Augustinus [4] dicit: augmentum charitatis est diminutio cupiditatis" [5]. Quodsi plures theologi insuper admittunt praeternaturalem aliquam humorum temperationem, qua cupiditates carnis extinguantur, non negamus hujusmodi gratiam extraordinarie quibusdam devote communicantibus posse concedi, quemadmodum indigne vel minus digne accedentibus jam in hac vita poenae quandoque infliguntur [6], sed eam inter effectus ex opere operato, proinde communiter productos, recensere non audemus. Desunt enim argumenta.

b. *Gloriosam resurrectionem* ipse Christus sumptioni ss. Eucharistiae annectit: „Qui manducat, cet. habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in novissmo die" [7]; unde etiam traditio ab antiquissimis temporibus Eucharistiam „pharmacum immortalitatis" nuncupavit [8]. Quum tamen aliunde constet, etiam eos, qui Eucharistia numquam percepta in

[1] *Paedag.* l. I, c. 6 (Ed. Stählin, p. 115). — [2] *In Jo.* l. VI, c. 2. — [3] *Hom 46 in Jo.* n° 4. — [4] *Lib. 83 quaest.* qu. 36. — [5] *S. Th.* **79**, 6 ad 3; cfr. 1 ad 3. — [6] Cfr. *I Cor.* **11**, 33; s. CYPRIANUS, *De lapsis* 33. — [7] *Jo* **6**, 55. — [8] V. g. s IGNATIUS M., *Ephes* **20**, 2.

statu gratiae moriuntur, ad gloriam resurrecturos esse, verba Domini non ita possunt intellegi, ac si resurrectio gloriosa esset effectus simpliciter Eucharistiae. Dicendum itaque est, Eucharistiam *primo* indirecte sed plurimum prodesse ut ad beatam resurrectionem perveniamus, quatenus n.p. vitam gratiae sustentando, nos praeservat a peccatis mortalibus; *deinde* Eucharistiam carni nostrae tribuere novum titulum, aut si mavis, ei esse speciale pignus futurae resurrectionis. Quodsi patres subinde dicunt, per s. communionem corporibus nostris inseri semen quoddam immortalitatis, certe non est cogitanda cum paucis quibusdam theologis realitas quaedam physica, sed semen metaphorice accipiendum est, secundum illud s. IRENAEI: „Corpora nostra Eucharistiam percipientia jam non sunt corruptibilia, *spem resurrectionis* in aeternum habentia" [1].

Art. IV.

DE SACRAMENTI EUCHARISTIAE NECESSITATE.

Praesens art. duas complectitur quaestiones: necessitatem s. communionis in genere, et necessitatem communionis sub utraque specie.

411 I. **De necessitate sumendi ss. Eucharistiam in genere.** Distinguenda est necessitas medii et praecepti [2].

1⁰. *Sumptio ss. Eucharistiae non est necessaria necessitate medii ad salutem* [3].

Quoad *infantes* res est *de fide*: „S. q. d., parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, a. s." [4]. Doctrina ecclesiae semper habuit ad salutem pervenire omnes, qui gratiam sanctificantem acceperunt et in ea moriuntur. Atqui infantes gratiam accipiunt

[1] *Adv. haer.* IV, **18**, 2. — [2] Cfr. supra n⁰ **203**. — [3] Cfr. *S. Th.* III, **73**, 3. — [4] *Sess.* **21**, can 4; cap. 4; cfr. DENZ. 1922 (sententia Rosmini.)

per Baptismum, et, si ante annos discretionis moriuntur, eam perdere non potuerunt. Ergo. Nec aliter sentivisse videntur ii patres, qui contra peleganianos provocabant ad verba: „Nisi manducaveritis," cet., nam reapse non ipsum sacramentum Eucharistiae, sed unionem cum Christo per gratiam (quae quum per Eucharistiam perficiatur et consummetur, in sensu maxime proprio res hujus sacramenti dicitur) ad salutem requirebant. Hac ratione mentem Augustini interpretatur s. Fulgentius rusp., qui „Augustinus contractus" vocari solet [1].

Quoad *adultos* res *certa* est. Colligitur tum ex praxi veteris **412**
ecclesiae, quae nonnullos peccatores per multos annos, imo per totam vitam a s. synaxi arcebat; tum aliquatenus ex conc. trid., quod de solis sacramentis Baptismi et Poenitentiae necessitatem medii asseruit [2]. Quum Eucharistia non sit instituta ad gratiam primam conferendam, eatenus tantum habere posset rationem medii necessarii ad salutem, quatenus sine ejus participatione vita gratiae conservari omnino non posset. Jam imprimis certum est, hujusmodi impossibilitatem non exsistere pro iis adultis, qui post justificationem aut primo acceptam, aut per poenitentiam recuperatam, *brevi* moriuntur. Nam ab una parte nulla probabilitate diceretur, speciale quoddam adjutorium requiri ad statum gratiae per breve tempus conservandum, ab alia parte perseverantia passiva seu conjunctio mortis cum statu gratiae non est effectus alicujus sacramenti.

Sed neque probari potest omnimoda necessitas Eucharistiae ad statum gratiae *diu* conservandum [3], nam finis immediatus

[1] Cfr. supra n^{0} **286.** — Non desunt tamen, qui putant, ss. Augustinum, Innocentium I, Gelasium ex usu tunc vigente et *Jo.* **6**, 54 ad omnimodam necessitatem Eucharistiae minus recte conclusisse. Ita v. g. SCHANZ, *Lehre v. d. h. Sacr.* p. 421; cfr. tamen *Pastor bonus*, t. 25, 577 — [2] *Sess.* **6**, cap. 4; *Sess.* **14**, cap. 2. — [3] Sententiam contrariam nuper defenrunt J. NICOLUSSI (*Die Notwendigkeit der hl. Eucharistie*, 1917; *Die Wirkungen der hl. Eucharistie*, 1918), G. KLODNICKI

Eucharistiae non est praecise conservatio, sed augmentum et perfectio vitae spiritualis. Nec nimis urgenda est analogia cibi et potus; quum enim vita corporalis ejusmodi sit, ut per se statim minuatur et mox dilabatur, nisi quotidiano cibo reparetur, vita spiritualis, habitus gratiae et virtutum, nec quamdiu permanent, diminuuntur, nec umquam per se intereunt. Aliunde gratiae actuales, quibus omnes indigemus ad peccata mortalia diu vitanda, non ita ab Eucharistia pendent, ut non possint stricte loquendo aliis mediis, imprimis oratione, obtineri.

Ceterum concedi potest vel etiam debet, in adjunctis ordinariis Eucharistiam esse *medium moraliter necessarium* ad perseverandum in gratia, ita scil. ut homo, qui voluntarie diu a s. communione abstinet, difficillime perseveraturus sit; negligendo enim medium efficacissimum et ad usum communem intitutum eam ostendit socordiam, cui diligentia in aliis adhibendis vix conjungetur.

413 *Objici* solet effatum Domini: „Nisi manducaveritis .... non habebitis vitam in vobis" [1]. Verum **a.** necessitas asserta intellegenda est pro subjecta materia; quum autem agatur de cibo, cujus propria ratio est ut vitam non det, sed augeat ac consummet et ita conservet, statim sequitur verba „non habebitis vitam in vobis" in hunc sensum esse sumenda: non perfecte habebitis, nec diu conservabitis. Deinde **b.** conside-

(in *Divus Thomas*, 1920, pag. 57) et E. SPRINGER (*in Pastor bonus*, t. 33, pag. 268; t. 34, pag. 106; *Linzer Theol. prakt. Quarts.* 1921, pag. 525) Sed merito observat O LUTZ (in *Zeits. f. k. Theol.* 919, pag. 325; 1920, pag. 398 et 505; 1922, pag. 20) necessitatem medii in re aut in voto (pro parvulis in voto ecclesiae) nec ex fontibus revelationis nec ex praxi ecclesiae sufficienter probari neque a D. Thoma faveri. — M. DE LA TAILLE (*Mysterium Fidei*, 1924, pag. 506 sequ.) defendit necessitatem medii pro omnibus, saltem in voto; contra quem scripsit O. LUTZ (in *Zeits. f. k.* 1925, pag. 42).

[1] *Jo.* **6**, 54.

randum est, primam intentionem Christi loquentis ex contextu non fuisse determinare necessitatem hujus sacramenti, sed potius alte inculcare ejus veritatem, unde facile potuit asserere necessitatem in genere, absque ulteriori determinatione gradus seu modi ejus. Quo posito c. verba illa satis verificantur, si intelleguntur de necessitate intestina in sensu latiori ut supra, adjuncta necessitate praecepti.

414 2°. *Sumptio ss. Eucharistiae adultis necessaria est necessitate praecepti, tum divini tum ecclesiastici.* — Praeceptum divinum [1] jam communiter admittitur contra quosdam antiquiores; habetur autem ex *Jo.* 6, 45 et *Luc.* 22, 19. Cetera quae huc spectant, invenies apud moralistas.

415 II. **De sufficientia communionis sub una specie** [2]. — Ex praecepto Domini utramque speciem ab omnibus esse sumendam, saec. XV docuerent *hussitae*, ii praesertim qui calixtini seu utraquistae audiunt, quorum doctrinam rejecit conc. constantiense et Martinus V [3]. Errorem renovarunt *reformatores*, imprimis Calvinus, contra quos est conc. tridentinum mox citandum. Etiam *graeci schismatici* saltem nonnulli communionem sub utraque specie tramquam ex lege divina necessariam requirunt [4].

1°. *Communio sub utraque specie laicis et clericis, missam non celebrantibus, non est ex jure divino necessaria.* — De *fide* est ex conc. trid : „S. q. d., ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem ss. Eucharistiae sacramenti sumere debere, a. s." [5]. Agi de laicis et clericis non celebrantibus constat ex ipso concilio [6]; unde quaestio de sacerdotibus conficientibus ex

[1] Cfr. *S. Th.* III, 80, 11. — [2] Cfr. *S. Th.* III. 80, 12; HOFFMANN, *Gesch. der Laiencommunion bis zum Tridentinum* (1891). — [3] Cfr. DENZ 668 et 626. — [4] Cfr. BAUR. *Argum. c. orient. eccles.*, p. 50. — [5] *Sess.* 21, can. 1. — [6] L. c., cap. 1.

professo eliminatur. Negatur autem tum praeceptum divinum, tum necessitas salutis, i. e. moralis illa necessitas, quam supra indicavimus, ita ut sensus sit, eos qui unam tantum speciem accipiunt, nec praeceptum divinum violare, nec defraudari gratia sacramenti, latiori sensu ad salutem necessaria.

416 *Non violant praeceptum divinum,* cujus exsistentia **a.** ex Scriptura non probatur et **b.** per traditionem practicam ecclesiae excluditur.

Ad **a.** — Verba: „Nisi manducaveritis carnem filii hominis *et* biberitis ejus sanguinem", quum non intendant necessitatem hujus sacramenti accuratius determinare, facile ita accipiuntur, ut sumptionem quidem carnis et sanguinis praecipiant, non vero modum sumendi. Atqui etiam sub una specie caro et sanguis, totusque Christus sumitur. Hinc mox in eodem sermone soli manducationi et sumptioni unius speciei totus effectus tribuitur: „Qui manducat me, ipse vivet propter me..., qui manducat hunc panem, vivet in aeternum" [1].

Verba institutionis, „accipite et manducate... bibite ex eo omnes... hoc facite in meam commemorationem", in sua totalitate non singulos fideles, sed apostolos eorumque successores, in casu sacerdotes celebrantes, respiciunt. Quo admisso jam non remanet fundamentum asserendi, saltem praeceptum manducandi *et* bibendi cunctos indiscriminatim afficere.

Ad. **b.** — Antiqua ecclesia, etsi ordinarie Eucharistiam sub utraque specie administrabat, semper etiam agnovit et coluit communionem unius tantum speciei. Probatur ex praxi ss. Eucharistiam domi asportandi et ibi sumendi, utique sub sola panis specie [2]; ex communione infirmorum sub specie solius panis [3], vel etiam urgente necessitate solius vini [4]; ex praxi

[1] *Jo.* 6, 58—59. — [2] Cfr. TERTUL., *Ad uxor.* II, 5; s. CYPRIAN. *De laps.* 26; s. AMBROS. *De excessu Satyri,* I, 43; s. BASILIUS, *Ep. 93 ad Caesar.* — [3] Cfr. EUSEBIUS, *H. E.* VI, 44, PAULINUS, *Vita s. Ambrosii,* 47; LAMY, *De fide Syrorum,* p. 181. — [4] Cfr. *Conc. tolet XI* (a. 675), can. 11, apud HEFELE, *Conciliengesch.* III², p. 116.

parvulos sub sola specie vini communicandi [1], quam etiam hodie graeci observant [2]; ex praxi celebrandi liturgiam praesanctificatorum, quam pro singulis diebus quadragesimae, exceptis sabbatis et dominicis, injunxit synodus trullana a. 692 [3]. Denique ex eo, quod tempore s. Leonis I. nonnulli haeretici, qui vinum creaturam diaboli aestimabant et ideo solam speciem panis sumebant, catholicis permixti publice ad s. synaxim accedere potuerunt, inferendum videtur, tunc temporis fidelibus liberum fuisse aut unam aut ambas species sumere [4]. — Porro ex his omnibus apertum est, antiquam ecclesiam non cognovisse praeceptum Domini communicandi sub utraque specie.

Non fraudatur gratia necessaria. Sane gratia sacramenti **417**
deficere nequit, ubi nec sacramentum tantum, nec res et sacramentum desiderantur. Atqui in communione unius speciei satis servatur *sacramentum tantum* seu ritus significans, nam semper habetur participatio de illis epulis, quae plenam refectionem spiritualem symbolizant. Nec obstat, quod in una specie non ita distincte significatur, sive „annuntiatur" mors Christi, secundum illud: „Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat" [5]; nam memoria dominicae passionis primario et proprie non sumptione, sed confectione sacramenti celebratur. — Item in communione unius tantum speciei perfecte servatur *res et sacramentum* sive titulus ad gratiam, quum sub qualibet specie totus et integer Christus sumatur [6].

---

[1] Cfr. s. CYPRIAN. *De laps.* 25. — [2] „Ceci est d'une pratique courante, encore aujourd'hui, dans l'église grecque, où le prêtre met son doigt imbibé de precieux sang dans la bouche de l'enfant. On se sert aussi quelquefois de la cuillier" (MICHEL, *L'Orient et Rome*, Ed. 2, p. 236). — [3] Can. 52, apud HEFELE, *Conciliengesch.* III², p. 337; cfr. MICHEL, l. c. p. 239. — [4] Cfr. s. LEO, *Serm. 42 (De Quadrag. 4)*, n⁰ 5. — [5] *I Cor.* 11, 26. — [6] Cfr. *Conc. trid. Sess.* 21, cap. 4.

418 *Corollarium.* Conc. trid. dicendo: „nulla *gratia necessaria ad salutem* eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt" [1], intactam reliquit quaestionem, nonnihil controversam, num ceteris paribus plus aliquid gratiae accipiatur in sumptione utriusque quam unius speciei. Qua in re sententia negans ét communior est ét longe probabilior [2]. Quodsi nonnulli textus liturgici propriam quamdam gratiam singulis speciebus tribuere videntur, ut v. g. strophus: „Dedit *fragilibus* corporis ferculum, dedit et *tristibus* sanguinis poculum", dicendum est, cuilibet speciei appropriari effectum gratiae quem distinctius significat.

419 2°. Quum jus divinum nec communionem sub utraque specie exigat, nec utique communionem sub una specie injungat, secundum principium generale alibi traditum [3], *ad ecclesiam pertinet, hac in re* pro veneratione sacramenti et utilitate fidelium *aliquid statuere vel immutare.* Porro per undecim priora saecula in universa ecclesia multum praevaluit communio sub utraque specie, quae per se, i. e. spectata sola ratione sacramenti et praecisis difficultatibus ac periculis practicis, laudabilior est. A saec. XII in ecclesia occidentali paulatim invaluit usus, laicos non nisi sub sola specie panis communicandi, qui usus finiente saec. XIII fere universalis evaserat [4]. Consuetudinem hanc primo conc constantiense [5], deinde conc. trid. [6] diserte approbavit et pro lege habendam esse decrevit.

Rationes praecipuae, quibus haec praxis commendatur, sunt [7]: **a.** periculum effusionis et irreverentiae in distribuendo s. sanguine; **b.** penuria et caritas vini in nonnullis regionibus; **c.** repugnantia multorum eumdem calicem cum aliis

[1] L. c. — [2] Contrarium defendunt DE LUGO, *De Euch.* disp. 12, s. 3; VASQUEZ, disp 215, c. 2. — [3] Cfr. supra n° 102. — [4] Cfr. FUNK, *Abhandl.* I, p. 306—308. — [5] Cfr. DENZ. 626. — [6] *Sess.* 21, cap. 2: cfr. *Sess.* 22, in fine. — [7] Cfr. *Cat. conc. trid.* p. 2, c. 4, n° 66.

participandi [1]; **d.** professio practica dogmatis de praesentia totius Christi sub alterutra specie; denique ipsam legem quod attinet **e.** unitas liturgica.

Art. V.

DE SACRAMENTI EUCHARISTIAE MINISTRO ET SUBJECTO.

I. **Minister** [2] distinguitur *confectionis* seu consecrationis, et **420** *dispensationis*.

1°. *Solus sacerdos est minister confectionis ss. Eucharistiae.* — De *fide* est ex conc. later. IV: „Hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus" [3]. *Probatur.* 1°. Ex *s. Scriptura*, ubi legitur, Christum hanc potestatem apostolis, proinde etiam eorum successoribus tradidisse: „Hoc facite in meam commemorationem". Quum autem confectio Eucharistiae simul sit oblatio sacrificii, ut infra probabitur, et *Ep. ad Heb.* doceat, offerre sacrificium esse proprium munus sacerdotis [4], satis indicatur, confectionem Eucharistiae ad eos tantum pertinere, qui sacerdotium apostolicum continuant. — 2°. Ex *Traditione*. Teste s. JUSTINO „is, qui fratribus praeest" ss. Eucharistiam conficit [5]. S. CYPRIANUS agendo de martyribus in carcere visitandis jubet, „ut presbyteri, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis vicibus alternent" [6]. *Conc. nicaenum I* diaconis quibusdam improperat, quod presbyteris imo episcopis Eucharistiam porrigerent, „quoniam nec canon nec consuetudo

[1] Reapse ante aliquot annos inter protestantes Germaniae acriter disceptabatur de communi calice coenae, quem multi propter rationes hygienicas et aestheticas ita adversantur, ut propterea vel coenam omnino omittant vel privatos sibi caliculos expostulent. Cfr. *Der Katholik*, 1904, II, p. 269 — [2] Cfr. *S. Th.* III, 82. — [3] DENZ. 430; cfr. 424 et *Conc. trid. Sess.* 22, cap. 1, can. 2. — [4] *Heb.* 8, 3. — [5] *Apol. I*, c. 65. — [6] *Ep.* 5, n° 2; cfr. ORIGENES, *Hom. 4 in Num.* n° 3.

tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt dent corpus Christi" [1]. S. CHRYSOSTOMUS inde imprimis extollit dignitatem sacerdotum, quod Eucharistiam conficiunt [2]. S. HIERONYMUS acriter increpat quosdam diaconos: „Quid patitur mensarum et viduarum minister, ut super eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur" [3].

Ad *validam* confectionem sufficit solus character presbyteralis, qui inamissibilis est; usus vero *legitimus et licitus* subest jurisdictioni ecclesiae.

421 2°. *Solus sacerdos est minister ordinarius dispensationis* [4]. Constat ex conc. trid.: „Semper in ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent, qui mos tamquam ex apostolica traditione descendens jure ac merito retineri debet" [5]. Sequitur fere ex praecedenti, nam dispensatio per se, proinde ordinarie, pertinet ad conficientem. Aliunde pascere populum Dei corpore et sanguine Christi per se iis tantum convenire potest, qui sunt veri pastores in ecclesia, sive praecipui sive subalterni.

Ceterum ad dispensationem *congruentem et licitam* praeter characterem presbyteralem requiritur jurisdictio ad hoc in communicantem, sive ordinaria sive delegata. Ex his intellegitur illud s. IGNATII M.: „Valida [omni ex parte rata] Eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur, vel sub eo, cui ipse concesserit.... Non licet sine episcopo neque agapen celebrare" [6].

422 3°. *Diaconus est minister extraordinarius dispensationis.* — Explicatur ex eo, quod diaconus est minister immediatus

[1] Can. 18, apud HEFELE, *Conciliengesch.* I², p. 423. — [2] *De sacerd.* III, 4. — [3] *Ep. 146 ad Evang.* n° 1; cfr. *Adv. Lucif.* n° 21. — [4] Cfr. *S. Th.* **82**, 3. — [5] *Sess.* **13**, cap. 8. — [6] *Smyrn.* **8**.

sacerdotis, „comminister et cooperator corporis et sanguinis Domini" [1]; cui, etsi officium principale n.p. consecratio committi nequit, secundarium tamen delegari potest. In antiquissima ecclesia, diaconi ut adjutores celebrantis saltem alicubi utramque speciem fidelibus porrigebant [2]; mox ipse sacerdos speciem panis, diaconus calicem ministrabat [3]. Secundum disciplinam hodiernam ut diaconus aliquem ex officio communicet, requiritur gravis causa et delegatio ejus qui jure suo Eucharistiam dispensat [4].

II. **Subjectum** [5] capax ad ss. Eucharistiam *sacramentaliter* **423** suscipiendam est *omnis et solus homo baptizatus.* — Igitur non-baptizatus materialiter tantum sumeret; peccator vero baptizatus, supposita debita intentione, sacramentaliter [6], i. e. ita ut sumptio corporis Domini ipsi exsistat titulus de se exigitivus gratiae, quamvis affluxus gratiae per obicem impediatur. Hinc probabilis opinio est, gratiam adhuc concedi, si peccator sumpta Eucharistia conteratur antequam s. species corrumpantur [7].

Etiam *infantes* Eucharistiam sacramentaliter sumere et augmentum gratiae ex ea percipere, constat ex traditione practica ecclesiae, nam usque ad saec. XII usus habuit, ut infantibus tum statim post Baptismum, tum saltem alicubi etiam alias, ss. Eucharistia daretur, ut plurimum sub specie vini; qui usus in pluribus ecclesiis orientalibus etiam catholicis adhuc perseverat [8]. Igitur audiendus non est cl. Oswald, qui post paucos antiquos scholasticos opinatur, communionem infantium non esse sacramentalem, nec gratiam causare, sed

[1] *Ritus ordinant. Diaconi.* — [2] Cfr. s. JUSTINUS, *Apol. I*, c. 65, 67. — [3] Cfr. v. g. S. CYPRIANUS, *De lapsis*, 25; *Brev. rom.*, in festo s. Laurentii, resp. p. lect. IV; *Constit. apost.* VIII, 13 et 28; SCHANZ, *Lehre v. d. h. Sacram.*, p. 417. — [4] *S. R. Cong.*, decr. 3074. — [5] Cfr. *S. Th.* III, **80.** — [6] Cfr. supra n° **136.** — [7] Cfr. supra n° **75.** — [8] SCHANZ, *Lehre v. d. h. Sacr.* p. 420; MICHEL, *Orient et Rome*, p. 184.

iis ad summum quamdam protectionem divinam conciliare [1].

A saec. XII et deinceps consuetudo parvulos communicandi in ecclesia occidentali cessavit; conc. trid. definivit s. Eucharistiam iis nullo modo esse necessariam [2]; *Rit. rom.* edicit: „Iis, qui propter aetatis imbecillitatem nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habent, administrari non debet" [3].

Et merito ita sancitum est; etsi enim infantes inde carent augmento gratiae, minime necessario, multo melius consulitur venerationi s. sacramenti, tum quia praecaventur indecentiae quae in communicandis infantibus saepe accidere debuerunt, tum quia apud fideles aestimatio sacramenti augetur ex eo, quod nemini datur qui ejus excellentiam nec actualiter nec habitualiter agnoscere potuit. Quum igitur usus antiquus utilitati privatae faveret, praxis recentior magis attendit honori ipsius sacramenti et bono publico fidelium; proinde usui veteri tantum praevalet, quantum bonum commune bono privato antecellit.

Infantibus aequiparantur *amentes;* nisi quod iis, qui usum rationis aliquando habuerunt et tunc devotionem hujus sacramenti ostenderunt, in periculo mortis s. communio danda est, dummodo aliqua indecentia cum injuria tanti sacramenti timenda non sit [4].

Ad susceptionem *licitam et fructuosam* ss. Eucharistiae requiritur imprimis status gratiae, per confessionem sacramentalem comparandus, deinde ne fructus s. communionis magna saltem ex parte frustretur, recta intentio et sedula juxta uniuscujusque vires praeparatio [5].

424 *Corollarium.* Circa *modum* communicandi haec. Primis saeculis fideles specie panis super manum dexteram accipie-

[1] *Dogm. Lehre. v. d. h. Sakram.* I[5], p. 613. — [2] *Sess.* 21, cap. 4 et can. 4. — [3] Rubr. *de ss. Euch. sacr.*; cfr. *C. J. C.*, can. 854, § 1. — [4] *Rit. Rom.* 1. c. et rubr. de *comm. infirmorum*; cfr. *S. Th.* 80, 9. — [5] Cfr; Decretum s. Cong. Conc. 20 Dec. 1905.

bant [1], mulieres plerumque super manum velatam; soli aegroti eam ore suscipiebant. A saec. XI in ecclesia occidentali usus invaluit, ut sacerdos s. hostiam ori communicantium immitteret. Ecclesia graeca fere a saec. X coepit speciem panis s. sanguini intingere, et utramque speciem simul ope cochlearis ponere in os fidelium. Similis usus saec. X—XII etiam in occidente aliquando contigit, praesertim in Anglia [2].

CAPUT III.

De ss. Eucharistia ut est Sacrificium [3].

Eucharistia reliqua sacramenta non eo tantum excedit, quod Christum invisibiliter praesentem continet et gratiam prae omnibus eximiam, perfectionem scil. charitatis, confert; sed

[1] Cfr. S. CYRILL. HIER. *Cat. myst.* 5, n° 21. — [2] Cfr. FUNK, *Abhandl.* I. p. 293. — [3] Cfr. BELLARMINUS, *De Missa;* VASQUEZ, *In p. III Summ. Theol.*, disp. 220 seq.; A. STÖCKL, *Das Opfer nach seinem Wesen u. seiner Geschichte*, Ed. 2 1861; V. THALHOFER, *Das Opfer d. A. u. N. Bundes*, 1870; G. BICKELL, *Messe u. Pascha*, 1872; H. LAMBRECHT, *De ss. Missae sacrificio*, 1875; J. SCHWANE, *Die eucharistische Opferhandlung* 1889; F. S RENZ, *Opfercharakter der h. Eucharistie nach d. Lehre der Väter*, cet. 1892; et: *Die Geschichte des Messopfers-Begriff*, 2. vol. 1902; VACANT, *La conception du sacrifice de la Messe*, 1894; W. GÖTZMANN, *Das euch. Opfer nach d. Lehre d. älteren Scholastik*. 1901; G. BRETON, *Le Drame éternel, essai doctrinal sur la Messe*, N. GIHR, *Das h. Messopfer, dogm. liturg. u. ascet. erklärt*, Ed. 11, 1912; J. BROUWER, *Het h. Misoffer, of liturg. verklaring*, enz. 1885; J. BRINKTRINE, *Das Messopferbegriff in d. ersten Jahrh.* 1912; A. FORTESCUE, *The Mass, a study of the roman Liturgy*, 1912; P. BATIFFOL, *Leçons sur la messe*, Ed. 2, 1919; H. LAMIROY, *De essentia s. s. Missae sacrificii*, 1919; E. HUGON, *La Sainte Eucharistie*, Ed. 2, 1912; A. M. LÉPICIER, *De sacrosancto sacrificio eucharistico*, 1916; A. MACDONALD, *The sacrifice of the Mass, in the light of Scripture and Tradition*, 1924;

insuper ex eo, quod ejus confectio habet rationem veri sacrificii; unde celebratio Eucharistiae totius cultus centrum exsistit.

Post quaedam *praenotanda* dicemus de *exsistentia, natura, virtute* sacrificii eucharistici.

Art. I.

PRAENOTANDA.

425 1⁰. **Sacrifium** vi vocis est id quod sacrum facit aut sacrum fit. Hinc sacrificium in *sensu lato* adhibetur pro omni actu religionis, quo Deum honoramus eique religamur, n.p. **a.** pro *interna intellectus ac voluntatis subjectione erga Deum,* secundum illud: „Sacrificium Deo spiritus contribulatus" [1]; **b.** pro *omni actu externo, a virtute religionis aut elicito aut imperato* [2], seu ut dicit AUGUSTINUS: „Omne opus, quod agitur ut sancta societate inhaereamus Deo" [3]. Hinc intelleguntur verba Scripturae: „Sacrificium laudis honorificabit me"; „Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum" [4]; et: „Beneficentiae et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus" [5]; „Qui facit misericordiam, offert sacrificium" [6].

M. DE LA TAILLE, *Mysterium Fidei*, Ed. 2, 1924; M. TEN HOMPEL, *Das Opfer als Selbsthingabe und seine ideale Verwirklichung im Opfer Christi*, 1920; J. KRAMP, *Die Opferanschauungen der röm. Meszliturgie*, 1920; M. LEPIN, *L'idee du sacrifice de la Messe d' après les thelologiens depuis l'origine jusqu' à nos jours*, 1926.

[1] *Ps.* **50**, 19. De hoc sacrificio cordis intellegenda sunt verba *Missalis:* „In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te Domine; et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus"; quae, quum ad sacrificium eucharisticum non pertineant, in officio Parasceves non omittuntur. — [2] Cfr. *S. Th.* II, II, **81**, 1 ad 1. — [3] *De Civ.* **10**, 6. — [4] *Ps.* **49**, 23; **140**, 2. — [5] *Heb.* **13**, 16. — [6] *Eccli.* **35**, 4.

Verum in *sensu proprio*, cui in sequentibus unice attendimus, sacrificium est specialis quidam actus cultus externi et publici, qui ita peculiariter honorem soli Deo debitum exprimit, ut omnibus consentientibus nemini umquam, praeter Deum, exhiberi possit.

426 2⁰. Cum sententia communiore *sacrificium* definimus: *oblatio rei sensibilis cum ejus destructione, Deo legitime facta, ad supremum ejus dominium profitendum* [1].

Oblatio rei sensibilis, n.p. substantiae corporeae; en genus proximum, nam omne sacrificium est oblatio, sed non vice versa. Differentia autem specifica est, quod in sacrificio „fiat aliquid" circa rem oblatam, quod aliquam mutationem subeat; s. THOMAS: „Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit.... Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat" [2]. Quare autem in definitione non immutationem, sed destructionem memoravimus, infra dicetur.

Ad supremum Dei dominium profitendum. Sacrificium omnibus consentientibus est in genere signi, actio symbolica; ita ut ipsa oblatio cum immutatione sit veluti materia, significatio vero, quae per eam exprimitur, velut forma metaphysica sacrificii. Porro significatio primaria et essentialis omnis sacrificii est professio plenae subjectionis erga Deum, tamquam primum principium et ultimum finem nostrum. S. THOMAS: „Oblatio sacrificii fit ad aliquid significandum. Significat autem sacrificium, quod offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo. Anima autem se offert Deo in sacrifiicium sicut principio suae creationis et sicut fini suae beatitudinis" [3]. Hinc AUGUSTINUS: „Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum i. e. sacrum signum est" [4]. Quum igitur testificatio *divini* honoris sit propria ratio sacrificii, statim patet, quare sacrificium soli Deo offerri possit.

[1] Cfr. tract. *De Deo Redempt.* n⁰ **168.** — [2] *S. Th.* II, II, **85,** 3 ad 3. — [3] L. c., 2, c. — [4] *De Civ.* **10,** 5.

427 *Legitime facta*, n.p. instituta et exhibita. Sacrificium, saltem in sua perfectione historica[1], est exercitium cultus publici, ejus n.p. qui nomine societatis peragitur. Porro ab una parte nemo privatus efficere potest, ut actio, quamtumvis apta ad certam significationem exprimendam, hanc significationem reapse publice habeat; ab alia parte nemo nomine societatis Deum colere potest, nisi ad hoc deputatus exsistat. Hinc ad perfectum sacrificium requiritur: **a.** ut oblatio, cet. talis rei a competente auctoritate *instituatur* tamquam symbolum perfectae subjectionis nostrae in Deum; **b.** ut actio symbolica perficiatur a persona, ad hoc munus publice constituta, n.p. a *sacerdote*.

Per se loquendo auctoritas humana sufficit ad ritum sacrificalem designandum et sacerdotem constituendum; verum ubi divina auctoritas formam sacrificii determinavit et sacerdotium instituit, alii ritus aut personae constitui ab hominibus nequeunt; quum certe hujusmodi oblationes, praeter voluntatem divinam ordinatae, a Deo in hunc censum non acceptarentur. Et haec est ratio, quare nonnulli ritus, ut v. g. usus thuris et candelarum, qui ex se apti sunt ad significationem sacrificalem suscipiendam, in N.L. nec sacrificia sint, nec ab ecclesia in dignitatem sacrificii constitui possint, sed adhibeantur tantum ut caeremoniae, imprimis ad commendandam majestatem sacrificii eucharistici[2], quod est unicum sacrificium pro N. L. ab ipso Christo institutum.

428 3°. Satis controvertitur, *qualis mutatio* victimae sit de ratione sacrificii. Sententia communior et quae videtur probabilior requirit *aliquam destructionem*, qua victima redigatur in statum pejorem. Argumenta proponi solent haec. **a.** Nota propria omnium sacrificiorum, quae historice novimus, tum apud gentes, tum apud judaeos, tum imprimis in magno illo

[1] Dico: „in sua perfectione historica", nam ad quaestionem, num character publicus sacrificio stricte essentialis sit, descendere nequimus. — [2] Cfr. *Con trid. Sess.* 22, cap. 5.

sacrificio crucis, est oblatio cum quadam destructione. **b.** Essentialis significatio sacrificii per solam destructionem congrue exprimitur. Sacrificium offerimus, ut profiteamur Deum esse dominum nostrum absolutissimum, in cujus honorem, si id exigeret, vel ipsam vitam nostram profundere deberemus atque vellemus. Quum autem Deus id non exigat, imo vetet, rem aliquam cujus dominium habemus in locum nostrum substituimus, eamque ut hostiam vicariam offerimus [1]. Verum nisi hanc rem aliquo modo destruamus, animum nostrum in ejus oblatione de facto non satis symbolizamus. Hinc **c.** ipsae voces sacrificium, sacrificare, hostia, victima, cet. [2] ex communi omnium aestimatione ideam demutationis seu deteriorationis includunt.

Nihilominus plures theologi docent ad sacrificium etiam **429**
sufficere, imo intimam rationem sacrificii expostulare *immutationem perfectivam* vel *transformativam*, qua res commutatur *in melius*, saltem moraliter, ita ut terminus ad quem hujus mutationis jam Deo peculiariter gratus exsistat atque ab eo „in odorem suavitatis" acceptetur. Dicunt siquidem: **a.** non in omnibus V. L. sacrificiis inveniri destructionem (panes propositionis); **b.** ubi habetur destructio, veram notam distinctivam sacrificii non praecise sitam esse in destructione termini a quo, sed magis in productione termini ad quem: cremabatur incensum ut ascenderet odor suavis; oleum ut generaretur lumen; mactabantur animalia, ut caro et adipes sacram flammam alerent altaris, ad velut per ignem ad Deum ascenderent, cet. His autem omnibus exprimebatur voluntas hominis intimam et perfectam unionem cum Deo quaerentis: „ut sancta societate inhaereamus Deo". Ita post Suaresium [3] imprimis Scheeben [4], quem Schanz [5], aliique sequunter.

---

[1] Hinc in vicitimas eligebantur *animalia*, quae homini proxima sunt in scala viventium, et ea *vegetalia*, quibus vita nostra sustentatur. — [2] *Hostia* ab hostio = ferio; *victima* a vinco. — [3] *Disp.* 73, *s.* 5. — [4] *Handb. d. kath. Dogm.* III, p. 400. — [5] *Lehre v. d. h. Sacram.* p. 478.

430 Verum haec sententia ingeniosa magis quam vera videtur. Unio cum Deo finis sacrificii est; sed forma ejus metaphysica reponenda est in professione plenae subjectionis erga Deum, quae significatur per destructionem, non vero per mutationem in melius. Concedendum est, sacrificium non absolvi destructione, actionem sacrificam non praecise reponendam esse in destructione qua tali, sed in oblatione qua et ipsa destructio victimae in cultum Dei ordinetur. Nihilominus oblatio naturam sacrificii mutuatur ex eo, quod adjunctam habet destructionem.

Contendit cl. Scheeben, sententiam suam respondere genuinae menti veterum scholasticorum, et theoriam destructionis nonnisi post conc. trid. per Bellarminum et Vasquez invectam esse. Quum veteres doctorés, in declaranda natura sacrificii parum expliciti fuerint, de vera eorum mente disputari potest; nihilominus s. THOMAS satis aperte favet destructioni: „Nomen oblationis commune est ad omnes res, quae in cultum Dei exhibentur: ita ut si exhibeatur aliquid in cultum divinum, quasi in aliquod sacrum, quod inde fiere debeat *consumendum*, ét oblatio est ét sacrificum. Si vero sic exhibeatur, ut *integrum maneat* divino cultui deputandum, vel in usus ministrorum expendendum, erit oblatio et non sacrificium" [1].

Theoriam destructionis sequor non ut certam, sed ut probabiliorem tantum; minime enim asserere auderem alteram sententiam, quatenus docet etiam aliam immutationem ad rationem sacrificii sufficere posse, probabilitate carere. Porro theoriam destructionis amplectendo, pro explicanda veritate sacrificii eucharistici conditionem pejorem sectamur; nam quod ibi habetur immutatio in melius luce clarius est; quomodo autem intercedat aliqua destructio non ita liquet. Quapropter si ostendimus, etiam ex hac difficiliori sententia Eucharistiae nihil deese eorum, quae ad verum sacrificium requiruntur, certe veritatem catholicam efficacissime defendemus.

[1] *S. Th.* II, II, 86, 1 c.

4⁰. Supposita necessitate alicujus destructionis, quaeritur 431
qualis destructio ad naturam sacrificii requiratur? Responsum pendet ex fine propter quem exigitur. Quum autem finis essentialis sit sola *significatio* perfectae subjectionis in Deum, facile intellegitur, per se sufficere omnem speciem destructionis, quae apta est ad hanc significationem sensibiliter exprimendam. Hinc merito dicitur *non semper requiri destructionem realem*, sed *sufficere* posse quidquid ei moraliter aequivalet, i. e. *quidquid ita speciem externam destructionis prae se fert, ut in ratione signi substantiali consumptioni aequiparetur.*

In sacrificio crucis et in multis sacrificiis V. L. habebatur *destructio physica* et substantialis, per occisionem vel combustionem.

In aliquibus sacrificiis veterum habebatur quaedam *destructio moralis*, qua res physice quidem non dissolvebatur, sed ad usum naturalem fiebat inutilis, aut constituebatur in statu ad ejus destructionem vergente, ut v. g. quando vinum effundebatur.

In Eucharistia autem habetur aequivalentia longe alia, correspondens propriae naturae hujus sacrificii, cujus hostia sub aliena specie offertur: *destructio mystica*, cujus rationem infra explicabimus.

5⁰. Sacrificium praeter significationem essentialem, quae est 432
professio plenae subjectionis in Deum, etiam habere potest significationem *figuralem* (typicam aut mysticam), quatenus n.p. mysterium vel adhuc gerendum praefigurat vel jam completum in memoriam revocat. Et ita sacrificia in V. L. divina auctoritate ordinata, imprimis cruenta, erant typus et figura sacrificii crucis, et sub hac ratione typica potissmum Deo placebant; s. THOMAS: „Omnia illa sacrificia offerebantur in V. L. ut hoc unum singulare et praecipuum sacrificium figuraretur, tamquam perfectum per imperfecta" [1]. Simili modo

[1] *S. Th.* II, I, **102**, 3 c; cfr. s. AUGUST. *Enarr in Ps. 39*, n⁰ 12.

sacrificium eucharisticum est continua memoria et repraesentatio sacrificii crucis, ut suo loco explicabitur. Et ita omnia sacrificia, quae Deo umquam placuerunt, ordinem habuerunt ad magnum illud sacrificium, quo perfecta est nostra redemptio.

433 6°. Finem seu, ut alii loquuntur, virtutem quod attinet, in quolibet sacrificio quatuor momenta distinguere licet. Omne sacrificium primo et directe est adoratio stricte dicta, vera latria, qua infinitam Dei excellentiam laudamus eique nos submittimus: momentum *latreuticum*. Vix autem possibile est, bonitatem Dei absolutam laudando considerare, quin simul cogitemus ejus bonitatem in nos et beneficia, tum quae jam accepimus, tum quae in posterum pro necessitatibus nostris accipienda speramus. Et ita latriae presse dictae accedit momentum *eucharisticum*, quo pro collatis donis gratias agimus, et momentum *impetratorium*, quo petimus quidquid ultra indigemus. Et haec quidem valent absolute et pro omni statu. Verum in statu naturae lapsae professio subjectionis erga majestatem divinam sponte gignit, et gignere debet agnitionem culpae et implorationem veniae, tum pro ipsa culpa tum pro poenis ejus. Et ita oritur momentum *propitiatorium*, quo Deum placare, nobisque propitium reddere nitimur.

Etsi autem omne sacrificium ad quadruplicem hunc finem valet, facile intellegitur, in uno sacrificio praevalere posse intentionem et valorem v. g. eucharisticum, in alio intentionem et valorem propitiatorium, cet. Et hac ratione in cultu levitico distinguebantur *holocausta* (ita dicta, quia tota caro victimae in honorem Dei cremabatur), in quibus praevalebat momentum latreuticum; *hostiae pacificae*, quarum finis peculiaris erat gratias agere pro beneficiis acceptis et nova beneficia expetere (quibus adjungebatur convivium sacrificale in signum communionis Deum inter et homines, ac si Deus cultoribus suis convivium pararet); et *hostiae pro peccato*, quae specialiter assumebantur ad Deum placandum.

Nunc vero „carnalium sacrificiorum varietate cessante,

omnem differentiam hostiarum una corporis et sanguinis Christi complet oblatio" [1]; et merito quidem, nam „hujus veri sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca sanctorum; cum hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis una res diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur" [2].

434 7⁰. **Sacrificium eucharisticum,** quod graeci *Λειτουργίαν* vocant [3], in occidente inde a saec. IV nomen habet *Missa* = missio [4]; quod nomen, sub influxu ut videtur disciplinae arcani, desumptum est a caeremonia qua diaconus post homiliam catechumenos et peracto sacrificio fideles dimittebat: „Recedite, catechumeni"; „Ite, missa est". Hinc aliquoties occurrit forma pluralis: Missarum solemnia. Postea nonnulli explicarunt: missa, quia ejus celebratio est legatio ad Deum; quia hostia et preces mittuntur ad Deum [5]; sed hae interpretationes, utut aptae et piae, non sunt historicae. Perperam autem quidam provocarunt ad vocem vel hebraeam מִסָּה (*Deut.* 16, 10 *Vulg.* oblatio spontanea), vel graecam *μύησις*.

435 8⁰. Sacrificium eucharisticum *definiri* potest: *unicum N. L. sacrificium, in quo corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini Deo Patri offertur.* Dicitur unicum sacrificium N. L., hoc sensu, quod est unicum sacrificium in N. L. perpetuo celebrandum, et in quo principaliter consistit cultus in N. L. Deo jugiter persolvendus.

Sacrificium crucis in tantum pertinet ad novam legem, in quantum per illud testamentum novum incepit atque consti-

---

[1] S. LEO M. *Sem. 59, 7.* — [2] S. AUGUST. *De civ. 10, 20.* — [3] Derivatur a *λεῖτος* (*λαος*) et *ἔργον* = opus publicum. — [4] Ita etiam offensa = offensio; remissa = remissio. — Nomen *Missae* pro sacrificio altaris occurrit apud s. Ambrosium et in *Peregrinatione Sylviae* (seu potius Etheriae aut Egeriae); cfr. *Theol. Quartals.* (Tübingen) 1889, p. 531 et 1904, p. 50. — [5] Ita v. g. RUPERT. TUIT., *De div. offic.* II, 20; *S. Th.* III. 83, 4 ad 9.

tutum est; sed nullo modo est, aut esse potest sacrificum, quo ecclesia novi testamenti debitum adorationis Deo persolvat. Aliunde fructum si spectes, sacrificium crucis minime restringitur ad stadium legis evangelicae, sed complectitur omnia stadia regni Dei in terris post lapsum Adae. Quicumque enim ab initio Deo placuerunt, vel usque ad ultimum mundi diem ei placebunt, non nisi ex participatione hujus singularis sacrificii, aut adhuc peragendi aut jam peracti, justitiam ac salutem percipiunt.

436 9°. Celebrationem Eucharistiae esse *verum sacrificium* post nonnullos antiquiores, ut v. g. albigenses [1], *negant protestantes universi*, lutherani, calvinistae, anglicani, exceptis quibusdam ritualistis hodiernis. *Cat. heidelb.* dicere non veretur, quod „missa ultimo nihil aliud est quam negatio unici sacrifiicii et passionis J. C. et maledicta idololatria" [2]; et vix aliter loquitur nostris diebus Dr. Bavinck [3]. *Veteres-catholici* nostrates verum sacrificium in missa agnoscunt; quodsi dicunt „celebrationem Eucharistiae in ecclesia non esse continuam repetitionem seu renovationem sacrificii propitiatorii, a Christo semel pro semper in cruce oblati", id unum intellegere videntur, in missa non intercedere novam mactationem *realem* Christi-victimae, quod utique verum est [4].

Doctrinam catholicam definivit con. trid.: „S. q. d., in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari, a. s," — „S. q. d., illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, a. s." [5].

---

[1] Cfr. DENZ. 430. — [2] *Qu. 80.* De orgine hujus incisi cfr. GOOSZEN, *De heidelb. Catechismus*, p. 116. — [3] *Geref. Dogm.* IV, p. 339. — [4] Cfr. *Oud-Katholiek*, 1889, p. 103 (Declaratio „ad ecclesiam catholicam") et p. 120; 1904, p. 30. — [5] *Sess.* 22, can. 1 et 2; cap. 1; cfr. etiam DENZ, 1045.

Art. II.

DE SACRIFICII EUCHARISTICI EXSISTENTIA.

Celebrationem ss. Eucharistiae habere naturam veri sacri- 437
ficii, ex Scriptura et traditone probari debet. Verum argumentis proprie dictis praemittere placet duas consideraciones, quae thesim catholicam velut a priori suadent.

a. Historia religionum docet, usum offerendi sacrificia ita universaliter obtinuisse apud gentes, ut vix inveniatur religio absque sacrificiis [1]. Hinc merito infertur, oblationem sacrificii in communi fundari in jure naturae [2], et religionem sine sacrificio mancam esse atque imperfectam. Porro quum religio a Christo instituta sit religio perfecta, incredibile videtur eam carere vero sacrificio.

b. Novum testamentum comparatur ad vetus tamquam perfectum ad imperfectum, cum hoc fuerit figura et praeparatio illius. Quum igitur in V. T. cultus divinus non caruerit actu suo principali et nobilissimo, n.p. sacrificio, iterum incredibile videtur cultum N. T. omni sacrificio destitui, et ita typo suo inferiorem exsistere. — Atqui nisi concedas missam esse verum sacrificium, nullum omnino in religione christiana sacrificium invenitur, uti omnes concedunt.

Nec proficit dicere: sacrificium crucis ipsa sua excellentia in posterum quodvis sacrificium excludit. Nam si sacrificium Christi obstaret, quominus nos Deum vero sacrificio colamus, quare adoratio Christi non aequaliter impedit, quominus Deum adhuc adoremus? In quantum autem incongruum videtur, post sacrificium crucis immolare

[1] Cfr. SCHANZ, in *Kichenlex.* IX, p. 868; C. P. TIELE: „Offers vindt men in tallooze verscheidenheid in alle natuurgodsdiensten; doch ook, schoon aanmerkelijk gewijzigd, in de ethische" (*Hoofdtrekken der Godsdienstwetenschap*, p. 100).— [2] Cfr. *S. Th.* II, II, 85, 1.

victimas inferioris pretii, facile respondetur: hanc inconvenientiam nullo modo cadere in sacrificium, quale de facto exsistit, in qua eadem hostia mystice immolata indesinenter offertur ad memoriam crucis celebrandam, ejusque fructus applicandos.

Jam accedimus ad argumenta, quorum tria priora erunt scripturistica, quartum traditionale.

438 **Argumentum I.** Ex *Melchisedech, typo Christi-sacerdotis.* In *Ps.* **109** Christus praedicatur „sacerdos in aeternum secundum ordinem [i. e. similitudinem, modum, ritum] Melchisedech", a. v. edicitur, Christum praecise secundum quod habet perpetuum sacerdotium praefiguratum esse per Melchisedech[1]. Quum autem sacerdotium per se et primario sacrificium respiciat, similitudines, quae praeter sacrificium inter Melchisedech et Christum assignari possunt, ad rationem typi et antitypi non sufficiunt, sed imprimis attendi debet similitudo secundum sacrificium. Atqui sub hoc respectu de Melchisedech unum tantum novimus, n.p. eum sacrificasse in pane et vino. Necesse itaque est, etiam Christum sacerdotio fungi, et quidem perpetuo fungi per sacrificium, quod similitudinem habet cum sacrificio panis et vini a Melchisedech quondam oblato.

Porro si celebratio Eucharistiae sub specie panis et vini, quam Dominus in coena peregit et ex persona sua in finem usque saeculi peragendam injunxit[2], verum sacrificium est, Christus reapse perpetuo sacerdotio fungitur „secundum ordinem Melchisedech". At si sacrificium non est, nullatenus apparet quomodo typus Melchisedech in Christo sacerdote impleatur.

439 *Explicatio.* — 1°. Locum psalmi *messianum* esse, a solis rationalistis ex praeconcepta opinione negatur.

[1] *Ps.* **109**, 4; cfr. *Hebr.* **5**, 6, 10; **6**, 20. — [2] Cfr. *I Cor.* **11**, 24—26.

2°. Minime negamus, Melchisedech *etiam sub aliis respectibus* typum Christi gessisse, np. in eo quod fuit simul rex et sacerdos; quod nomen ejus idem sonat ac rex justitiae; quod erat rex Salem, i. e. pacis; quod apparens in Scriptura „sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitae habens", perpetuitatem Christi-sacerdotis symbolizat [1]. Sed dicimus, *has similitudines non sufficere* ad explicandum solemne vaticinium: „Juravit Dominus et non poenitebit eum: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech". Ratio primo loco indicata videtur excludi per versus praecedentes psalmi, qui regium messiae munus jam diserte efferunt. Aliae rationes aut inferioris momenti sunt aut longius quaesitae, unde in *Ep ad Hebr.* nonnisi pro peculiari mentalitate primorum lectorum afferri videntur. — Nec obstat, quod eadem epistola, agens de Melchisedech ut erat typus Christi, de similitudine sacrificii omnino sileat; nam res satis explicatur ex scopo auctoris, qui ad probandum, sacerdotium Christi praecellere sacerdotio levitico, ostendere voluit, ipsum Melchisedech typum Christi praecellere sacerdotibus aaronicis. Porro dicere non potuit, Melchisedech iis praecellere ratione sacrificii sui, nam sacerdotes levitici ét sicut Melchisedech sacrificia incruenta offerebant, ét praeterea immolabant sacrificia cruenta, quae ex opinione judaizantium incruentis praestabant. Ceterum character sacrificalis ss. Eucharistiae etiam ex *Ep. ad Hebr.* constat, ut infra dicetur.

3°. Melchisedech in pane et vino *sacrificium obtulisse,* in 440
Scriptura non diserte enuntiatur, sed nihilominus satis significatur. Hebraice: „Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum et erat sacerdos Dei altissimi et benedixit ei [Abrahae][2], cet. Vox hebraea „protulit" sacrificium nec necessario importat nec excludit. Incisum „et erat sacerdos" ex sola benedictione sequente non satis explicari videtur, unde merito *Vulg* cum

[1] Cfr. *Heb.* 7, 2—3. — [2] *Gen.* 14, 18.

masoretis illud trahunt ad praecedentia et ita indicant sacrificium. Praemisso autem sacrificio connaturaliter sequitur benedictio. — Neque convenienter intellegeretur sola refectio, Abrahae et viris ejus oblata; nam ab una parte illi donis Melchisedech non indigebant, quum jam comedissent [1]; quo supposito ab alia parte donum panis et vini non ita magnificum erat, ut Abraham hac de causa „decimas ex omnibus" rependisset.

4⁰. Accedit *sensus traditionalis*, nam multi patres [2] et exegetae catholici communiter sacrificium Melchisedech ut typum missae considerant. Idem aperte insinuat conc. trid.: Christus „sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit" [3].

441 **Argumentum 2.** Ex *prophetia Malachiae:* „Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus" [4].

Atqui in hac prophetia pro tempore messiano promittitur verum sacrificium, cujus characteres ét in celebratione Eucharistiae apprime verificantur, ét extra eam nullibi verificantur. Ergo.

442 *Explicatio.* — 1⁰. Prophetiam respicere *tempus messianum* constat ex eo, quod cessatio sacrificiorum leviticorum, et imprimis cultus Dei latissime inter gentes diffusus regnum Messiae aperte denotant; siquidem vox pluralis בַּגּוֹיִם (in gentibus) de solo Israel intellegi nequit. Nec obstat quod

[1] L. c., 11 et 24. — [2] V. g. s. CYPRIAN, *Ep. 63.* 4; s. AUGUST. *De civ.* **16,** 22; **17,** 20; **18,** 35; *Ep.* **177,** n⁰ **12.** — [3] *Sess.* **22,** cap. 1. — [4] *Mal.* **1,** 10—11; cfr. KNABENBAUER, in h. l.; *Theol. u. Glaube,* 1924, pag. 58.

Scriptura adhibeat participia praesentia; nam ab una parte genium linguae hebraicae et praesertim usus propheticus sensum futurum facile admittunt, ab alia parte sensus praesens certo excluditur; quomodo enim tempore Malachiae ita magnum fuisset nomen Dei in gentibus, ut ei in omni loco oblatum fuisset sacrificium mundum?

2⁰. Promitti *sacrificium verum* seu proprie dictum, probatur primo ex ipsis terminis, nam voces מְקֻטָּר „suffitur", *Vulg.* sacrificatur, מֻנָּשׁ „offertur", מִנְחָה „oblatio" ex usu constanti Scripturae sacrificales sunt; deinde etiam ex contextu, nam „oblatio munda" opponitur veris sacrificiis V. L., quorum locum excipiet. Quodsi protestantes dicunt, ad propriam rationem N. T. pertinere, ut sacrificiis proprie dictis substituantur spiritualia tantum, proinde prophetiam necessario intellegendam esse de sacrificio in sensu latiori orationis et laudis, pro necessitate causae id supponunt quod quaeritur, n.p. utrum in N. L. detur verum sacrificium necne.

3⁰. *Characteres* sacrificii promissi optime *verificantur in Missa*. Vox מִנְחָה, etsi aliquoties de vero sacrificio in genere, vel etiam de sacrificio cruento adhibetur, in usu liturgico est terminus technicus pro sacrificio incruento et imprimis pro ferto, oblatione frumentacea; proinde missae apprime convenit. Appositio *munda* praegnantissime verificatur in missa, cujus hostia nulla iniquitate aut malitia offerentium inquinari potest. Offertur denique *in omni loco* ab ortu solis usque ad occasum, ubicumque ecclesia catholica agnitionem et cultum veri Dei gentes edocuit.

4⁰. SS. *Patres* ab antiquissimis temporibus prophetiam Malachiae de sacrificio eucharistico intellexerunt: *Didachè* [1], s. Justinus [2], s. Irenaeus [3], Eusebius [4], s. Chrysostomus [5], s. Augustinus [6], s. Joannes damasc. [7], cet. Merito igitur conc.

---

[1] *Didache*. 14. — [2] *Dial. c. Tryph.* 41. — [3] *Adv. haer.* IV, **17**, 5. — [4] *Dem. evang.* I, 10 in fine. — [5] *Adv. Jud.* **5**, 12. — [6] *De Civ.* **18**, 35. — [7] *De fid. orth.* IV, **14**, 42.

trid.: „Et haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit" [1].

443 **Argumentum 3.** Ex *historia institutionis.* Quum missa sit repetitio ejus, quod Christus peregit in coena, id unum quaeritur, num Christus in coena verum sacrificium obtulerit.

Jam Dominus in ultima coena corpus et sanguinem suum confecit in habitu externo immolationis et mortis, nam corpus et sanguis in quantum per elementa sacramentalia sensibiliter significantur, separata exsistunt. Proinde in sacramento seu mysterio anticipavit immolationem, quam postridie in cruce realiter peregit.

Huic autem actioni adjecit verba, quae manifeste oblationem sacrificalem enuntiant; edixit enim, corpus suum dari pro hominibus, sanguinem suum effundi pro iis in remissionem peccatorum. Porro sustineri nequit, has declarationes directe et exclusive referri ad oblationem altera die in cruce peragendam, nam Scriptura in textu originali solis utitur participiis de praesenti, imo s. Lucas habet, sanguinem formaliter ut est in calice effundi in remissionem peccatorum.

444 *Explicatio.* — 1°. Formulas: corpus suum *dare pro* (ὑπὲρ) aliis, sanguinem suum *pro* (ὑπὲρ, περὶ) *multis effundere*, tum in V. tum in N. T. significare verum sacrificium, indubium est; unde solum quaeritur, num ita intellegi possint, ut directe et exclusive spectent oblationem futuram in cruce. Dico: „directe et exclusive"; quum enim celebratio Eucharistiae essentialiter sit sacrificium *repraesentativum* sacrificii crucis, et nonnisi ex sua relatione ad illud sit sacrificium *propitiatorium* (uti latius dicetur in *art. III* et *IV*), non negamus, vere adsignificari traditionem et effusionem cruentam in cruce. Nihilo-

[1] *Sess.* 22, cap. 1.

minus determinationes illae directe et primario respiciunt carnem et sanguinem ut erant in coena, sub specie panis et vini, et ita probant characterem sacrificalem celebrationis Eucharistiae.

2°. Genium graecitatis N. T. vix permittit, participiis praesentibus *διδόμενον* (*Luc.*) et *ἐκχυννόμενον* (*Mt. Mc. Luc.*) affingere sensum futurum, unde ad minus valida praesumptio stat pro significatione de praesenti [1]. Quodsi reapse intellegendum esset tempus futurum, s. Lucas participium *ἐκχυννόμενον* non directe retulisset ad calicem: *ποτήριον... ἐν τῷ ἅιματι μου, τὸ... ἐκχυννόμενον*. Certe dicendo: *calicem* sanguinis effundi, evangelista usus est metonymia continentis pro contento; sed quum continens pro contento adhiberi nequeat, nisi actu adsit habitudo continentiae, locutio metonymica importat, *sanguinem, formaliter ut erat in calice*, effusum esse in remissionem peccatorum, utique sola effusione mystica [2].

3°. *Vulgata* futurum adhibet: „effundetur" (*Mt. Mc. Luc.*) 445
„tradetur" (*Pa.*), et ita directe refert ad sacrificium crucis. Lectio haec nec inducit sensum falsum, ut liquet; nec sensum alienum a textu graeco, qui ex dictis traditionem et effusionem realem adsignificat, etsi in obliquo tantum. Verum non reddit totam vim textus primogenii, unde applicandum est monitum LEONIS XIII: „Si quid minus accurate inibi elatum sit, inspectio praecedentis linguae, suasore Augustino, proficiet" [3].

[1] BEELEN: „Ubicumque participium praesentis reapse tamquam participium adhibetur, ibi aut praesens tempus connotat aut imperfectum, non vero futurum ut nonnulli falso existimarunt" (*Gramm. Graecit. N. T.*, p. 374). In contrarium adducitur vox *ἐρχόμενος* (*Mt.* 11, 3; *Jac.* 5, 1.); sed ratio habenda est significationis *hujus* verbi, nam venturus est quasi continuo veniens. — [2] Eadem ratione nonnulli theologi arguunt ex *I Cor.* 11, 24: *Τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον*. Aiunt: *κλώμενον* quoad significationis summam idem est ac *διδόμενον*: „pro vobis traditur", sed quum traditionem exprimat modo speciei panis accommodato innuit corpus Domini tradi formaliter ut est sub specie panis. Verum lectio *κλώμενον* satis dubia est. — [3] Enc. *Providentissimus*.

Ceterum ipsam *Vulgatam* non exclusive intellegere oblationem futuram, patet ex eo, quod in consecratione panis apud *Luc.* praesens adhibet: „quod pro vobis datur". Nec desunt codices, qui habent „effunditur" [1].

Liturgia rom. in consecratione calicis *Vulgatam* sequitur, et ita, loquendo ex tempore ultimae coenae („Qui pridie quam pateretur.... dixit"), immediate respicit sacrificium crucis. Quod certe nullo modo officere potest validitati sacrificii, nam verba: „qui pro vobis effunditur" naturam sacrificalem actionis declarant quidem, sed eam minime constituunt: unde verba aequivalentia in consecratione panis penitus omittuntur.

446 **Corollarium 1.** *Argumenta subsidiaria ex N. T.* — Characterem sacrificalem Eucharistiae non obscure insinuant duo alii loci. S. Paulus in *Ep. I ad Cor.* participationem Eucharistiae opponit conviviis *sacrificalibus* tum judaeorum, tum gentium: „Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum" [2]. Mensa autem daemoniorum ex contextu est altare idololatrum. — *Ep. ad. Hebr.* aperte testatur, etiam christianos suum habere altare de quo edunt: „Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt" [3]. Atqui ubi habetur altare, deficere nequit sacrificium. Incongruum autem videtur textum intellegere de altari crucis et manducatione metaphorica.

447 Praeterea satis probabiliter dici potest, Christum institutionem sacrificii eucharistici promisisse in colloquio cum muliere samaritana [4]: „Dicit ei mulier: patres nostri in monte hoc [Garizim] adoraverunt. et vos dicitis quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet." Agitur non de simplici adoratione, quae omnium consensu determinato loco adstricta

[1] Cfr. v. g. KNABENBAUER, in loc. resp. — [2] *I Cor.* **10**, 14—21. — [3] *Heb.* **13**, 10. — [4] *Jo.* **4**, 19—24.

non erat, sed de adoratione solemn et publica per sacrificia, quam Judaei in solo templo jerosolymitano, samaritani in solo monte Garizim admittebant; unde quaestio fere est: utrum in Garizim an in Jerusalem celebranda sint sacrificia. „Dicit ei Jesus: venit hora, quando neque in monte hoc neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.... Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate." Praesumere licet, Christum ad sensum mulieris respondisse. Dixit itaque: venit tempus et jam instat, quando adoratio sacrificalis non amplius alligata erit uni loco, neque huic monti neque templo jerosolymitano. Numquid igitur cessabit omne sacrificium? Minime; sed veri adoratores adorabunt Patrem adoratione sacrificali quidem, sed tamen in spiritu et veritate. In spiritu, i. e. non per sacrificia carnalia animalium; in veritate, i. e. non per sacrificia figuralia seu typica. Quodsi tempore Christi sacrificiis carnalibus et figuralibus V. L. substituendum fuit sacrificium spirituale ac verum, cujus celebratio non esset uni loco alligatum certe non aliud intellegi potest quam sacrificium eucharisticum.

Corollarium 2. *Sacrificium eucharisticum non excluditur per epistolam ad Hebr.* — Duo ex hac epistola a protestantibus objiciuntur. 448

a. In V. L. sacrificia semper repetebantur, quia peccata auferre non valebant, „alioquin cessassent offerri"; venit Christus et „sanctificati sumus per oblationem corporis J. C. semel", nam „una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos"[1]. Excluditur itaque novum sacrificium, etiam iterata oblatio corporis Christi.

Verum conclusio excedit praemissas, mentemque auctoris. Quum Deus condignam satisfactionem exigeret sacrificia pro peccato V. L. non valebant pretium remissionis solvere, sed offerebantur in commemorationem peccatorum ut adhuc expi-

[1] *Heb.* 10, 1—14; cfr. 7, 27; 9, 28.

andorum [1], et in praefigurationem condigni sacrificii crucis [2]; et ideo in signum propriae insufficientiae, i. e. satisfactionis nondum praestitae, indesinenter repetebantur. Nunc autem Christus in cruce exhibuit satisfactionem infiniti valoris, proinde condignam pro cunctis peccatis totius mundi. Quid sequitur? Non requiri novam hostiam, aut novam oblationem ejusdem hostiae *ad novam satisfactionem* Deo exhibendam; nihil ultra. Igitur non excluditur nova oblatio mystica, i. e. non poenalis tum ad cultum adorationis Deo solvendum, tum ad valorem satisfactorium oblationis cruentatae et poenalis nobis applicandum.

449 b. In V. T. sacerdotes sacerdotibus succedebant, „idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem [Christus], eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium, unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis" [3]. Excluduntur itaque alii sacerdotes post Christum, et excluso sacerdotio necessario excluditur sacrificium.

Excluduntur sacerdotes, qui Christo sacerdoti succedant, eo modo quo sacerdotes levitici invicem succedebant, ita n.p. ut successor eamdem principalitatem haberet ac decessor et iterum proprio nomine sacerdotio fungeretur. Sed ideo non excluduntur sacerdotes *vicarii Christi*, in quibus ipse vivit ad interpellandum pro nobis, et quorum ministerio utitur, ita ut qui per illos salventur, salventur per ipsum. Hinc in fine epistolae memoratur sacrificium N. L.: „Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt" [4].

Simul vides, quomodo intellegendum sit illud: „Una oblatione *consummavit*" sanctificatos. Certe non ita, ut moriendo in cruce singulis sanctificandis jam applicaverit in actu secundo merita redemptionis, siquidem „sempiternum habet sacerdotium, semper vivens ad interpellandum pro nobis." Igitur in cruce cunctos consummavit, i. e. praestitit omnia quae ex

[1] *Heb.* 10, 3. — [2] *Heb.* 10, 1. — [3] *Heb.* 7, 23—25. — [4] *Heb.* 13, 10.

parte ipsius ad salutem requiruntur, primo: in ratione causae universalis formaliter, solvendo pretium unde omnes sanctificentur; deinde: in ratione causae applicatoriae virtualiter, quatenus n.p. omnibus mediis applicatoriis redemptionis per sanguinem crucis suae vim et efficaciam tribuit. Porro si consummatio in cruce facta non excludit necessitatem applicationis, ergo nec necessitatem sacrificii applicatorii.

Argumentum 4. Ex *Traditione*. Si argumenta scripturistica, 450
ea saltem quae primo ac tertio loco exposuimus, forte aliquam haesitationem relinquerent, sensus traditionalis ita planus est ac perspicuus, ut ipsi reformatores difficultatem alte persenserint [1]. Quodsi dixerint, patres verbis quidem sacrificalibus uti, sed non nisi sacrificium in sensu improprio intellegere, habes merum subterfugium, uti dicta sanctorum expendenti et inter se comparanti facile patet.

S. CLEMENS ROM. habet, „oblationes et officia sacra" [*προσφορὰς καὶ λειτουργίας*] ordinate perficienda esse; et praemisso exemplo sacerdotum V. T., docet apostolos ex mandato Christi constituisse „episcopos et diaconos", unde concludit, episcopatu dejiciendos non esse „eos, qui sancte et sine reprehensione munera obtulerunt" [*προσενεγκόντας τὰ δῶρα*] [2]. Agnovit itaque in N.L. sacerdotium et sacrificium, correspondentia sacerdotio et sacrificiis V. L.

S. IGNATIUS M. una cum Eucharistia memorat altare: „Studeatis una Eucharistia uti; una est enim caro d. n. J. C., et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus cum presbyteris et diaconis" [3].

[1] Cfr. LUTHERUS, *De capt. babyl.* c 1; CALVINUS, *Instit.* IV, 18; CHEMNITZ, *Exam. conc. Trid.* (Ed. Genevae, 1634, p. 347). — E GRABE (primo Lutheranus deinde anglicanus + 1711) scribit: „Certum est, Irenaeum et omnes, quorum scripta habemus patres, apostolis sive coaevos sive proxime succedentes, s. Eucharistiam pro N.L. sacrificio habuisse" *(Annot. in Irenaeum, IV, 32* apud MASSUET, *Opp. s Iren.* II, p. 312). — [2] *Ep. I ad Cor.* 40—44. — [3] *Ad Philip.* 4; cfr. *Ad Magn.* 7; *Eph.* 5.

451 *Didachè*: „Die dominica convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium [*θυσία*] vestrum. Omnis vero, cui est controversia cum amico suo, ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sunt, ne inquinetur sacrificium vestrum. Hoc est enim illud dictum a Domino: in omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quoniam rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus. Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino" [1].

S. JUSTINUS M. dicit oblationem similae pro iis, qui a lepra purgabantur, fuisse figuram Eucharistiae, quam „Dominus in recordationem passionis, pro his qui ab omni pravitate purgantur susceptae, fieri praecepit". Deinde dicit Deum, teste Malachia, sacrificia judaeorum projecisse, et prosequitur: „De iis autem, quae in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei, sacrificiis, hoc est de pane eucharistiae et de calice similiter eucharistiae, jam tunc praedicit, illud etiam addens, nomen suum a nobis glorificari, a vobis autem profanari" [2].

S. IRENAEUS dicit, quod Christus Eucharistiam instituens „novi testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert Deo", per hujusmodi „sacrificium purum" implens prophetiam Malachiae[3]. Addit: „Non genus oblationum [omne sacrificium] reprobatum est: sacrificia in populo [judaico], sacrificia in ecclesia; sed species immutata est tantum . . , Hanc oblationem ecclesia sola puram offert . . . Judaei autem non offerunt, manus enim eorum sanguine plenae sunt; non enim receperunt Verbum, quod offertur Deo" [4].

[1] *Did.* 14. Immerito cl. Batiffol insinuat, locum intellegi posse de solo sacrificio laudis. (*Rev. Bibl.* 1905. p. 66). Obstat contextus: allusio ad *Mt.* 5, 23, allegatio *Mal.* 1, 11, connexio sacrificii cum hierarchia. Nec in contrarium facit monitum: „ut sit *mundum* sacrificium vestrum", nam etiam Eucharistia, formaliter ut est sacrificium *nostrum*, indignitate offerentium inquinari potest. — [2] *Dial. c. Tryph.* n⁰ 41; cfr. n⁰ 117. — [3] *Adv. Haer* IV, 17, 5. — [4] L. c. 18, 1, 2. 4.

TERTULLIANUS iis, qui certis diebus celebrationi Eucha- 452
ristiae non assistebant, ne communicando jejunium frangerent, dicit: „Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est ét participatio sacrificii ét exsecutio officii [jejunii"] [1]. Mulieribus tres tantum causae sunt domo exeundi: „aut imbecillus ex fatribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur" [2]. — Mulier vidua „pro anima mariti orat et refrigerium interim appostulat ei, et offert annuis diebus dormitionis ejus" [3].

S. HIPPOLYTUS, verba *Dan.* 9, 27 de tempore Antichristi explicando, scribit: „Postquam ille venit, deficiet hostia et libatio [*θυσία καὶ σπονδή*], quae nunc in omni loco in gentibus Deo offertur" [4].

S. CYPRIANUS carpit eos, qui aquam pro vino offerendo, „non hoc faciunt, quod J. C. dominus et deus noster, sacrificii hujus auctor et doctor, fecit et docuit". Nefas est, „quod divinitus institutum sit humana traditione mutare. Nam si Christus Jesus, dominus et deus noster, ipse est summus sacerdos Dei Patris, et sacrificium Patri seipsum obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem praecepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur; et sacrificium verum et plenum tunc offert in ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse . . . Et quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus, passio est enim Domini sacrificium quod offerimus, nihil aliud quam quod ipse fecit facere debemus" [5]. Alibi dicit, statutum esse, ut „si quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum" nominasset, „non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari

---

[1] *De orat.* 19. — [2] *De cult.* fem. 2, 11. — [3] *De monogam.* 10. — [4] *In Daniel.* IV. 35 (Ed. Bonwetsch, p. 280). — [5] *Ep. 63*, n° 1, 14, 15.

in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocari" [1].

453 ORIGENES: „Cum videris introire gentes ad fidem, ecclesias exstrui, altaria non cruore pecudum respergi, sed pretioso Christi sanguine consecrari; cum videris sacerdotes et levitas non sanguinem hircorum et taurorum, sed Verbum Dei per Spiritus s. gratiam ministrantes, tunc dicito, quia Jesus post Moysem successit et obtinuit principatum; Jesus, non ille filius Nave, sed filius Dei" [2].

EUSEBIUS CAESAR.: Christus „post omnia mirabilem victimam, sacrificiumque eximium Patri suo operatus, pro nostra omnium salute obtulit: ejusque rei memoriam, ut nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituit" [3]. Et: Sicut Melchisedech in pane et vino sacrificavit, „ita sane primus ipse salvator ac dominus noster, deinde qui ab ipso profecti sunt sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale secundum ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane et corporis illius et salutaris sanguinis mysteria repraesentant [*αἰνίττονται*]" [4].

S. CYRILLUS HIER.: „Deum benignum exoramus, ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Postquam vero perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace; . . . et universim pro omnibus, qui opis indigent, precamur nos omnes et hanc victimam offerimus. Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt, . . . maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima . . . Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis, tum pro nobis demereri et propitiare satagentes" [5].

---

[1] *Ep.* 1, n° 2. — [2] *Hom.* 2 *in Lib. Jes. Nave*, n° 1. — [3] *Dem. evang.* I, 10. — [4] L. c., V, 3. — [5] *Cat. myst.* 5, 7—10.

S. GREGORIUS NYSS.: Loco sacrificiorum ethnicorum „in 454
universo orbe terrarum excitata sunt in Christi nomine aedes sacrae, templa et altaria, illudque venerandum et incruentum sacrificium" [1]. — Et: Christus saevitiam judaeorum et iniquam Pilati sententiam consilio suo antevertit, „et arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert et victimam immolat, sacerdos simul exsistens et agnus Dei, ille qui mundi peccatum tulit. Quando id praestitit? Cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit, agni sacrificium jam esse perfectum; [tunc] jam arcana et non aspectabili ratione corpus erat immolatum" [2].

S. GREGORIUS NAZ.: Cum scirem, neminem Deo dignum esse, nisi qui seipsum Deo hostiam viventem exhibuerit, eique sacrificium laudis obtulerit, „quo tandem modo sacrificium illud externum, illud magnorum mysteriorum [V. T.] antitypum, ipsi offerre auderem, aut quomodo sacerdotis habitum et nomen subire, priusquam sanctis operibus manus purificassem?" [3]

S. CHRYSOSTOMUS: „Cum enim videris Dominum immolatum 455
et jacentem, et sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse?" [4] — Alibi agendo de sacrificiis veterum, quae indesinenter repetebantur, quia peccata auferre non valebant, sibi objicit: „Quid vero? Annon nos quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam; et ipsa una est, non multae. Eumdem enim semper offerimus; non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eamdem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique Christus: hic et hic est plenus, et illic plenus: unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatus unum est corpus et non multa corpora: ita etiam unum est

[1] *Orat. Catech.* c. 18. — [2] *Orat. 1 in resurrect.* — [3] *Orat. 2*, n° 95; cfr. supra n° 320. — [4] *De sacerd.* III, 4.

sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam quae nos mundat. Illam quoque nunc offerimus quae tunc fuit oblata, quae non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus quod tunc factum est" [1].

CYRILLONAS: (syrus, † c. 400) „Corpus suum Dominus noster primum ipse obtulit, postea tantum illud obtulerunt homines [in cruce]. Antea ut sacerdos seipsum obtulerat. Acuit cultrum legis, ut proprium corpus in agnum paschalem mactaret. Vocavit ad suum convivium nationes. Exierunt praecones evangelii ut invitarent clamando: ecce rex partitur corpus suum, venite, comedite panem gratiae" [2].

456 S. AMBROSIUS: „Vidimus principem sacerdotem ad nos venientem, vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum; sequemur ut possumus sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio; quia etsi Christus nunc non videtur offerri, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur; imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificavit sacrificium quod offertur" [3].

S. AUGUSTINUS Eucharistiam vocat „summum verumque sacrificium" [4], „verissimum et singulare sacrificium" [5], „unicum sacrificium pro salute nostra" [6], „sacrificium pretii nostri" [7]. Docet, in ea impleri prophetiam Malachiae [8] et typum tum sacrificii Melchisedech [9], tum sacrificiorum leviticorum [10]. Docet, in ea offerri „corpus ejus" [Christi] [11], „victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis" [12]; immolari „Deo in corpore Christi sacrificium laudis" [13]. Denique asserit, Christum etsi semel oblatus fuerit „in seipso", nihi-

[1] *Hom. 17 in Ep. ad Heb.* n° 3. — [2] Apud BICKELL, *Ausgew. Gedichte der syr. Kirchenväter* (1872) p 38. — [3] *In Ps. 38*, n° 25. — [4] *De Civ.* **10**, 20. — [5] *De spir et lit.* n° 18. — [6] *C. Crescon.* I, **25**, 30 — [7] *Confess.* **9**, 12. — [8] *De Civ.* **18**, 35. — [9] L. c., **16**, 22 — [10] L. c., **17**, 20. — [11] L. c. — [12] *Confess.* **9**, 13. — [13] *C. adv. Leg. et Proph.* I, **20**, 39.

lominus „in sacramento omni die populis immolari" [1]; Christum voluisse, ut „sacramentum" cruentae suae ablationis esset „quotidianum ecclesiae sacrificium" [2].

Eadem claritate veritatem sacrificii eucharistici testantur *Liturgiae*, quas universa ecclesia tum orientalis tum occidentalis ab antiquissimis temporibus adhibuit [3].

Art. III.

DE SACRIFICII EUCHARISTICI NATURA.

Magisterium ecclesiasticum pauca admodum de natura sacrificii eucharistici definivit; ss. patres imo etiam antiqui scholastici plures quaestiones huc pertinentes vix tetigerunt. Quum igitur theologi inde a saec. XVI materiam hanc distinctius excolere inciperent, nonnumquam in varias abierunt sententias, ex quibus aliae pleniorem investigationem non sustinentes postea universaliter relictae sunt, aliae communi consensu roboratae ad gradum certitudinis theologicae fere pervenerunt, aliae adhuc in utramque partem discutiuntur. Nobis potissimum curae est, ut veritatem catholicam interpretemur; sententias quod attinet, breviter indicatis controversiis, ea sequimur quae probabiliora habemus; opiniones antiquatas omittimus.

I. De hostia et sacerdote offerente. 457

1°. De *hostia* seu materia sacrificii eucharistici conc. trid. docet: In divino hoc sacrificio idem ille Christus incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit" [4]. Igitur vera materia oblationis sunt *corpus et sanguis Domini;* quod ceteroquin ipsa verba institutionis aperte efficiunt: „Hoc

[1] *Ep. 98*, n° 9. — [2] *De Civ.* **10**, 20. — [3] Cfr. v. g. Muratori, *Lit. rom. vet.*, I, Diss. c. 16—17; Probst, *Die Liturgie n. d. Beschreibung d. Eusebius v. Cäsarea*, in *Zeits. f. k. Theol.* 1884, p. 681. — [4] *Sess.* **22**, cap. **2**.

est corpus meum, quod pro vobis datur"; „Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur".

Sequitur *substantiam panis et vini*, quamvis necessario praerequiratur, ut sacrificium celebrari possit, nullo modo esse ipsam rem oblatam aut partem ejus. Neque enim fingendum est duplex quoddam sacrificium partiale, unum panis et vini, alterum corporis et sanguinis Christi.

Verum *species panis et vini* remanentes materiam sacrificii aliquo modo ingrediuntur Siquidem victima debet esse sensibilis; corpus autem et sanguis Domini non nisi ratione specierum continentium sub sensibus cadunt. Nihilominus species proprie non sunt id quod offertur, sed magis id sub quo corpus et sanguis Domini offeruntur. Hinc in definitione poni solet: sacrificium, in quo corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini offeruntur. Vides, quo sensu patres dixerint, Christum semel oblatum esse „in seipso" np. in propria specie, quotidie offerri „in sacramento", i. e. sub speciebus sacramentalibus.

Ceterum quum sacrificium eucharisticum, ut statim dicam, vere sit sacrificium *nostrum*, sacrificium ecclesiae, omnis autem sacrificans in hostia vicaria seipsum spiritualiter offerre intendat, species sacramentales, Christo unitae, merito dicuntur, symbolizare ecclesiam, „quae cum ipsius Capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre" [1].

458 2°. De sacerdote *offerente* docet conc. trid.: „Idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit" [2]. Igitur *principalis offerens* est Christus, et quidem Christus-homo [3], nam secundum divinam naturam sacrificium non offert, sed accipit.

Porro Christus sacerdos ad oblationem eucharisticam primo *remote* concurrit, quatenus hoc sacrificium instituit et ex persona sua a sacerdote vicario offerri jussit; verum sententia

[1] S. AUGUSTINUS, *De Civ.* **10**, 20. — [2] *Sess.* 22, cap. 2. — [3] Cfr. *De Deo redempt.* n° **147**.

communior et verior habet, eum etiam *proxime* concurrere, quatenus „semper vivens ad interpellandum pro nobis" in qualibet missa novo actu voluntatis humanae mysticam mactationem sui corporis fieri vult atque in honorem Dei ordinat. Et hanc voluntatem sacrificalem Christus-homo non suo tantum nomine elicit, sed simul nomine totius ecclesiae, cujus caput exsistit.

Nihilominus omnino verum manet, Christum hoc sacrificium offerre „sacerdotum ministerio", a. v. *sacerdotem rite ordinatum* esse *verum* et proprie dictum *ministrum* hujus oblationis, subordinatum tamen atque *instrumentalem*. Siquidem internus voluntatis actus ad rationem sacrificii non sufficit, sed debet exterius manifestari in sensibili mactatione et oblatione hostiae; atqui hanc externam voluntatis sacrificalis manifestationem operatur sacerdos, agendo ac loquendo in virtute et ex persona Christi.

Nunc autem, quemadmodum Christus voluntatem sacrificalem 459
elicit ut caput ecclesiae, ita sacerdos ministerialis sacrificium perficit nomine totius ecclesiae militantis; et ita *omnes fideles aliquo modo hoc sacrificium offerunt*, non ut veri sacerdotes, sed *mediate* np. ut legitime repraesentati per sacerdotem tum principalem tum ministerialem [1]. Hinc sacerdos orat: „Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias."

Inter eos autem, qui mediate tantem offerunt, distinguendi sunt gradus. In infimo gradu sunt, qui nullo actu, sed habitualiter tantum ad sacrificium concurrunt, np. quatenus sunt membra ecclesiae, cujus nomine sacerdos offert. In gradu medio sunt, qui sive absentes, sive potissimum praesentes

[1] Igitur sacerdos celebrans tum personam Christi, tum personam ecclesiae sustinet, alio tamen atque alio modo, sicut legatus aliter repraesentat principem cujus auctoritate utitur, aliter populum cujus causam gerit, potestate accepta non ab ipso populo, sed a principe.

intentionem suam intentioni sacerdotis conformant, et ita actu quidem sed mere concomitanti concurrunt. Denique in gradu supremo sunt, qui ad ipsam celebrationem aliquid conferunt, subministrando necessaria, oblationem sollicitando, sacerdoti ministrando, cet.

460 **II. De ea parte missae, qua sacrificium perficitur.**

Ad naturam sacrificii eucharistici determinandam non parum confert quaestio, in quanam parte missae reperiatur actio sacrificalis.

1⁰. Imprimis certum est, *omnia quae consecrationem praecedunt* et *communionem sequuntur* ad essentiam sacrificii pertinere non posse; impossibile enim est sacrificium perfici antequam hostia adest, vel postquam adesse desiit. Igitur „offertorium", oblatio panis et vini cum orationibus „Suscipe, sancte Pater" et „Offerimus tibi, Domine" caeremonialia tantum sunt. Nec obstat, quod ex praescripto rubricarum semper facienda sit hujusmodi oblatio, saltem mentaliter [1]; nam id unum sequitur caeremoniam hanc, sicut et admixtionem aquae in calice, ab ecclesia ita gravem haberi ut semper suppleri debeat. Vel dici potest oblationem illam mentalem, quam ecclesia omnino requirit, reapse nihil aliud intellegi quam formationem intentionis celebrandi sacrificium.

2⁰. Iterum certum est, omnes actiones et preces, *quae mediant inter consecrationem et communionem* ad veritatem sacrificii non requiri; nam in casu necessitatis ex parte vel ex toto possunt omitti [2].

Ceterum res plene conficitur ex eo, quod omnia, quae his

[1] Rubr. de defect. III, 4—7; IV, 3, 5. — Ceterum formulae *Suscipe* et *Offerimus* non panem et vinum, sed corpus et sanguinem Domini respiciunt. Proferuntur ante consecrationem, sed revera pro tempore consecrationis. Quum enim omnia simul dici nequeant, liturgia successive explicat verbis, quod uno actu perficit. — [2] Cfr. Rubr. de defect X, 2.

duabus numeris tetigimus, non a Christo, sed ab ecclesia instituta sunt.

3°. Nonnulli magni nominis theologi[1] docuerunt, sacrificium **461**
nostrum essentialiter perfici *consecratione simul et communione* sacerdotis, quatenus hostia consecratione poneretur, communione consumeretur; putabant siquidem in sola communione inveniri posse illam mutationem seu destructionem hostiae, quae ad naturam sacrificii requiritur. Verum haec opinio, in quantum asserebat, communionem celebrantis ad essentiam sacrificii pertinere, fere derelicta est; et merito quidem, uti probatur: **a.** *auctoritate*; nam plures patres aperte docent, sacrificium jam peractum esse ante communionem. Ita v. g. s. Cyrillus hier., s. Gregorius nyss. [2], s. Chrysostomus [3]. Idem saltem insinuant conc. tolet. a. 681 [4], et ipsum tridentinum [5]. — **b.** *Ratione.* Sacrificium a sacerdote ministeriali perficitur ex persona Christi, qui est principalis offerens; atqui sacerdos s. communionem sumit non ex persona Domini, sed ex persona propria: „Corpus d. n. J. C. custodiat animam meam", cet [6]. Adhuc: consumptio seu destructio victimae, qualis in communione habetur, non est sacrificalis, nam consumptio rei in propriam hominis utilitatem non symbolizat subjectionem nostram erga Deum; unde etiam in V. T. comestio hostiae, etsi quibusdam sacrificiis conjungebatur, numquam constituebat ipsum sacrificium.

Neque in contrarium facit, quod ex rubricarum praescripto, communio nunquam potest omitti, ita ut deficiente celebrante alius sacerdos, etiam non jejunus, missam complere debeat;

[1] V. g. BELLARMINUS, *De Missa*, l. I, c. 27; S. ALPHONSUS, *Theol. mor.*, l. VI, de Euch., n° 305. — [2] Cfr. supra n° **453, 454.** — [3] *De prod. Judae*, hom. 1, n° 6. — [4] Cfr. HEFELE, *Conciliengesch.* III², p. 317. — [5] *Sess.* 22, can. 1. — [6] Nec quidquam refert, num Christus in ultima coena seipsum communicaverit, quod — praeter Scripturam — affirmat s. Thomas (*S. Th.* III, **81,** 1) cum aliis, sed longe probabilius videtur negandum.

nam lex [1] illa satis explicatur ex eo, quod sacrificium eucharisticum eo ipso quod victimam ponit sub specie cibi et potus, internum ordinem habet ad subsequentem sumptionem; unde communio celebrantis, etsi non sit pars constitutiva sacrificii qua talis, illud tamen *extrinsece* complet ac perficit. Hinc etiam vocatur pars integralis sacrificii.

462 4°. Restat igitur sententia communissima et quae videtur certa, sacrificium eucharisticum *sola consecratione* essentialiter perfici; quod quomodo verum sit, in sequentibus explicandum venit.

463 **III. De repraesentatione sacrificii crucis.**

1°. Praeeunte s. Paulo, jussionem ipsius Domini interpretante[2], universa traditio clamat, Eucharistiam celebrari in memoriam passionis ac mortis Domini; cum verum sacrificium sit, esse sacrificium repraesentativum et *commemorativum sacrificii crucis*. Hinc conc. trid. docet: Christum Eucharistiam instituendo ecclesiae suae reliquisse „visibile sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, ejusque memoria in finem usque saeculi permaneret" [3].

Porro etsi in partibus caeremonialibus missae multoties memoratur sacrificium crucis, manifestum est haec non sufficere, sed omnino requiri, ut ipsa illa actio qua essentialiter perficitur,

---

[1] Ceteroquin non constat utrum communio celebrantis necessaria sit ex lege divina, an ex lege ecclesiastica cum fundamento juris divini tantum. Cfr. SUAREZ, Disp. 75, s. 5, in fine. Recenter nova theoria inventa est a J. BELLORD (in *The Eccl. Review)*, 1905, p. 266), secundum quam *omne* sacrificium *essentialiter* esse *convivium* sacrificale. — Hic etiam memorari potest sententia F. S. RENZ *(Die Geschichte des Meszopfer-Begriffs*, 1902) perhibens unicum verum sacrificium esse sacrificium crucis, sacrificium missae vero esse solam repraesentationem veri sacrificii, quae repraesentatio inchoatur in consecratione et perficitur in communione. — [2] *I Cor.* 11 26, cfr. 24—25. — [3] *Sess.* 22, cap. 1.

n.p. consecratio memoriam evocet immolationis Christi in cruce; quod certe non faceret nisi aliqua ratione esset ejus imago seu sensibilis repraesentatio, secundum illud S. CYPRIANI: „Apparet sacrificium dominicum legitima sanctificatione non celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni" [1].

2⁰. Jam cruenta immolatio Christi in consecratione sensibiliter 464
repraesentatur per praesentiam Domini sub duabus speciebus, quarum altera solida corpus, altera liquida sanguinem significat; et quae ipsa sua separatione et separata consecratione vivam imaginem referunt illius sacrificii, in quo Dominus sanguinem suum pro nobis effudit. Quid enim in momento consecrationis sensibus percipimus? Videmus materiam solidam, et audimus super eam proferri verba: Hoc est corpus meum; videmus materiam liquidam, et audimus super eam pronuntiari verba: Hic est sanguis meus, pro vobis effusus. Atqui hac ratione Dominus, secundum quod per signa sacramentalia sensibiliter repraesentatur, veluti externum habitum violentae mortis induit, et ita memoriae cujuslibet christiani hominis imaginem objicit cruentae mortis, olim in cruce perpessae.

3⁰. Quum sacrificium missae memoriam recolat sacrificii 465
crucis, merito vocatur *sacrificium relativum*; habet enim relationem ad aliud sacrificium, cujus est repraesentatio commemorativa [2]. Haec autem relatio sacrificio missae *essentialis* est, non hoc sensu ac si per ipsam relationem qua talem esset verum sacrificium de praesenti (Vasquez), sed quatenus sine illa non haberet eam naturam, quam ex lege suae institutionis habere debet; siquidem institutum est ad hoc, ut per illud coleremus „memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit,

[1] *Ep. 63*, n⁰ 9. — [2] Sacrificio relativo opponitur *absolutum*, quod scil. non est repraesentatio, neque prognostica, neque commemorativa, alterius. Solum autum sacrificium crucis est sacrificium stricte absolutum; cfr. n⁰ 432.

eripuitque de potestate tenebrarum et in regnum suum transtulit" [1].

Ceterum perpulchre institutum est, ut sacrificium ad fructus dominicae passionis applicandos ordinatum, essentialiter esset ejusdem salutiferae passionis commemoratio.

466 IV. **De ipsa actione sacrifica.**

Manifestum est, etiam in sacrificio relativo non minus quam in absoluto, verificari debere definitionem sacrificii. Quum autem post praedicta de reliquis sacrificii notis nulla difficultas remaneat, explicandum est, qua ratione in consecratione inveniatur illud, quo verum sacrificium ab omni alia oblatione distinguitur, np. *destructio* aut, secundum opinionem quam supra [2] minus probabilem diximus, saltem immutatio *hostiae*. Haec autem actio, quum oblationem constituat in esse sacrificii, merito vocatur actio sacrifica et forma (physica) sacrificii.

Natura sacrificii in genere non exigit, ut mactatio victimae fiat per ipsum sacerdotem, dummodo ab eo sensibiliter ordinetur in cultum Dei per oblationem; verum ubi immolatio a sacerdote qua tali perficitur, non requiritur oblatio, vocalis aut realis, ab ipsa immolatione distincta, quum ex intentione et adjunctis in ea jam satis contineatur [3].

467 1°. Quaestionem de destructione aut immutatione sacrifica theologi trifariam solvere nituntur.

a. Qui cum Suarez [4] et Scheeben [5] autumant, ad sacrificium sufficere immutationem transformativam in melius, docent,

---

[1] Conc. trid., l. c. — [2] Cfr. supra n° **429**. — [3] Memoranda est sententia recenter a doct. M. LEPIN, publicata (*L'Idée du Sacrifice de la Messe*, 1926, pag. 737), secundum quam sacrificium Missae essentialiter consistit in sola *oblatione* Christi-victimae in coelo per ipsum Christum et per Ecclesiam; contra quem scripsit F. DE LANVERSIN in *Rech. de science relig.* 1927, pag. 193. — [4] Disp. 75, s, 5—6. — [5] *Myst. des Christenth.* § 72; *Handb. d. kath. Dogm.*, III, § 270 seq.

ideo in consecratione verum sacrificium offerri, quia ibi per conversionem panis et vini *in honorem Dei producuntur atque exhibentur caro et sanguis Domini.* — Extra hanc sententiam omnes quamdam speciem destructionis, immutationem in statum pejorem, requirunt.

b. Porro Lugo [1] et Franzelin [2], quos multi sequuntur [3], statuunt, consecrationem ideo esse sacrificium, quia per eam *humanitas Christi redigitur in statum cibi et potus,* et ita privatur propria conditione exsistendi et naturali exercitio sensuum. Per hanc enim, aiunt, sanctissimae humanitatis, formaliter ut est sub spieciebus sacramentalibus, exinanitionem Christus vere reducitur in statum decliviorem, ad exprimendam voluntatem sacrificalem sufficientissimum.

c. Alii multi in tantum conveniunt, ut notam sacrificam missae reponendam ducant *in distincta consecratione corporis et sanguinis Domini sub duabus speciebus,* quarum una corpus, altera sanguinem repraesentat; verum in ulteriori explicatione dissentiunt. 468

Siquidem Vasquez [4] et Perrone statuunt missam esse verum sacrificium de praesenti, *quia separata consecratio repraesentat* sacrificium crucis. Quod certe non est ad rem; impossibile enim videtur, aliquam oblationem esse sacrificium de praesenti formaliter quia aliud sacrificium repraesentat.

Lessius [5] cum pluribus ponit, verum sacrificium haberi, quia *verba consecrationis ex se tendunt ad realem separationem* corporis et sanguinis Domini efficiendam, quae separatio tamen per accidens impeditur ex eo, quod Christus glorificatus jam non amplius moritur. Quod iterum admitti

[1] *De Euch.* Disp. 19, s. 5. — [2] *De sacrif. euch.*, thes. 16. — [3] V. g. Hurter, de Augustinis, Tepe, Stentrup, Lehmkuhl, Génicot. — [4] *In III part.*, disp. 222, C. 7—9. Hanc sententiam sequuntur v. g. Lesêtre, Lebreton, Götzmann, Schepens — [5] *De perfect. divin.* l. XII, C. 13. Cui adhaerent v. g. Wilmers et Hugon.

nequit; nam, ut alia mittam, non intellegitur quomodo ad naturam sacrificii sufficeret mactatio volita quidem et, si dicere licet, attentata, sed impedita.

Igitur retenta communi harum sententiarum medulla, explicationes defectuosas correxit cl. Billot [1], docendo, missam esse verum sacrificium, quia in consecratione Christus praesens sistitur *in habitu externo mortis violentae*, quatenus caro ejus et sanguis per signa sacramentalia ita sensibus nostris exhibentur ac si essent separata in morte.

469 2°. Quia hanc sententiam veriorem habemus, eam paulo fusius declarare necesse est.

Quomodo in consecratione Christus externam speciem seu habitum mortis induat, supra jam explicavimus [2].

Manifestum est, separatam consecrationem duarum specierum nullam importare deteriorationem Christo intrinsecam; sed hujusmodi deterioratio per statum gloriosum Domini penitus excluditur; proinde in nulla theoria inveniri potest. Neque enim in opinione Lugonis ipse Christus secundum se in pejorem statum redigitur. Idem numero corpus Domini, quod localiter praesens est in coelo ibique integro sensuum exercitio gaudet, per consecrationem insuper acquirit praesentiam illocalem in altari. Numquid exinde deterioratur? Numquid minus est praesentia localis et illocalis simul, quam sola praesentia localis?

Aliunde si reapse daretur qualiscumque deterioratio Christo intrinseca, saltem non caderet sub sensibus, et ita ad natu-

[1] *De Sacram.* I. thes. 54. Huic sententiae adstipulantur e. g. Gihr, Atzberger, Labauche. Tanquerey, Lamiroy. Ab hac sententia non multum differre videtur recens theoria cl. M. DE LA TAILLE (*Mysterium Fidei*, 1924, p. 317), perhibentis oblationem Christi in cruce immolati (per ecclesiam factam) exprimi ipsa immolatione symbolica seu mystica duplicis consecrationis èt panis in corpus èt vini in sanguinem, ut inde appareat Christus morti deditus. — [2] Cfr. supra n° 464.

ram sacrificii, quod actio symbolica, proinde necessario sensibilis est, nihil conferret.

Restat igitur, ut destructio seu deterioratio sacrifica inveniatur *in Christo*, praecise *secundum quod per signa sacramentalia sensibus subjicitur*. Atqui talis est habitus ille externus violentae interemptionis, quem supra [1] descripsimus; nam per eam *Christus hostia, praecise in quantum sensibilis est, immolatus exsistit*. Et adverte cohaerentiam assertorum. Supra diximus, hostiam hujus sacrificii esse carnem et sanguinem Domini, non simpliciter secundum se, sed carnem et sanguinem ut significata et contenta per species panis et vini; modo dicitur, destructionem sacrificam afficere non Christum secundum se, nec species sacramentales secundum se, sed Christum formaliter ut per species sensibiles repraesentatur.

Dices: haec immolatio non est vera et realis! Concedo 470
plane; sed questio est, num haberi possit moraliter aequivalens. In omni sacrificio finis primarius, propter quem destructio requiritur, est significatio perfectae subjectionis in Deum; atqui ad hunc finem, np. *ad significandum*, nihil minus valet species externa destructionis quam ipsa realis dectructio, sicut v. g. ad symbolizandam justitiam non minus valet bilanx in pariete depicta, ac vera bilanx.

Porro si ageretur de sacrificio ad satisfactionem pro peccatis operandam, merito diceretur: etsi species destructionis destructioni aequivalet sub ratione signi, certe non aequivalet sub ratione poenae seu valoris satisfactorii. Verum quum missa nullo modo offeratur ad novam satisfactionem praestandam, in hoc sacrificio significatio divini honoris est finis non tantum primarius, sed unicus ac totalis destructionis. Et ita nihil impedire videtur, quominus in casu externus habitus immolationis ad rationem veri sacrificii sufficiat, praesertim quia conditio victimae, sub aliena specie praesentis, veriorem immolationem non patitur.

[1] Cfr. supra n° 457.

Neque fas est concludere: ergo in V. T. oblatio picturae, vitulum mactatum repraesentantis, fuisset sacrificium! Nulla est aequalitas; nam primo in tali celebratione non fuisset oblatus vitulus in externo habitu immolationis, sed imago vituli; quum in missa non imago Christi, sed ipse Christus offeratur. Praeterea quid sacrificium sit, quid non, multum pendet ab institutione positiva: porro vel a priori suspicari licet, legem institutionis aliam fore pro sacrificio cujus hostia sub aliena specie immolatur, aliam pro sacrificiis quibus offerebantur hostiae in propria specie.

Jam externa species immolationis ac mortis, quam descripsimus, merito vocatur destructio, mactatio, *immolatio mystica*, nam per eam Christus-hostia immolatur non in se ipso, sed secundum quod per signa sacramentalia repraesentatur, igitur in suo signo = sacramento = mysterio.

471 Ex hac itaque sententia missa est verum sacrificium, quia *in consecratione Christus-homo mystice immolatur, et per mysticam immolationem Deo vere offertur in recognitionem supremae majestatis.* Quodsi hac de causa missam vocare volueris *sacrificium mysticum*, nihil reprehensibile profers, dummodo advertas, nomen „mysticum" aliter praedicari de immolatione seu mactatione, aliter de ipso sacrificio. Nam *immolatio mystica* designat immolationem non-realem, *sacrificium mysticum* intellegendum est sacrificium verum ac reale per mactationem non-realem, sed moraliter aequivalentem tantum.

472 3°. Sententiam expositam ut probabiliorem amplectimur, quia putamus, eam tum revelatione tum ratione prae aliis commendari. Praecipuum autem est, quod doctrinae Scripturae ac sensui traditionali magis convenire videtur; quum enim veritatem sacrificii eucharistici revelatione cognoscamus, de intima ejus natura, sin minus unice, saltem primario ex revelatione judicandum est.

a. *Scriptura* omnibus fatentibus veritatem sacrificii nostri docet per verba: „Hoc est corpus meum, *quod pro vobis datur*", „Hic est sanguis meus, *qui pro vobis effunditur*". Igitur in missa verum sacrificium offertur, non praecise quia caro et sanguis Christi ibi per transsubstantiationem producuntur et in honorem Dei exhibentur, neque quia rediguntur in statum cibi et potus, sed quia sanguis ibi effunditur in remissionem peccatorum, et corpus traditur in mortem. Nam incisum „quod pro vobis traditur", ex connexione et oppositione ad assertum „qui pro vobis effunditur", hunc tantum sensum admittit [1]. Atqui quum traditio et effusio reales excludantur, nihil aliud intellegi potest quam traditio et effusio mystica.

b. *Traditio et sensus ecclesiae.* Ss. Patres, etsi quaestionem **473** nostram ex professo non tractant, notam sacrificam aliquando satis aperte indicant. s. GREGORIUS NAZ.: Ne cuncteris., o sacerdos, orare pro nobis, „quando verbo Verbum attraxeris, quando incruenta sectione secaveris corpus et sanguinem Domini, vocem adhibens pro gladio" [2]. S. GREG. NYSS.: „Perspicuum est, quod ove vesci homo non potest, nisi comestionem mactatio praecesserit. Quum igitur dedit discipulis suis corpus comedendum, aperte demonstravit sacrificium agni jam esse perfectum. Non enim esset corpus sacrificii ut comederetur idoneum, si animatum esset. Ergo quando corpus edendum et sanguinem bibendum praebuit, jam arcana et non aspectabili ratione corpus immolatum erat" [3]. S. CYPRIANUS: „Passio Domini est sacrificium quod offerimus" [4]. Praeterea saepe ejusmodi locutiones adhibent, quae mactationem mysticam in sensu exposito insinuant: s. CYRILLUS HIER.; „Christum mactatum offerimus"; s. CHRYSOSTOMUS; „Cum videris Dominum immolatum ac jacentem"; CYRILLONAS:

[1] Lectio *κλώμενον*, si certo genuina esset, sententiam Lugonis non quidem probaret, sed ei aliquatenus faveret. — [2] Cfr. supra n⁰ **320**. — [3] *Orat. I in resurrect.* — [4] Supra n⁰ **452**.

„Ut proprium corpus in agnum paschalem mactaret"; s. AUGUSTINUS: Christus „in sacramento omni die immolatur" [1]. Quid sibi volunt voces *immolari, mactari*, quae certe per se interfectionem victimae significant, et quae nihilominus, consuetudine a patribus accepta et ab ipso Tridentino consecrata [2], ita constanter sacrificio eucharistico applicantur, ut nemo theologus vel catecheta ab iis abstineat? Nonne in sola sententia mactationis mysticae explicationem obviam ac naturalem inveniunt? [3]

Denique vulgata sententia est, novissime a Leone XIII consecrata, sacrificium crucis et mortem Domini in missa non tantum repraesentari, sed vero aliquo sensu *renovari, mystice renovari* [4]. Atqui si missa sacrificium est per mysticam repetitionem ejus quod in cruce realiter actum est, hic modus dicendi facile explicatur; quomodo autem in aliis sententiis verificetur, non ita video.

[1] Cfr. supra n⁰ **453—456.** — [2] „Per sacerdotes sub signis visibilibus *immolandum*". — „Idem Christus incruente *immolatur*, qui in ara crucis seipsum cruente obtulit" (*Sess.* 22, cp. 1 et 2). — [3] Neque sententiae Lugonis favere putamus, quod patres saepe immolationem immediate manducationi conjungunt. Consecratio duo facit: corpus et sanguinem Christi ponit *ut sub duabus speciebus separata in mortem*, et: corpus et sanguinem ponit *sub speciebus cibi et potus*. Igitur simul est mactatio mystica et praeparatio victimae in cibum; imo mactatio mystica, qualis de facto est, non tantum sub duabus speciebus *separatis*, sed praecise sub speciebus *cibi et potus*, internum ordinem habet ad subsequentem sumptionem. Sed immerito supponitur, patres consecrationi nomen immolationis et mactationis dedisse, *formaliter quia* est praeparatio victimae in cibum ac potum. Contrarium patet ex s. Gregorio nyss., supra laudato. — De sententia D. Thomae optime scripsit J. Bittremieux in *Divus Thomas*, 1927, pag. 35—56. — [4] Encycl. *Mirae charitatis*, 28 Maji, 1902: In celebratione Eucharistiae „supremum in Calvaria sacrificium admirabili modo renovatur". — Missa, „quae mortis ipsius [Christi] non inanis quaedam nudaque commemoratio, sed vera et mirabilis, quamquam incruenta et mystica, renovatio est."

c. *Ratio* sententiam nostram commendare videtur ex duobus. 474
Destructio seu mutatio in statum pejorem, qualis a Lugone asseritur, non magis vera, Christoque interna est ac nostra, sed minus apta est ad significationem sacrificalem exprimendam; nam constitutio victimae in statum cibi ac potus, actio per quam praeparatur *in usum nostrum*, formaliter qua talis non symbolizat agnitionem supremae majestatis. — Praeterea in nostra opinione altius explicatur, quare repraesentatio mortis cruentae sacrificio eucharistico essentialis sit. In illa siquidem una eademque res est, np. mystica separatio corporis et sanguinis Domini, per quam missa est verum sacrificium de praesenti, et per quam est repraesentatio sacrificii crucis; cum in opinione Lugonis repraesentatio mortis cruentae sacrificio qua tali extrinseca sit, unde nonnisi ex positiva ordinatione ad essentiam missae pertineret.

Corollarium. Post praedicta facile solvitur haec difficultas. 475
Supra dictum est, principalem offerentem sacrificii nostri esse Christum-sacerdotem, i. e. Christum-hominem; sacrificium totum perficitur consecratione; atqui causa principalis consecrationis seu transsubstantiationis non est Christus-homo, sed Deus. Verum consecratio trifariam spectari potest. Primo ut est actio, qua per conversionem panis et vini *corpus et sanguis Domini praesens sistitur;* et ita est a solo Deo, ut causa principali. Secundo ut est actio, qua Christus praesens sistitur in *habitu externo immolationis*, per praesentiam sub *duabus* speciebus *separatis*. Tertio ut est actio, qua praesentia corporis et sanguinis Domini sub violentae mortis symbolo *ordinatur in cultum Dei*. Atqui consecratio considerata sub secunda et tertia formalitate, igitur *formaliter ut est actio sacrificalis*, revera procedit a Christo-homine, tamquam a sua causa principali.

V. **Consectaria.** 1°. *De necessitate utriusque consecrationis* 476
simul. Nonnulli theologi antiquiores docuerunt, ad perfectionem

stricte essentialem sacrificii N. L. sufficere consecrationem unius tantum speciei [1]. Sed sententia longe communior et probabilior tenet, ita requiri ambarum specierum consecrationem, ut sine ea sacrificium N. L. simpliciter deficiat.

Sane in consecratione unius speciei *repraesentatio mortis Domini* aut nulla est, aut defectuosa. Sola consecratio panis cum verbis: „Hoc est corpus meum," mortem Domini non repraesentat, nam species panis cum verbis praedictis non nisi ex oppositione ad alteram speciem, alteramque formam, corpus exsangue ac mortuum repraesentat. Sola consecratio vini cum sua forma sanguinem quidem Domini repraesentat ut effusum, sed non subjicit sensibus nostris totum Christum, ut pro nobis per sanguinis effusionem immolatum.

Quodsi cum sententia modo propugnata *formalem rationem sacrificii* posueris in externo habitu mortis violentae, iterum dicendum est, eam in consecratione unius speciei aut omnino deficere, aut saltem nonnisi deficienter verificari. At haec ratio in aliis sententiis non applicatur.

Verum quum natura sacrificii ultimo pendeat a voluntate instituentis, quaestio proprie non est, quid ad rationem veri sacrificii sufficere per se posset; sed quid *ex lege institutionis* ad eam requiratur. Constat autem, Christum non unius, sed duarum specierum consecrationem instituisse. Quum igitur nullum argumentum positivum innuat, eum ita injunxisse duplicem consecrationem, ut nihilominus voluerit, etiam in una sacrificium suum substantialiter perfici; quum praeterea rationes internae, ut supra, contrarium suadeant, non video undenam opinioni oppositae positiva probabilitas accederet. Nec valet ratio desumpta ex *Rub. de defect.*, ubi habetur alterutram materiam invalidam semper esse supplendam, „ne sacrificium remaneat imperfectum" [2]. Perperam enim concluditur, sacrifi-

[1] Huic opinioni ex recentioribus adstipulavit A. ROHLING, in *Der Katholik*, 1868, II, p. 257; praeterea ei nonnihil favet F. SCHMID, in *Zeits. f. k. Theol.*, 1892, p. 98 et 1903, p. 244. — [2] *Missale rom.*, Rub. de defect., III, 6; IV, 8.

cium imperfectum saltem esse sacrificium aliquod! Nonne aequali jure explicari potest: imperfectum, i. e. inchoatum sed non perfectum essentialiter?

2⁰. *De convenientia et differentia sacrificium crucis inter et altaris.* — Totam rem breviter perstringit conc. trid. dicendo: „*Una eademque* est *hostia, idem* nunc *offerens* sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, *sola offerendi ratione diversa*" [1]. Identitatem hostiae et principalis offerentis supra explicavimus. Diversa ratio seu modus offerendi plura complectitur. In cruce Christus offerebatur in propria specie, in altari sub speciebus panis et vini; in cruce ipse solus seipsum offerebat, in altari utitur officio sacerdotis ministerialis. At praecipua differentia est, quod in cruce offerebatur per mactationem veram et cruentam, in altari per immolationem mysticam tantum. De fructuum diversitate infra dicetur. 477

Manifestum est, sacrificium missae *numero* differre a sacrificio crucis; sicut etiam quaelibet missa numero differt ab alia. Praeterea omnino dicendum videtur, sacrificium cruentum *specie* differre. Forma dat speciem; forma autem sacrificii est destructio seu immolatio. Quum igitur immolatio realis et mystica certe specifice differant, sacrificium missae philosophice loquendo non est ejusdem speciei cum sacrificio crucis. Dico: philosophice loquendo; quum enim dignitas et valor sacrificii multo magis pendeant ab hostia et principali offerente, quam a modo immolationis, nihil prohibet dicere, sacrificium altaris et crucis quoad substantiam convenire. Et hoc reapse intellegunt concionatores et catechetae quando dicunt, in missa idem sacrificium offerri incruente, quod cruente oblatum est in cruce; vel etiam simpliciter: in missa et in cruce idem offerri sacrificium. 478

Corollarium. Probata et explicata veritate sacrificii pronum est observare, protestantes immerito in celebratione Eucha- 479

[1] *Sess.* 22, cap. 2.

ristiae ita urgere rationem *veri convivii*, ut dicant ad legitimam confectionem et usum ejus omnino requiri participationem *plurium simul personarum*. Etsi enim Dominus Eucharistiam coram apostolis confecit, et omnes pariter communicavit, non sequitur hanc circumstantiam esse essentialem vel etiam simpliciter a Christo praescriptam.

Eucharistia ex institutione Domini celebratur, non in memoriam ultimae coenae, sed in memoriam cruentae immolationis in cruce [1]. Hinc ejus celebratio primario habet rationem *sacrificii* repraesentativi, cujus natura exigit quidem ut a publico ministro et nomine ecclesiae offeratur, non vero necessario ut semper coram pluribus perficiatur.

Sacrificium eucharisticum ita institutum est, ut ejus oblatione victima constituatur sub speciebus cibi et potus, et hac de causa internum ordinem habet ad sumptionem subsequentem. Verum nulla ratione probari potest, necessariam esse sumptionem plurium simul personarum. Quodsi consideraveris, in omnibus missis, quae in ecclesia offeruntur, sub innumeris speciebus diversis eumdem semper numero Christum immolari; proinde in diversis locis et sub diversis signis sacramentalibus eumdem numero Christum sumi ab omnibus communicantibus; intelleges, ideam convivii sacrificalis etiam verificari in praxi catholica, quum semper verum sit, multos, imo omnes fideles diversis locis, diversisque momentis, participare de eadem numero hostia pro omnibus immolata: „Unum corpus multi sumus, qui de uno pane [Christo-eucharistico] participamus" [2].

Inferes, conc. trid. merito declarasse, non illicitas esse missas „privatas", i. e. eas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat [3]. Reformatores siquidem ideo in hujusmodi missas acriter invehebant, quia in iis nullum habetur „convivium".

---

[1] *I Cor.* 11, 26. — [2] *I Cor.* 10, 17. — [3] *Sess.* 22, cap. 6, et can. 8; cfr. DENZ. 1528.

Art. IV.

DE SACRIFICII EUCHARISTICI VIRTUTE [1].

Quaestionem principalem: ad *quosdam* fines seu *effectus* missa valeat, sequenti prop. solvimus; alia quae huc spectant: quo *modo*, qua *mensura*, *quibusnam* effectus obveniant, invenies in scholiis.

PROP. **Sacrificium missae est latreuticum, eucharisti- 480**
cum, impetratorium, propitiatorium pro vivis et defunctis.

Explicationem terminorum habes supra [2]. Pro distinctione *impetratorii* et *propitiatorii* observa, in praesenti unice quaeri de effectibus qui obtinentur, non de modo quo obtinentur. Quo praemisso dicendum est, sub effectu *propitiatorio* comprehendi omnia, quae faciunt ad remissionem peccatorum, culpae scil. et poenae; effectum *impetratorium* complecti alia beneficia sive spiritualia sive temporalia.

Prop. est *de fide* ex conc. trid.: „S. q. d., missae sacrificium tantum esse *laudis* et *gratiarum actionis*, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem *propitiatorium*, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et *aliis necessitatibus* offerri debere, a. s." [3]. Etsi concilium vocem „impetratorium" non adhibuit, rem non omisit; siquidem dicendo, sacrificium nostrum offerri „pro peccatis, poenis, satisfactionibus et *aliis necessitatibus*", aperte docuit favores per missam obtinendos non absolvi iis, quae ad remissionem peccatorum faciunt. Igitur fructum impetratorium sub propitiatorio, sumpto in sensu paulo latiore, comprehendit; nec immerito, nam qui Deum propitium reddit non solum ejus indignationem sopit, poenasque infligendas avertit, sed simul eum inclinat ad novos favores impertiendos.

[1] Cfr. TH. SPECHT, *Die Wirkungen des euchar. Opfers* (1876). — [2] Supra n° **433**. — [3] *Sess.* **22**, can. 3.

481 Verum, ut supra jam indicavimus [1], effectus propitiatorius et impetratorius missae ita intellegendus est, ut non contradicat doctrinae alibi traditae, de sacrificio crucis, causa universali totius nostrae salutis [2]. Christus seipsum offerens in altari nihil de novo meretur, nullam de novo satisfactionem operatur, siquidem „una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos" [3]. Igitur sacrificium missae hac tantum ratione valet ad remissionem peccatorum et beneficiorum adeptionem, ut *fructum satisfactorium et meritorium sacrificii crucis nobis applicet.* Conc. trid.: Christus, Eucharistiam instituendo, ecclesiae suae visibile reliquit „sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur... atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur"; et: „Cujus quidem oblationis cruentae fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur; tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur" [4].

482 *Probare* effectum *latreuticum* et *eucharisticum* superfluum est. Luce clarius patet, supremum Dei dominium in omnem creaturam modo excellentissimo agnosci atque laudari per oblationem humanitatis Christi mystice immolatae; hostia etenim quae offertur quamlibet meram creaturam dignitate superat. Iterum apertum est, non dari meliorem gratiarum actionem pro beneficiis acceptis quam per oblationem summi doni, quod mundus a Deo accepit. Ceterum ipsum nomen antiquissimum Eucharistiae rem conficeret.

Effectus *impetratorius* ad propitiatorium comparatur tam-

---

[1] Supra n° **449.** — [2] Tract. *De Deo redemp.* n° **150.** seq. — [3] *Hebr.* 10, 14. — [4] *Sess.* **22**, cap. 1 et 2. — Pauci quidam theologi (Thalhofer, Oswald) virtutem applicatoriam missae ita urgent, ut dicant, de gratia in cruce promerita nihil nobis applicari nisi per missam, imo ad ipsa sacramenta gratiam quodammodo derivari per missam. Verum haec doctrina fundamento caret, et causalitati sacramentorum nocere videtur.

quam minus quid ad majus. Nam si Deus hoc sacrificio placatus peccatorum veniam largitur, certe magis concedet alia beneficia, primo spiritualia, deinde, in quantum nobis vere utilia sunt, etiam temporalia. Hinc solum effectum *propitiatorium* breviter probasse sufficiet.

Probatur autem 1⁰. ex *verbis institutionis*, ubi aperte legitur: **483** „Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum" [1].

2⁰. Ex *Traditione*. ORIGENES: „Si respicias ad illam commemorationem, de qua dicit Dominus: Hoc facite in meam commemorationem, invenies quod ista est commemoratio sola [scil. per oppositionem ad sacrificia figuralia V. L.], quae propitium facit hominibus Deum" [2]. — S. CYPRIANUS lapsis improperat, quod „ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis" ad s. communionem accedere praesumebant [3]. — S. CYRILLUS HIER.: „Super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace", cet. [4] — S. AMBROSIUS: „Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem; et offert se ipse quasi sacerdos ut peccata nostra dimittat" [5]. — S. AUGUSTINUS: „Illis sacrificiis [V. L.] unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum, a cujus sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur" [6].

Oblationem sacrificii nostri pro *defunctis* testantur v. g. **484** TERTULLIANUS: „Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus"; et in favorem hujus rei traditionem invocat. [7]. — S. CYPRIANUS meminit vetiti, ne pro eo, qui clericum tutorem instituisset, „sacrificium pro dormitione ejus

[1] *Mt.* **26**, 27. — [2] *Hom 13 in Livit.*, n⁰ 3. — [3] *De laps.* 16. — [4] *Cat. myst.* **5**, n⁰ 8. — [5] *De offic.* I, **48**, 248. — [6] *Quaest. in Levit.* qu. 57, n⁰ 4. — [7] *De Cor.* 3.

celebraretur [1]. — S. CYRILLUS HIER.: „Nos pro defunctis, etsi peccatores sint, preces Deo offerentes, non coronam plectimus, sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis [defunctis] tum pro nobis demereri et propitiare satagentes".[2] — S. CHRYSOSTOMUS: „Non frustra haec ab apostolis sunt legibus constituta, ut in venerandis atque tremendis mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt. Noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Eo enim tempore, quo coram jacet tremenda hostia quomodo Deum non placabimus pro illis orantes" [3]? — S. AUGUSTINUS: „Cum offerretur pro ea [Monica] sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi" [4].

Hisce adjungendum est testimonium valde explicitum *liturgiarum* [5].

485 **Scholion 1.** *De modo et mensura, quibus effectus missae obtinentur.* — Imprimis distinguendum est inter effectus latreuticum et eucharisticum, qui Deum respiciunt, et alios effectus, qui nobis hominibus obveniunt, et hac de causa saepe dicuntur *fructus* missae.

1°. De *latreutico* et *eucharistico* pauca sufficiunt. Adoratio et gratiarum actio in missa exhibitae, quatenus procedunt *a Christo* per sacerdotem ministerialem qua talem, Deo infallibiliter et infinite placent. Quatenus procedunt *ab ecclesia* qua tali, cujus nomine sacrificium offertur, iterum Deo infallibiliter placent, sed pro mensura sanctitatis ipsius ecclesiae. Quatenus procedunt a sacerdote ut persona privata, aliisque actu coofferentibus Deo placebunt vel non placebunt, plus vel minus placebunt, pro dispositione horum offerentium.

Hinc explicatur, quo sensu ecclesia orat: „Hanc oblationem placatus accipias ... in omnibus acceptabilem facere

[1] *Ep. 1*, n° 2. — [2] *Cat. myst.* 5, n° 10. — [3] *Hom. 3 in Ep. ad Philip.* n° 4. — [4] *Confess.* IX, 12, 32. — [5] Cfr. v. g. SPECHT, l. c. p. 17—42.

digneris... Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera justi Abel et Abrahae et Melchisedech" [1]. Certe ecclesiae non est, orare ut sacrificium eucharisticum, formaliter in quantum est sacrificium ipsius Christi, Deo placeat, sed preces liturgicae spectant acceptabilitatem ex parte hujus sacerdotis et horum fidelium, v. g. ministrantium aut assistentium. Quodsi memorantur sacrificia V. L., quae Deo peculiariter placuerunt, non instituitur comparatio victimae ad victimam; sed postulatur ut dispositio nostra non maneat infra mensuram devotionis eorum, qui hostias figurales obtulerunt.

Unum observa. Ubi quaeritur *de acceptabilitate* sacrificii nostri *simpliciter dicta*, non attenduntur dispositiones fidelium mediate offerentium, nec merita personalia sacerdotis ministerialis, sed sola dignitas principalis offerentis; et ita verissimum est, sacrificium N. L. simpliciter loquendo „nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari posse" [2].

2⁰. Loquendo de effectibus *propitiatorio* et *impetratorio*, 486
primo missam spectamus formaliter *ut sacrificium Christi*, per sacerdotem ministerialem qua talem, exclusa interim omni consideratione aliorum offerentium.

Porro ipsa natura sacrificii, cujus finis directus non est utilitas hominis sed cultus Dei, clamat, respectu beneficiorum, quae sub nomine effectus propitiatorii et impetratorii comprehenduntur, missam non esse nisi *causam moralem*, np. talem, quae valore suo Deum moveat ad ea concedenda. Et quia Christus, seipsum in altari offerens, neque satisfacit neque meretur, sequitur, eum cuncta illa beneficia pro nobis obtinere *per modum impetrationis*: „semper vivens ad interpellandum pro nobis"; utique tali interpellatione, quae nititur satisfactione et merito olim in cruce comparatis.

---

[1] *Missale rom.*, in Canone. — [2] *Conc. trid., Sess.* 22, cap. 1.

Interpellatio haec, *quantum est ex parte ipsius Christi, infallibiliter exauditur*, et quidem independenter a dispositione et merito sacerdotis ministerialis. *Mensura* tamen bonorum per eam singulis vicibus obtinendorum et necessario *finita* est et, sicut in qualibet impetratione, primario *pendet a beneplacito Patris.*

487 Nunc autem ut recte judicetur de certitudine vel incertitudine effectuum propitiatorii et impetratorii *in actu secundo*, in specie consideranda sunt bona, quae sub his effectibus comprehendi diximus.

Ad **propitiatorium** pertinet **a.** *placatio divinae indignationis*, secundum quam Deus forte peccatori multas gratias subtrahit, quas secus aut ultro aut saltem rogatus dedisset. Atqui nihil prohibet, quandoque plura, imo multa requiri sacrificia antequam obex divinae irae removeatur. **b.** *Remissio culpae mortalis.* Quum autem aliunde constet, culpam gravem in praesenti ordine non remitti nisi per sacramentum Poenitentiae aut contritionem cum voto confitendi, certum est, sacrificium missae ad praedictum effectum mediate tantum concurrere, quatenus Deus propter interpellationem Christi-sacerdotis tempus poenitendi et gratias actuales, ad poenitentiam conducentes, largiatur. Hinc conc. trid.: „Hujus [sacrificii] oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit"[1]. Atqui fieri potest, ut hujusmodi gratiae a Deo in tempus opportunum differantur; et praeterea, ut ab ipso peccatore per obicem malae dispositionis aut obstinationis frustrentur. Siquidem miracula gratiae, quae etiam rebelles voluntates ad Deum compellunt, etsi dari possunt, a consueto ordine supernaturalis providentiae non minus exorbitant quam miracula physica. Hinc S. THOMAS: sacrificium eucharisticum „si eos [peccatores] dispositos inveniat, eis gratiam obtinet, et per

[1] *Sess.* 22, cap. 2.

consequens peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat"[1]. Nec aliter conc. trid.: „Docet s. synodus, per ipsum [sacrificium missae] fieri, ut si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti [contritione aliqua inchoata] ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno"[2]. c. *Remissio culpae venialis*, de qua, servata proportione, omnia valent quae modo exposuimus. Nulla enim ratio probabilis suadet, peccata venialia per missam immediate remitti. d. *Remissio poenae temporalis*. Hic effectus per sacrificium immediate obtinetur, virtute satisfactionis in cruce peractae et in missa Deo Patri praesentatae. Verum mensura remissionis secundum probabiliorem sententiam pendet a dispositione ac devotione illius, pro quo offertur[3]; imo remissio ex toto frustraretur, si subjectum non esset in statu gratiae. Quum autem animae purgantes obicem habere nequeant, communis doctrina est, missam iis infallibiliter prodesse.

Ad effectum **impetratorium** pertinere diximus *reliqua beneficia*, sive spiritualia sive temporalia, quae non faciunt ad remissionem peccatorum. Atqui indubium est, horum donorum impetrationem sequi communem legem impetrationis, cujus effectus impediri potest tum ex parte ejus pro quo postulatur, tum ex parte rei postulatae; quae non solum utilis esse ad salutem sed insuper cum ordine divinae providentiae congruere debet. Ordo autem providentiae certe non habet, ut quodlibet privilegium pro quolibet impetrari queat. Quodsi missam offerri contingat pro obtinendo beneficio, respectu cujus conditiones exauditionis ex aliqua parte non verificantur, Christus principalis offerens reapse non habet voluntatem impetrandi id, quod homo desiderat; sed, dummodo indignitas **488**

[1] *In IV Sent.* d. 12, q. 2, a. 2, sol. 2, ad 4. — [2] L. c. — [3] *S. Th.* III, 79, 5 et 7 ad 2.

subjecti in causa non sit, aliud magis utile vel magis congruum pro eo obtinebit.

Atqui his omnibus conficitur, optime cohaerere haec duo: interpellatio Christi, *quantum est ex parte ipsius interpellantis* infallibiliter exauditur, nihilominus effectus propitiatorius et impetratorius *in actu secundo* generatim nec infallibiliter nec certo sequuntur.

489 3°. Restat, ut effectum propitiatorium et impetratorium missae consideremus *ex parte aliorum offerentium* praeter Christum.

a. Sacerdos missam celebrans offert et orat [1] nomine totius ecclesiae, quam legitime repraesentat. Igitur interpellationi ipsius Christi, de qua diximus, jungitur interpellatio sanctae ecclesiae, sponsae Christi, cujus oratio, cum Deo non placere nequeat, iterum quantum est ex parte ipsius orantis, infallibiliter admittitur in sacrarium exauditionis; idque secundum mensuram sanctitatis, qua ecclesiae actu gaudet, et omnino independenter a merito vel demerito personali sacerdotis.

b. Deinde missa offertur tum *per sacerdotem ut est persona privata*, tum etiam per eos *fideles*, qui *actu* se sacerdoti conjungunt aut ad celebrationem adjuvant. Unde iterum interpellationi Christi et ecclesiae, qua talis, adjungitur oratio personalis celebrantis et actu coofferentium; nec oratio tantum, sed insuper satisfactio personalis et meritum personale illorum, nam celebratio missae aut assistentia qualiscumque, suppositis supponendis, est opus satisfactorium et meritorium. Manifestum autem est, valorem tum impetratorium, tum satisfactorium et meritorium horum actuum omnino pendere a dispositione habituali et devotione actuali operantium.

---

[1] Dico: „offert *et orat*," nam orationes et caeremoniae, quae ipsi sacrificio, i. e. consecrationi adjunguntur, procedunt a sacerdote, non ut est minister Christi, sed ut est minister ecclesiae et persona particularis.

Nec putes, dignitati Christi mediatoris derogari ex eo, 490
quod interpellationi sacrificali ipsius adjunguntur interpellationes tum ecclesiae, tum quorumdam fidelium; neque enim alii Christo coordinantur, neque ita illi subjunguntur, ac si Christus per se solus non sufficeret. Imprimis alii offerentes non coordinantur Christo, nam omnis vis sive impetratoria, sive meritoria aut satisfactoria aliorum ultimo nititur mediatione et meritis Christi; quum nec ecclesia, nec a fortiori singuli fideles quidquam valeant apud Deum nisi per gratiam Christi. Hinc autem facile conficitur, alios Christo subjungi non in auxilium insufficientiae ipsius, sed potius in ostensionem superabundantis efficaciae. Quemadmodum enim in ordine naturali dupliciter manifestatur virtus Creatoris: primo in eo, quod per seipsam operatur quaecumque fiunt, deinde in eo, quod creaturis tribuit veram causalitatem respectu nonnullorum; ita in ordine supernaturali dupliciter commendatur potentia Redemptoris: primo ex eo, quod per seipsum omnium salutem operatur, ita ut nemo quidquam accipiat in ordine ad salutem nisi per ipsum; deinde ex eo, quod aliis influit virtutem operandi cum ipso et per ipsum ad salutem multorum.

Scholion 2. *De personis, quibus fructus missae obveniunt.* — 491
Ad confusionem praecavendam eliminandus est fructus, qui proprie non sacrificio qua tali respondet, sed *bonis actibus* celebrantis, ut personae privatae, et fidelium actu coofferentium. Fructus hic, in quantum meritorius est, ipsis operantibus obvenit; in quantum satisfactorius et impetratorius est, cedit in utilitatem aut ipsorum aut aliorum, quibus illum destinare voluerint. — Manet proinde fructus missae, formaliter ut est sacrificium.

a. Omnis missa non solum ex persona totius ecclesiae, sed etiam pro tota ecclesia offertur; habetur igitur aliquis fructus, qui obvenit *toti ecclesiae*, i. e. singulis ejus membris; et quidem, ut omnino videtur, secundum mensuram tum dis-

positionis, tum gradus hierarchici, quem singuli in ecclesia occupant: *fructus generalis*, aut universalis. Imo quum omnes homines saltem in potentia ac veluti debito ad ecclesiam pertineant, hic fructus indirecte cunctis quodammodo prodest; unde etiam in oblatione calicis rogamus, ut sacrificium „pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat."

b. Omnis missa ex persona Christi et ecclesiae offertur per sacerdotem, ut ministrum publicum, unde facile intellegitur, huic *ministerio qua tali* respondere peculiarem partem fructuum: *fructus personalis*, aut specialis. Et hujusmodi fructus, servata proportione, etiam obvenit fidelibus actu coofferentibus. Nec putes, hunc fructum personalem celebrantis et coofferentium coincidere cum eo fructu, quem supra eliminavimus. Sacerdos et coofferentes primo opus bonum perficiunt, quod suppositis supponendis, iis prodest ex opere operantis, et hunc fructum in capite scholii praeoccupavimus; deinde simul offerunt sacrificium N. L., quod formaliter ut sacrificium iis prodest veluti ex opere operato: fructus personalis.

Ad fructum tum generalem tum personalem nulla requiritur peculiaris intentio ex parte sacerdotis, sequuntur enim ipsam naturam sacrificii, quale a Christo institutum est. Quum igitur ab ipso Christo institutore velut applicati sint, in alios transferri nequeunt. Praeterea certum est, hos fructus singulis non diminui ex eo, quod plures simul personae eos percipiunt; percipiuntur enim a singulis ut sunt aliqua ratione offerentes.

492 **c.** Ex traditione ecclesiae habemus, sacrificium missae peculiariter offerri posse *pro determinatis personis* aut ad determinatum finem obtinendum [1]. Constat igitur, praeter fructum generalem et personalem, dari fructum quemdam intermedium,

[1] Cfr. v. g. Tertullianum, s. Cyprianum, s. Augustinum, supra n^{0} 484.

dependentem a libera dispositione seu applicatione sacerdotis: *fructus medius* aut intentionalis, qui etiam dicitur specialis, utpote iis obveniens pro quibus sacerdos per suam intentionem missam specialiter applicat.

De hoc fructu disputatur, utrum *extensive finitus* sit necne, i. e. utrum ita limitatus sit, ut singulis minuatur si missa pro pluribus simul applicatur [1]. Quum res a positiva institutione pendeat, quaestio solis rationibus internis solvi nequit. Atqui traditio practica ecclesiae ita favet limitationi fructus intentionalis, ut opinio contraria non videatur multum probabilis. Sane consuetudo ecclesiae habet, ut missa etiam offeratur, imo saepissime offeratur pro una vel paucis personis tantum. Jam si fructus medius esset illimitatus extensive hujusmodo praxis valde nociva esset, quum alii absque ulla ratione a participatione illius fructus excluderentur.

Porro plures theologi hanc limitationem ad solum effectum propitiatorium restringunt, intellegendo, ni fallor, placationem divinae indignationis et remissionem poenae temporis tantum; sed rationes non ita multum valent, unde censemus, utrumque effectum tum propitiatorium tum impetratorium extensive limitatum esse.

Monitum practicum. — Fructus medius missae applicari **492a** potest tum vivis, tum defunctis. Apud nostrates ut plurimum applicari solet defunctis. Quod etsi nullo modo improbandum sit, dolendum tamen est, quod plerique „gravi cum spiritualium utilitatum jactura illud ignorent, profuturum sibi *multo magis* missae sacrificium, quod, *se vivis, ipsimet*, quam quod in ipsorum levamen defunctorum heredes, propinqui vel amici perlitari jusserint" [2]. Unde censemus, fideles instruendos esse

[1] Cfr. v. g. SPECHT, l. c. § 29. — Dico, disputari utrum sit *extensive* finitus, necne; nam quod *intensive* finitus est apud omnes constat vel ex hoc solo, quod nemo fructum infinitum recipere posset. — [2] Litt. apost.: *Sodalitatem nostrae Dominae*, diei 31 Maji 1921, *Act. Ap. Sedis*, 1921, p. 342.

de iis, quae Benedictus XV nuper edocuit. Moderator piae *sodalitatis nostrae Dominae a bona morte* Pontifici mentem suam aperuerat, permovendi sodales suos, „ut hi Sacra quam plurima curarent peragenda *ad gratiam pii decessus* sibi, aliisque omnibus, si liceret, impetrandam". Pontifex respondit propositum illud sibi „perplacere", simulque edixit: „Considerandum est, fructus, qui ex Sacro percipiuntur, *hominibus longe uberius vivis prodesse quam vita functis*, cum iis, bene animatis atque dispositis, *magis directo, certius atque abundantius*, quam his, applicentur. Unde efficitur, ut, cum perseverantiae dono, queamus nobis facultatem adhuc vivis comparare cum placandae Dei justitiae, tum poenae, quae nos in purgatorio igne maneret, vel tollendae omnino, vel valde saltem imminuendae"[1].

493 **Corollarium.** *De missa in honorem Sanctorum.* — Missa, quum verum sacrificium sit, soli Deo offerri potest et reapse, teste universa liturgia, soli Deo offertur. Nihilominus ecclesia ab antiquissimis temporibus missas celebravit in honorem sanctorum. TERTULLIANUS: „Sacrificia pro natalitiis [martyrum] annua die facimus." [2]; S. CYPRIANUS: „Sacrificia pro iis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones anniversaria commemoratione celebramus" [3]. Hinc conc. trid. definivit: „S. q. d., imposturam esse, missas celebrare in honorem sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut ecclesia intendit, a. s." [4].

Quaeritur igitur, quomodo ecclesia illud intendat?

Imprimis facile intellegitur, nihil obstare, quominus sacerdos in missa, nomine ecclesiae et suo, sanctos roget, ut intercessione sua sacrificium, formaliter in quantum est sacrificium nostrum, apud Deum commendent. Nonne ipsos fideles adstantes interpellat: „Orate, fratres, ut meum ac vestrum sacri-

---

[1] L. c. — [2] *De Cor.* 3. — [3] *Ep. 39*, n⁰ 3. — [4] *Sess.* 22, can. 5 et cap. 3.

ficium acceptabile fiat apud Deum"? [1]. Verum haec difficultatem vix tangunt.

Igitur missam offere *Deo in honorem* aut memoriam *alicujus sancti* idem est, ac Deo per missam gratias agere pro beneficiis sancto collatis [2]. Sanctos, cum se suaque perfectissime in Deum referant, non aliter honorare possumus nisi honorando Deum in ipsis; quod certe praecellenti ratione facimus, Deo gratias agendo pro bonis iis impertitis. Ad hunc autem finem aptissimum est sacrificium missae, quo memoratur et mystice renovatur sacrificium crucis, ex quo cuncta dona gratiae et gloriae pro sanctis manaverunt. Porro Deum glorificando in sanctis, laudando eum pro sanctis, quos coronavit, eo ipso sanctos inducimus ut pro nobis intercedere dignentur apud Patrem; et hac ratione missam Deo offerimus etiam *pro sanctorum intercessione apud Deum obtinenda*. Vel dici potest, per missam Deum rogari, ut sanctis inspiret affectum pro nobis intercedendi.

Tractatum, futuris sacerdotibus imprimis dicatum, concludo monitione LEONIS XIII: „Sacerdotes, quibus Christus redemptor corporis et sanguinis sui mysteria conficiendi ac dispensandi tradidit munus, nihil melius pro summo accepto honore queunt rependere, quam ut ipsius eucharisticam gloriam omni ope provehant, optatisque sacratissimi cordis ejus obsequendo, animos hominum ad salutiferos tanti sacramenti, sacrificiique fontes invitent ac pertrahant"! [3].

---

[1] Nihilominus orationes, quae in missa persolvuntur, non directe ad sanctos, sed ad ipsum Deum diriguntur omnes, ut videre est in *Missali*. — [2] *Conc. Trid.*: „Deum de illorum victoriis gratias agens" (L. c.); *Missale*, postcomm. in festo s. Ignatii (31 Julii): „Laudis hostia, Domine, quam pro sancto Ignatio gratias agentes, obtulimus, ad perpetuam nos majestatis tuae laudationem, ejus intercessione, perducat." — [3] Encycl. *Mirae caritatis*, 28 Maji, 1902.

INDEX ALPHABETICUS

(INDICANTUR NUMERI MARGINALES).

Abercius de reali praesentia, 308.

Ablutio in Baptismo, 173; trina, 179.

Acceptabilitas sacrificii missae, 485.

Accidens, quid, 356.

Accidentia panis et vini quare dicantur species, 337, realiter permanent, 349; qua ratione id explicetur a nonnullis recentioribus, 352; secundum philosophiam scholasticam, 356; quomodo ex iis aliquid generetur, 359; phaenomenon odoratus, 359; quomodo pertineant ad rem oblatam in missa, 457; symbolizant ecclesiam, 457.

Actio sacrifica in missa, 466.

Adductio, num per eam transsubstantiatio aliquatenus explicetur, 345.

Adoratio Christi eucharistici, 369.

Adulti quandonam teneantur baptizari, 229.

Agere et pati specierum remanentium, 358; corporis Christi in Euch. 375.

S. Ambrosius de bapt in nomine Jesu, 188.

Amentes quoad s. communionem, 423.

Armeni de numero sacramentorum, 16; quoad ext. Unctionem, 16.

Anabaptistae, 231.

Anglicani de reali praesentia, 273.

Annihilatio substantiae panis non admittenda, 344.

Apostoli, de eorum baptismate, 168.

Apparationes Christi in Euch. 380.

Aqua vino admiscenda, 390.

Aquarii, 387.

Arcani disciplina, 4.

Armeni de epiclesi, 393.

Artotyritae, 387.

Aspersio, modus baptizandi, 176, 178.

S. Augustinus de verbo et elemento, 29, de charactere sacramentorum, 81; de institutione sacram. per Christum, 98; de promissione Euch. apud Jo. 6: 286; de reali praesentia, 325, 332; de sacrificio missae, 456.

Augustodunensis inscriptio, 193.

Baptismus, figurae, 160; nomen, 161; definitio, 162, est sacramentum a Christo institutum, 164; quandonam, 168; materia remota, 170; materia proxima, 173; forma, 180; „in nomine Jesu," 187; effectus, 193; character, 198, reviviscentia probatur, 201; necessitas, 205; — flaminis, 209; — sanguinis, 216; minister, 225, 226, 227; subjectum, 229; liturgia baptismalis, 237.

Baptismus flaminis, quid, 208; supplet vices sacramenti, 209, ad quosnam effectus, 211; quandonam, 214; quare dicatur votum baptismi, 212.

Baptismus sanguinis, quod, 208, 215; supplet vicem sacramenti, 216; ad quosnam effectus, 217; quo modo, 218; dispositiones requisitae, 219.

Baptisma Joannis, 169.

Baptisma proselytarum, 169.

Batiffol de promissione Euch. apud Jo. 6: 276, 281, 283; de verbis institutionis apud Luc., 294; de sacrificio Euch. in Didachè, 451.

Bavinck de gratia in sacram. contenta, 41; de effectu Bapt., 191, 204; in infantibus, 204; de reali praesentia, 272.

de inutilitate manducationis oralis corporis Christi, 398.

Bayma male explicat transsubstantiationem, 343.

Beelen de significatione participii praesentis in graeco N. T., 444.

Bellevue minus recte interpretatur ritum Baptismi, 173.

Benedictiones constitutivae et invocativae, 155.

Benedictus XV de missa pro vivis, 492a.

S. Bernardus, singularis opinio de forma Bapt. 190; de tempore, quo Baptismus obligare coepit, 207.

Bessarion de epiclesi, 393.

Billot, ejus sententia de causalitate sacramentorum exponitur ac defenditur, 57 seq.; sententia de actione sacrifica in missa exponitur ac suadetur, 468 seq.

S. Bonaventura intellectui figurato Jo. 6 non favet, 287.

Bossuet de verbis institutionis Euch. 295; de objectione: quod non est in alio non est accidens, 357.

Bucerus de duratione realis praesentiae, 368.

Caeremoniae sacramentorum, 36; — Baptismi, origo; 237.

Cajetanus de infantibus sine Bapt. morientibus, 222.

Calvinus de origine Confirmationis, 242; de reali praesentia, 272.

Canones Hippolyti, 180, 186.

Capharnaiticus intellectus, 282.

Catharinus defensor intentionis externae, 113.

Causa principalis et instrumentalis, 41; — instrumentalis dispositiva, 57.

Causalitas sacram. secundum fidem cathol. explicatur, 39; ex opere operato, 44; probatur, 45; causalitas impropria, 52; moralis, 53; physica 55; intentionalis, 57; — missae, 486.

Catechismus heidelb. de causalitate sacrament., 38; de Bapt., 191; de missa, 436.

Catechumeni, 237.

Character sacrament., 78; in tribus sacram. imprimitur 78; quae ideo repeti nequeunt, 83; convenientia hujus doctrinae 90; — est indelebilis, 84, est realitas physica, 85; signum distinctivum, 86; configurativum Christo, 87; dispositivum ad gratiam, 88; per illud participamus sacerdotio Christi, 87; tribuit posse quoddam in actiones sacras, 89; quo sensu dicatur effectus secundarius sacram., 91.

Character baptismalis, 87; quid efficiat, 198; etiam eos, qui apud haereticos baptizantur, ecclesiae quodammodo aggregat, 199; explicat obligationem catholice vivendi pro iis, qui in infantia baptizantur, 200a.

Charitatis augmentum effectus s. communionis, 402.

Chemnitz de duratione realis present., 368

Chrisma, quale esse debeat, 257.

Chrismatio, caeremonia Baptismi, 240; Confirmationis, 251, 257.

Christus habet potestatem excellentiae in sacrament., 93; sacramenta instituit per se ipsum, 97; quomodo materias et formas determinavit, 100; quomodo concurrat ad sacrificium missae, 458.

Circumcisio, 148; quomodo profuerit ad justificationem, 149; figura Baptismi, 160.

Clinici valide baptizati habebantur, 175.

Commensuratio ad locum, 373 seq.

S. Communio ex opere operato prodest soli suscipienti, 397; quo sensu suscipi possit pro aliis, 397; unit cum Christo, 399; ejus effectus, 401; explicantur ex analogia cum cibo materiali, 406; in corpus, 408; — non est necessaria necessitate medii, 411, 412; objectio: „Nisi manducaveritis," 413; — sub una specie sufficit, 415, 416; ecclesia hac in re statuere potest, 419; rationes praxis hodiernae, 419; modi historici distributionis, 416, 424.

Communio sacerdotis non pertinet ad essentiam sacrificii, sed illud extrinsece complet, 461.

Compenetratio ad explicandam realem praesent., 372.

Concilium baltimor. II, de sacramentalibus, 158.

Concilium florent. de epiclesi, 393; decretum ad armenos, 35.

Concilium meldense non instituit sacram. Confirmationis, 96.

Concilium tridentinum de sacram. numero, 11; de inaequali dignitate sacram. 26; de necessitate sacrament., 27; de caeremoniis sacrament. 36; de causalitate sacram. 39; de charactere sacrament. 78; de institutione sacram. per ipsum Christum, 96; de intentione ministri, 110; de fide et probitate ministri, 125; de sacramentis V. L. 149; de materia remota Baptismi, 170; de effectibus Bapt., 192; de obligatione eorum, qui infantes baptizati sunt, 200a; de necessitate Bapt. 205; de exsistentia Confirmationis, 242; de ministro Confirmationis, 261; de veritate realis praesentiae, 275; circa explicationem Jo. 6 nihil praejudicavit, 288; de transsubstantiatione 336; de modo realis praesentiae, 361, 366; de ejus duratione, 368; de Christo in Euch. adorando, 369; de intellectu negativo realis praesentiae, 371; de s. communione infantibus non necessaria, 411; de communione sub una specie, 415; de veritate sacrificii euchar. 436; de hostia oblata, 457; offerente principali, 458; de repraesentatione sacrificii crucis, 463; de charactere propitiatorio missae, 480, 487; de missa in honorem sanctorum, 493.

Concomitantia, praesentia vi concomitantiae, 362.

Condensatio ad explicandam realem praesent. 372.

Confirmatio, nomen, definitio, 241; probatur exsistentia, 243; ritus collationis, 248; materia et forma essentiales, 249, 257; effectus, 258; initerabilitas, 260; reviviscentia, 260; minister, 261; subjectum, 264; obligatio, 265.

Consecratio sola essentialiter perficit sacrificium, 460, 461, 462; triplex in ea distingui debet actio, 475; — duarum specierum requiritur ad rationem sacrificii, 476.

Consubstantiatio, 270, 336.

Contactus quantitatis, 373 seq.

Convenientia quorumdam sacrament. 23; septem sacram., 24.

Conversio vide: **transsubstantiatio.**

Convivium plurium simul non est de essentia Euchar. 479.

Coptae de numero sacramentorum, 16.

Corruptio specierum, 368, 379.

Critici rationalistae de ultima coena, 274.

Cultus Eucharistiae, 369, 370.

S. Cyprianus, controversia de fide in ministro sacramentorum, 124.

Deceptio non est in Eucharistia, 360.

Decretum ad armenos non est documentum infallibile, 35.

Decretum s. C. Inq. de baptismo per modum unctionis, 177.

Defuncti, missa pro iis, 484, 487.

Destructio, num requiratur ad rationem sacrificii, 428; qualis esse debeat, 431; destructio mystica explicatur, 469; destructio per constitutionem in statum cibi et potus, 467, 474.

Determinatio generica vel specifica materiarum et formarum in sacramentis, 100; pro sacrament Confirmationis, 256.

Diaconus, minister extraord. Bapt. 227; Eucharistiae, 422.

Dignitas sacram. inaequalis, 26.

Dilatio Baptismi, 229, 234.

Disciplina arcani, 4.

Dispositio exigitiva gratiae, 57; primus effectus sacramentorum, 60; nonnumquam materialiter coincidit cum realitate physica, 63, 57; est ratio reviviscentiae, 75.

Dispositio ministri sacram., 130.

Dispositio subjecti est conditio sine qua non ad gratiam in sacramentis, 42; non est aliquid mere negativum, 42; dispositioni respondet mensura gratiae, 70; qualis requiratur generatim, 138; in Baptismo, 230, in Confirmatione, 264; in Eucharistia, 405, 423.

Distantia localis quoad corpus Christi euchar., 376.

Ecclesia est velut sacramentum generale, 1; habet supremam auctoritatem dispensationis in sacramentis, 102; ejus potestas circa caeremonias, 36; num aliquid possit in materias ac formas sacramentorum, 100, 101; mediate

offert sacrificium missae, 457 seq.; participat de ejus fructu, 491.

Ecclesia graeca testatur septem sacramenta, 15; quomodo baptizet, 173, 180; quomodo confirmet, 248, 255, 256; adhibet panem fermentatum, 389; habet epiclesim, 392; infantes communicat, 416, 423.

Effectus sacramentorum, gratia, 64; character 78 seq.; sacramentalium, 156; Baptismi, 193; Confirmationis, 258; s. communionis, 401; missae, 480.

Epiclesis non efficit transsubstantiationem, 393; ejus significatio, 394.

Ep. ad Hebr. de Melchisedech typo Christi, 439; non excludit sacrificium et sacerdotium in N. L. 448, 449.

Ermoni de sermone Domini cum Nicodemo, 166.

Exorcismi, 155.

Extensio radicalis, aptitudinalis; actualis, interna, externa, 373, 374.

Eucharistia, nomen, 267; memoria mirabilium Christi, 266; differt ab aliis sacramentis, 268, 385; quo sensu adoranda, 370; vide **Realis praesentia; Transsubstantiatio; Sacramentum Eucharistiae, Missa.**

Eucharisticus effectus missae, 482, 485.

Evangelium promulgatum quando? 207.

Farvacques defensor intentionis externae, 113, 114.

Fictio, quid, 142; quomodo removenda, 144.

Fides non requiritur ad sacramentum valide ministrandum, 126.

Figura Christi adest in Euch., 375; figurae Baptismi, 160.

Firmilianus caesar., controversia de fide in ministro sacrament., 124, 126.

Forma sacramentorum, 31; non est concionatoria tantum, 38; — Baptismi, 180; significatio, 185; apud Slavos, 184; additamenta, 186; — Confirmationis, 248, 255; Eucharistiae, 391; verba essentialia, 395; reliqua, 395; „mysterium fidei," 396; quaestio de epiclesi, 392; — sacrificii metaphysica, 426; physica, 466.

Fractio hostiae multiplicat praesentiam Christi. 366; — improprie dicitur de corpore Christi, 381.

Franzelin de remanentia accidentium in Euch. 353; de actione sacrifica in missa, 321, 467.

Fructus missae, 484; — generalis, personalis, medius, 491, 492; num infinitus extensive, 492.

Galtier, sententia de consignatione Confirmationis, 250.

Georgel male explicat transsubstantiationem, 342.

Gerson de infantibus absque Bapt. salvandis, 222.

Graeci, vide: **Ecclesia graeca.**

Gloria coelestis indirecte significatur per sacramenta, 10.

Grabe testatur, patres Euch. habuisse sacrificium, 450.

Gratia sacramentorum effectus, 64; habitualis, 64; sacramentalis, 67; mensura augetur pro dispositione, 70; num in aequali dispositione semper aequalis sit mensura, 71; quomodo reviviscere possit explicatur, 75; mensura gratiae in casu reviviscentiae, 77.

Gutberlet de infantibus non baptizatis, 223.

Habitus externus mortis, 468.

Haeretici per Baptismum ecclesiae quodammodo aggregati, 199; subsunt jurisdictioni ecclesiae, 200.

Harnack de convenientia septem sacram. 24; de institutione Baptismi, 164; de Tertulliano sacramentariis non favente, 331; de sententia Ratramni. 335; de elementis Euch., 387

Herbordus de numero sacramentorum, 13.

Hostia, quae in sacrificio altaris offertur, 457.

Immersio baptismalis, 174, 178.

Infantes, num sacramenta suscipere possint, 137; quaenam, 137; quomodo ante Christum liberabantur a pecc. originali, 146, 151; Baptismus iis est necessarius, 205; valide et licite bap-

tizantur, 231; „in fide ecclesiae," 232; adhuc in utero exsistentes, 233; num baptizari possunt — non-christianorum, 235; lex de infantibus mox baptizandis, 234; — salvantur per martyrium, 215; — baptizati, cum adoleverint, subsunt legibus ecclesiae, 200 a; sententiae de infantibus absque Bapt. morientibus, 222; — non indigent s. Euch., 411; eam sacramentaliter sumere possunt, 423; praxis antiqua, 423.

Infusio, modus baptizandi, 175, 178.

Initerabilitas sacramentorum, 83; Baptismi. 201; Confirmationis, 260.

S. Innocentes quomodo allegantur ad probandum Bapt. sanguinis, 216.

Impanatio, 270, 336.

Impetratorius effectus missae, 481, 482, 488.

Institutio importat stabilitatem, 9; — sacramentorum per ipsum Christum, 97; hypothesis institutionis per Spiritum s. in apostolis, 96; determinatio generica vel specifica materiarum et formarum, 100; — Baptismi; 165, 166, 167, quandonam, 168; — Eucharistiae, 290 seq.; verba institutionis ab acatholicis diversissime intellecta, 294, 270; — Eucharistiae probat ejus naturam sacrificalem, 443; — quoad sacrificia, 427.

Intentio in ministro sacramentorum, 106; ejus necessitas probatur, 107; ejus objectum, 110; — explicita et implicita, 110; — externa et interna, 113; actualis, virtualis, habitualis, interpretativa, 120; — absoluta et conditionata 122, duae intentiones contrariae, 112.

Intentio in subjecto sacramentorum, 133; pro suscipienda ss. Eucharistia, 136.
'ιχθὺς symbolum Christi. 172; 308.

Jacobitae de numero sacramentorum, 16.

Janyschew de numero sacramentorum, 15.

Joannis baptisma, 169.

Jurisdictio requiritur ad sacramenta legitime ministranda, 102; ad baptizandum, 226; ad confirmandum, 262; ss. Euch. ministrandam, 421.

Klee de infantibus absque Bapt. salvandis, 222.

Latreuticus effectus missae, 482, 485.

Latria Christo in Euch. exhibenda, 369.

Leo XIII de intentione in ministro sacramentorum, 119; de dilatione Baptismi, 234; docet sacrificium crucis in missa mystice renovari, 473; hortatur sacerdotes ut cultum Euch. provehant, 493.

Leray, quomodo explicet remanentiam accidentium in Euch., 355.

Lessius de actione sacrifica in missa, 468.

Libri VI de Sacram., a quonam conscripti, 20.

Locatio, 373, 374; distantia localis, 376; motus localis, 378.

Locus, quid, 373, 374

Loisy de institutione sacram. per Christum, 96; de institutione Euch. per Christum, 274; de Cap. 6 Jois, 276.

Lotio pedum non est sacramentum. 21.

Lugo, ejus sententia de unione Christi cum speciebus, 357; de actione sacrifica in missa, 467, 473, 474.

Lutherus de reali praesentia, 270, 294; transsubstantiationis inventionem s. Thomae tribuit, 336.

Luxuria, s. Euch., contra eam munit, 409.

Malachias, prophetia de sacrificio N.L., 441.

Manducare, quid, 333, 381.

Manus impositio, materia Confirmationis, 249 seq.

Marin-Sola de causalitate physica sacram., 76.

Martyrium vide: **Baptismus sanguinis.**

Materia et forma sacrament 28 seq.; Poenitentiae et Matrimonii, 30, 31; — quomodo uniri debeant, 34, — num a Christo in genere an in specie determinatae, 100.

Materia remota et proxima sacrament., 33; — Baptismi, 170, 173. — Confirmationis, 249 seq; Eucharistiae, 387, 390, 383; — sacrificii missae, 457.

Melchisedech typus Christi per suum sacrificium, 438.

Mensura gratiae in sacramentis augetur pro dispositione, 70; num semper aequalis in aequali dispositione, 71.

Minister sacramentorum principalis Christus-homo. 102; supremam auctoritatem dispensationis tradidit ecclesiae, 102; ministri secundarii persona, 104; intentio, 105; dispositiones morales, 130; Baptismi, 224; necessitatis, 225; solemnitatis, 226; extraordinarius, 127; — Confirmationis, ordinarius. 261; extraordinarius, 263; — Eucharistiae, confectionis, 420; dispensationis, 421.

Missa, nomen, 434; definitio, 435; missam esse verum sacrificium probatur, 437; ex typo Melchisedech, 438 seq.; ex prophetia Malachiae, 441; ex historia institutionis, 442; quibusdam argumentis subsidiariis, 446, 437; ex traditione, 450; objectiones ex Ep. ad Hebr. 448; explicatur natura sacrificii, 457; de hostia, quae offertur, 457; de offerentibus, 458; de parte missae, qua sacrificium perficitur, 460; de repraesentatione sacrificii crucis, 463; est sacrificium relativum, 465; de ipsa actione sacrifica, 466, de necessitate duarum consecrationum, 476; convenientia et differentia cum sacrificio crucis, 477; est sacrificium latreuticum, eucharisticum, impetratorium, propitiatorium, 480 seq.; pro defunctis, 484; causalitas moralis, 486; de modo et mensura fructuum, 485; fructus generalis, personalis, medius, 491; num medius sit extensive finitus, 492; monitum practicum. 492a; missa in honorem sanctorum, 493.

Motus localis, 378, 381.

Muller, Dr. P. L. — doctrinam calvinianam de praesentia Christi in Eucharistia incohaerentiae arguit, 272.

Multilocatio, 376.

Mutatio in melius, num sufficiat ad rationem sacrificii, 429.

„Mysterium fidei," 396.

Mystica immolatio, 470, mysticum sacrificium, 471.

Natura panis, quo senu dicatur permanere in Euch. 340.

Necessitas sacramentorum in genere, 27; — medii et praecepti, 203; — Baptismi, 205; quandonam inceperit, 207; — Confirmationis, 265; — ss. Eucharistiae, 411; num aliqui patres necessitatem medii admiserint, 412. „Nisi manducaveritis," 413.

Nestoriani de numero sacrament. 16.

Nicolaus I de bapt. in nomine Jesu, 189.

„Non bibam amodo," cet, 293, 304.

Numerus sacramentorum, 13; difficultates ex patribus, 18; convenientia, 24.

Obex sacramenti et obex gratiae, 42.

Obex gratiae, quid 139; — formalis et materialis, 140, 141; quare vocetur fictio, 142; quomodo removeatur, 144; obex secundum quid, 142.

Obligatio legis in actu primo et secundo, 200a.

Odoratus respectu s. specierum, 359.

Offerentes, quinam sint — in sacrificio missae, 458, 489; fructus iis obvenientes, 491.

Opus operatum et opus operantis, 44.

Orationes in missa, a quonam persolvantur, 488; omnes ad ipsum Deum diriguntur, 493.

Ordo sacramentorum, connumerationis, 25; dignitatis, 26; necessitatis, 27; ordo Baptismi, origo, 237 seq.

Ornatus animae, 59.

Palmieri, quomodo explicet remanentiam accidentium in Euch., 354.

Panis azymus, fermentatus, 389.

Parentes tenentur infantes ad s. fontem deferre, 234; — non-christiani, num liceat eorum infantes baptizare, 235.

Partes sacramentorum, 28 seq.; quomodo uniri debeant, 41.

S. Paschasius Radbertus controversiam excitavit de s. Euch., 335.

Passio Domini indirecte significatur in sacramentis, 10; repraesentatur in missa, 463; mystice renovatur, 473; fructus ejus applicantur, 481.

Pater et Spiritus s., praesentia in Euch.; 365.

Patrini in Baptismo, 228.

S. Paulus de reali praesentia, 296, 297, 304; innuit Euch. esse sacrificium, 446.

Peccator quomodo sacram. vivorum recipere possit sine obice, 143; quomodo obicem auferre debeat, 144.

Peccatum, remissio per Baptismum, 194; per sacrificium missae, 487; — veniale, remissio per sacramentalia, 157; per s. communionem, 407; per sacrificium missae, 487.

Peeters explicationem euchar. Jo. 6 dubiam habet, 284.

Personae, quibus fructus missae obveniunt, 491.

Poenalitates remanentes post Bapt. 197.

Poena temporalis, remissio per sacramentalia, 157; per Baptismum, 195, 202; per martyrium, 217; per sacrificium missae, 487.

Potestas auctoritatis et excellentiae in sacrament., 92, 93.

Praesentia circumscriptiva, 372; definitiva, sacramentalis, 374; — Christi in Euch. vide: **realis praesentia**.

Praxis ecclesiae maximi momenti in materia de sacramentis, 3, 4.

Presbyter, minister extraord. Confirmationis, 262.

Promissio Eucharistiae apud Jo. 6: vide: **realis praesentia**; — probabilis sacrificii missae, 447.

Propitiatorius effectus missae, 483; pro defunctis, 484.

Protestantes de numero sacrament., 11; de causalitate sacrament. 38; de effectibus Baptismi, 193; de Baptismi necessitate, 205; de origine Confirmationis, 242; de reali praesentia, 270, seq.

Quantitas dimensiva, quid, 356; — panis in Euch. exsistit sine subjecto, 357; qualitates in ea subjectantur, 357, — corporis Domini adest in Eucharistia, sed per modum substantiae, 374.

Rabanus Maurus se opposuit Paschasio Radberto, 335.

Ratihabitio Baptismi in infantia suscepti, 200a.

Ratramnus se opposuit Paschasio Radberto, 335.

Realis praesentia, a quibus negata fuit, 269; probatur ex *verbis promissionis*, 277; textus, 278; argumentum, 279; „spiritus est qui vivificat," 282; num evangelista ipsissima verba Domini retulerit, 283; certitudo explicationis eucharisticae defenditur, 284; num ab Augustino admissa, 286; — probatur ex *verbis institutionis*, 295; textus, 290; animadversiones in textum, 291 seq; argumentum, 294; difficultates, 298; significatio pronominis *τοῦτο*, 305; — probatur ex *traditione*, 307; difficultates ex patribus, 330; sententia s. Augustini, 332; controversia saec. IX, 335; — efficitur per transsubstantiationem, 336 seq.; cfr. **Transsubstantiatio**. *Modus praesent. secundum fidem catholicam*, 361; totus Christus sub qualibet specie, 361; etiam quantitas dimensiva, cet, 364; num Pater et Spiritus s., 365; — sub singulis partibus, 366; donec species corrumpantur, 368; — cultu latriae adorandus, 369; *Modus praesent. secundum explic. scholastic.* 371; non condensatione aut compenetratione, 372; per modum substantiae, 374; multilocatio, 376; difficultates ex motu locali hostiae, 378; cessatio praesentiae absque mutatione in Christo, 379; apparationes miraculosae, 380; regulae loquendi, 381.

Refectio spiritualis, effectus s. communionis, 406.

Regeneratio spiritualis effectus Bapt., 193.

Regulae loquendi de Euch., 381.

Remedium naturae, quid, 146; num fuerit sacramentum, 147; quomodo profecerit ad justificationem, 149, 151.

Renovatio mystica sacrificii crucis, 473.

Reproductio, num per eam transsubstantiatio aliquatenus explicetur, 346.

Res et sacramentum, 62, 63; in singulis sacramentis, 63; — Eucharistiae, 384.

Resurrectio corporis fructus Eucharistiae. 410.

Reviviscentia, quomodo explicanda. 75; mensura gratiae in reviviscentia, 77; — Baptismi probatur, 201; — quoad effectus accessorios, 202; quomodo ad reviviscentiam concurrat sacram. Poenitentiae, 201, 144.

Ritus liturgicus Baptismi, 237 seq.. Confirmationis, 248.

Rosmini male explicat transsubstantiationem, 342.

Russi de numero sacramentorum, 15.

Sacerdos, qua auctoritate constituendus, 427, in sacrificio missae, 458, 459; fructus ei obveniens, 491.

Sacramentalia, 152; definitio. 153; classes, 154; effectus, 156; modus, quo producantur. 157.

Sacramentarii, 271.

Sacramentarium Gregorianum. 180.

Sacramenta ante Christum, 145; definitio, 145; num fuerint sub lege naturae, 146; sub lege mosaica, 148; non causabant gratiam ex opere operato, 149; quomodo conferre potuerint ad justificationem, 150, 151.

Sacramenta mortuorum per se conferunt gratiam primam, 64; per accidens secundam, 65.

Sacramenta vivorum per se conferunt gratiam secundam, 64; probabilius per accidens secundam, 66.

Sacramentum, nomen, 6; significatio ex usu, 6; definitio, 7; est signum mixtum, 10; differt a sacrificio, 10; numerus septenarius, 11 seq.; difficultates ex patribus, 18; convenientia, 23; ordo connumerationis, 25; dignitatis, 26; necessitatis, 27; partes sacramentorum, 28; causalitas secundum fidem catholicam explicatur, 39; probatur, 45; modus ejus diversimode exponitur, 51; causalitas impropria, 52; moralis 53; physica, 55; intentionalis, 57; qualem gratiam producant, 64; habitualem, primam vel secundam, 64; sacramentalem, 67; qua mensura gratiam producant, 70; quomodo gratia, per obicem impedita, adhuc dari possit, 74; quaenam sacramenta reviviscant, 75; tria sacramenta imprimunt characterem, 78; hinc iterari nequeunt, 83; convenientia hujus doctrinae, 90; sacramentorum institutio, 93; per ipsum Christum, 94, 95; qua ratione Christus materias et formas determinaverit, 100; minister sacramentorum, 102 seq.; intentio in ministro sacramentorum 105, 106; vera fides et status gratiae in ministro, 125; subjectum sacramentorum, 131; intentio subjecti. 133; requisita ad receptionem fructuosam, 138; requisita ad reviviscentiam, 144; num infantes sacram. suscipere possunt 137.

Sacramentum Eucharistiae, definitio, 382, tempus institutionis, 382; quid sit sacramentum tantum, quid res et sacramentum, 383; aliter continent Christum, aliter gratiam, 385; num sit unum sacramentum, 386; materia remota, 387; panis azymus, fermentatus, 389; vinum cum modica aqua, 390; forma, 391; verba essentialia, 395; reliqua, 395; „mysterum fidei," 396; epiclesis, 392; effectus, 401; qualis unio cum Christo, 400; gratia secunda, 401; augmentum charitatis habitualis, 402; etiam in proximos, 403; excitatio charitatis in actus, 404; quando impediatur. 405; vitam spiritualem sustentat, auget, reparat, delectat, 406, 407; igitur refectio spiritualis, 407; effectus in corpus, 408; munimentum contra luxuriam, 409; pignus resurrectionis, 410; sumptio non est necessaria necessitate medii, 411, 412; objectio: „Nisi manducaveritis," 413; sufficit communio sub una specie, 415; minister confectionis solus sacerdos, 420; dispensationis ordinarius sacerdos, 421; extraordinarius diaconus, 422; subjectum, 423; infantes. 423; amentes, 423; modus ministrandi s. Euch., 424.

Sacramentum informe, quid, 74.

Sacramentum Poenitentiae, quomodo concurrat ad reviviscentiam Baptismi, 201, 144.

Sacramentum tantum, res est sacramentum, res sacramenti, 62; — in Eucharistia, 383, 384.

Sacrificium, 425; definitio, 426; differt a sacramento, 10; num requiratur aliqua destructio, 428; qualis, 431; significatio figuralis seu typica. 432; momentum latreuticum, eucharisticum, impetratorium, propitiatorium, 433; diversae species in V. T.. 433; sacrificiorum usus universalis, 437; in religione perfecta deficere nequit, 437.

Sacrificium crucis quo sensu sacrificium N. L., 435; repraesentatur per missam 464; mystice renovatur in missa, 471; ejus fructus per missam applicantur, 481; convenientia et differentia cum sacrificio missae, 477.

Sacrificium eucharisticum, vide: **Missa.**

Sancti, missa in honorem Sanctorum 493.

Schanz testatur, s. Augustinum intellectui figurato Jo. 6 non favere, 286.

Scheeben propugnat, sacrificium fieri per mutationem in melius, 467, 429.

Dr. Schell de infantibus absque Bapt. salvandis, 222.

Scotus de verbis: „Qui pridie," 395.

Scrutinia, 238.

Sectae orientales de numero sacramentorum, 16.

Septenarius numerus sacram., 11; difficultates ex patribus, 18; convenientia, 24.

Significatio immediatissima ritus externi in sacram., 60; — remotior ritus 10; essentialis sacrificii, 426; typica et figuralis. 432.

Signum, quid, 8; naturalia, arbitraria, mixta, 10.

Slavi, qua forma baptizent, 184.

Smet, A. de —. sententia de essentia Confirmationis 250.

Species panis et vini, ratio nominis, 337, 349; vide: **accidentia.**

Spiritus, praesentia ad modum spiritus, 375.

Spiritus s., num per apostolos sacramenta instituit, 96, — num in Euch. praesens, 365.

Status gratiae non requiritur ad sacram. valide ministrandum, 125; requiritur ad licite ministrandum, 130.

S. Stephanus I, controversia de fide in ministro sacramentorum, 124.

Subjectum sacramentorum, 131; persona, 131; intentio, 133; pro susceptione ss. Eucharistiae, 136; dispositiones, 138; ad reviviscentiam, 144; — Baptismi, 229; parvuli, 231; adhuc in utero, 233; — Confirmationis, 264; — Eucharistiae, 423.

Substantia corporea secundum se non est actu quanta, 373.

Susceptio licita et fructuosa sacram. non necessario coincidunt, 138.

Tiele de usu universali sacrificiorum 437.

Titulus appellans gratiam, 57; primus effectus sacramentorum, 60; nonnumquam materialiter coincidit cum realitate physica, 63, 57; est ratio reviviscentiae, 75; quamdiu maneat in singulis sacramentis, 75.

Tongiorgi, explicatio accidentium panis et vini remanentium, 352.

Traditio practica maximi momenti in materia de sacramentis, 3; — symboli et orationis, 239.

Transsubstantiatio, 337; explicatur notio, 337; probatur, 338; difficultates ex patribus, 340; excluditur explicatio Rosmini, 342; Georgel, 342; num substantia panis annihiletur, 344; num corpus Domini praesens reddatur per adductionem aut productionem, 345; accidentia physice remanent, 349; quomodo remaneant secundum explicationem Tongiorgi, 352; Franzelin, 353; Palmieri, 354; Leray, 355; secundum explicationem scholasticam, 356; quomodo ex iis aliquid generetur, 359, phaenomenon odoratus, 359; non habetur sensuum deceptio, 360.

ss. Trinitatis fides a pluribus requirebatur ad valorem Baptismi 127.

Unio inter materiam et formam in sacramentis, 34; — corporis Domini ad nos in s. communione, 399, 408; cum Christo, effectus Euchar., 401.

Unitas sacramenti Euchar., 386.

Valor objectivus seu insitus sacramentorum, 53, 54.

Vasquez de actione sacrifica in missa, 468.

Veteres-catholici non negant sacrificium missae, 436.

Vinum de vite, 390.

Votum Baptismi = baptismus flaminis, 212.

Vulgata: „effundetur, tradetur", 345.

Zwingli princeps sacramentariorum, 271, 298; de mente s. Augustini circa realem praesentiam, 332.

CORRIGENDA.

Pag. 41, linea 11: loco *santificans* lege: *sanctificans.*
Pag. 55, linea 7: loco *respondent* lege: *respondet.*
Pag. 55, linea 12: loco *Brevitur* lege: *Breviter.*
Pag. 64, linea 8: loco *temporanca* lege: *temporanea.*
Pag. 79, linea 28: loco *suppponit* lege: *supponit.*
Pag. 119, linea 2: loco *d est* lege: *id est.*
Pag. 129, linea 21: loco *crucifixu* lege: *crucifixus.*
Pag. 186, linea 27: loco *hinc* lege: *hunc.*
Pag. 188, in notis, linea 6: loco *hoc* lege: *hac.*
Pag. 209, linea 21: loco *inusio* lege: *infusio.*
Pag. 229, linea 10: loco *ivenitur* lege: *invenitur.*
Pag. 242, linea 19: loco *methaphoricum* lege: *metaphoricum.*
Pag. 278, linea 10: post *scil,* addatur: *panis in corpus.*
Pag. 296, linea 17: loco *indentica* lege: *identica.*
Pag. 306, linea 18: loco *nonstro* lege: *nostro.*
Pag. 306, linea 24: loco *senu strictio* lege: *sensu stricto.*
Pag, 306, linea 25: loco *constantus* lege: *constans.*
Pag. 307, linea 31: loco *quisbusdam* lege: *quibusdam.*
Pag. 309, linea 12: loco *opionem* lege: *opinionem.*
Pag. 310, linea 6: loco *occidentaliter* lege: *accidentaliter.*
Pag. 311, linea 18: loco *habeaturaqua* lege: *habeatur aqua.*
Pag. 316, linea 2: loco *Nonnulli* lege: *nonnulli.*
Pag. 318, linea 27: semel omittatur: *amoris fervore.*
Pag. 326, linea 30: loco *quantenus* lege: *quatenus.*
Pag. 327, linea 25: addatur in margine numerus: *410.*
Pag. 340, linea 8: loco *Sacrifium* lege: *Sacrificium.*
Pag. 343, linea 30: loco *sequunter* lege: *sequuntur.*
Pag. 348, linea 2: loco *sacrificum* lege: *sacrificium.*

INDEX ANALYTICUS.

DE SACRAMENTIS ECCLESIAE.

		Pag.
Introductio	. . . . .	1
SECTIO I.	De Sacramentis in genere	4
CAPUT I.	De Sacramentorum exsistentia et partibus	4
Art. I.	De Sacramentorum exsistentia . .	4
Art. II.	De Sacramentorum partibus . . .	22
CAPUT II.	De Sacramentorum efficacia . . .	30
Art. I.	De Sacramentorum causalitate . .	30
Art. II.	De Sacramentorum gratia	55
Art. III.	De Sacramentorum charactere . .	65
CAPUT III.	De Sacramentorum causis . . .	74
Art. I.	De Sacramentorum auctore . . .	74
Art. II.	De Sacramentorum ministro . . .	83
§ 1.	De ministri persona	84
§ 2.	De ministri intentione	85
§ 3.	De ministri dispositionibus moralibus	97
Art. III.	De Sacramentorum subjecto . . .	104
CAPUT IV.	De Sacramentis ante Christum et de Sacramentalibus	113
Art. I.	De Sacramentis ante Christum . .	113
Art. II.	De Sacramentalibus	119
SECTIO II.	De sacramento Baptismi . . .	124
CAPUT I.	De Baptismi exsistentia et partibus	125
Art. I.	De Baptismi exsistentia . . .	125
Art. II.	De baptismi partibus	133
CAPUT II.	De Baptismi effectibus et necessitate	149
Art. I.	De Baptismi effectibus	149
Art. II.	De Baptismi necessitate . . .	161
§ 1.	De necessitate sacramenti Baptismi	161
§ 2.	De iis, quae vicem sacramenti supplere possunt .	167
CAPUT III.	De Baptismi ministro et subjecto	178
Art. I.	De Baptismi ministro	178
Art. II.	De Baptismi subjecto	182
Epilogus, de origine liturgiae baptismalis		191
SECTIO III.	De sacramento Confirmationis . .	194
Art. I.	De Confirmationis existentia . . .	195
Art. II.	De Confirmationis partibus . . .	200
Art. III.	De Confirmationis effectibus . . .	209
Art. IV.	De Confirmationis ministro . . .	213
Art. V.	De Confirmationis subjecto . . .	217
SECTIO IV.	De sacramento ss. Eucharistiae .	219

CAPUT I. De mysterio realis praesentiae . . 222
Art. I. De veritate realis praesentiae ex s. Scriptura . . . 227
§ 1. Verba promissionis 229
§ 2. Verba institutionis 239
Art. II. De veritate realis praesentiae ex Traditione . . 251
Art. III. De transsubstantiatione 269
Art. IV. De modo realis praesentiae secundum fidem catholicam . . . 287
Art. V. De modo realis praesentiae secundum explicationem scholasticam 294
CAPUT II. De ss. Eucharistia ut est sacramentum 305
Art. I. De sacramenti Eucharistiae exsistentia 305
Art. II. De sacramenti Eucharistae partibus 309
Art. III. De sacramenti Eucharistiae effectibus 318
Art. IV. De sacramenti Eucharistiae necessitate 328
Art. V. De sacramenti Eucharistiae ministro et subjecto . 335
CAPUT III. De ss. Eucharistia ut est sacrificium 339
Art. I. Praenotanda . . 340
Art. II. De sacrificii eucharistici exsistentia 349
Art. III. De sacrificii eucharistici natura .
Art. IV. De sacrificii eucharistici virtute . 383
Index Alphabeticus 397
Corrigenda 406

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX2200.N6671929 C001 V001
TRACTATUS DE SACRAMENTIS ED. 4. HILVER
3 0311 00047 7534

761

WITHDRAWN

BX
2200
.N667 6761
Noort, Guardus C. V. 1
AUTHOR
1929 TRACTATUS DE SACRAMENTI
TITLE

DATE DUE | BORROWER'S N